

THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE
F. DANIELE CONCINA
ORDINIS PRÆDICATORUM.

EDITIO NOVISSIMA.

TOMUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE : ITEM DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, ET EUCHARISTIA.

ROMÆ, MDCCLXIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI.

PRÆLOQUIUM.

EMersit iam fere e vadis, & scopulos, syrtesque, sin omnes, saltem plures prætervecta est oratio nostra. Implicatissimas hactenus controversias de iure naturali, gentium, positivo, divino, humanoque, fuso sermone, quoad potui, enucleavi. Superstitionem, blasphemias, periuria, impietatem, libidines, furta, fenora, mendacia, & cetera scelera quæ contra mandata decalogica perpetrare homines solent, profligare; subtilissima commenta, acuta paradoxa, quibus Casuistarum non pauci flagitiis ipsis malitiam adimere, & virtutis larvam iisdem obtendere pertentarunt, convellere pro modulo meo conatus sum. Divina in præsens pharmaca, & saluberrima remedia, quæ & ne labamur in scelera, nos continent, & vulnera ex perpetratis culpis animis nostris inflicta sanant, exponenda a nobis diligentia singulari, maturoque studio occurrunt.

Septem hæc sunt sacramenta, a Christo Domino instituta, *per quæ* (inquit Concilium Tridentinum sess. VII.) *omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*. Mysteria sacra a Patribus dicta fuere, quod alto secreto tecta Ethnicorum cognitioni abscondebantur. Quare mirandum haud est, si in vetustis monumentis pauca de sacramentorum dignitate, & excellentia scripta reperiamus. Huius *arcani* disciplinam ampla & selecta eruditione exornavit Cl. Emanuel Schelstrate, rationumque momenta perhibet cur Patres tanta severitate hæc divina mysteria occultare studuerint. Heinc ansam arripuere Novatores Lutherani, & Calvinistæ audacius in hæc sanctissima sacramenta quam in cetera catholicæ religionis dogmata debacchandi. Istorum errores & blasphemias silentio præterire destinaveram; & solas quæstiones quæ de sacramentorum recta administratione tractari a Theologis catholicis pro moribus formandis solent, sub examen inducere. At re serius expensa, operæ pretium duxi, præstitutæ mihi methodo insistere, & primum omnium catholica de re sacramentaria dogmata paucis perstringere, hæreticorum errores profligare; ac deinde morum controversias, quæ inter Catholicos disputantur, resolvere. Ut enim mea minima præfert opinio, magnopere dedecet Parochos, & sacros conscientiarum arbitros penitus Novatorum errores ignorare, adversus sacramenta nostra invectos, & sacros canones quos pro temporum opportunitate Ecclesia Romana condidit, ut & Catholicos in veritate confirmaret, & ora obstrueret hæreticorum. Plurimi, & præstantissimi Theologi, Bellarminus, Gravina, Gotti, Turnely, Iuvenin, Le Druin, Vitasse, Berti, ut innumeros alios præteream, rem sacramentariam uberrima doctrinarum copia illustrarunt, & convulsis Lutheranorum, & Calvinistarum deliriis, catholica dogmata pleno in lumine constituerunt. Quæ a præclaris viris istis fuso calamo, & vasta eruditione pertractata sunt, brevi ego & contracta oratione perstringam. Post consueta methodo quæ mores formandos, & laxio-

res opiniones convellendas ſpectant, enucleabo. Hæc duo ita connexa ſunt, ut quamquam primum ſeiungi a ſecundo valeat, ultimum tamen ſine primo conſiſtere nullo modo poſſit. Qui enim de evangelicis ſacramentis caſuum centones infarciunt, hominum commenta diſcutiunt, non Dei Theologiam interpretantur. Qui dogmata, inquiunt, & polemicas controverſias addiſcere volunt, dogmaticos, & polemicos Theologos adire poſſunt. Ita ne vero? At multi ſunt qui tot comparare ſibi libros nequeunt, quibus ego conſulere deliberavi. Calleant enim neceſſe eſt Paſtores ſacri & dogmata catholica, & errores novatorum, ut paſcere cæleſtium veritatum pabulo gregem ſuum, illumque a luporum cuſtodire inſidiis valeant. Falluntur ſane mirum in modum qui conſcientiæ caſus a dogmatica doctrina ſeiungunt, cum non minus credenda quam agenda, ad ſalutem neceſſaria ſint. Illud dumtaxat cavendum ne nimia rerum copia lectores obruantur. Quod ut declinarem, ſobrie, temperateque ſacramentorum articulos explicare, novatorumque errores convellere ſtudui; fuſius vero expoſui quæ ad mores informandos attinent. Digitum itaque ad limpidiſſimos intendamus fontes, unde aquæ ſcaturiunt ſalientes in vitam æternam. Qui ex hac aqua bibunt, non ſitient in æternum: & qui hanc aquam non guſtant, æterna ſiti cruciabuntur. Hæ ſunt columnæ illæ ſeptem quas divina ſapientia ex latere Mediatoris noſtri Chriſti IESU excidit. *Unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua.* En tibi apertam altiſſimam originem, unde & Eccleſia, & SACRAMENTA noſtra manarunt. In hoc ſanctiſſimum pectus, in hæc ſacroſancta vulnera animum mentemque defigamus omnes, & ego dum ſcribo, & tu dum legis, ut & mihi ſcriptum, & tibi lectio ad ſalutem proficiat ſempiternam. Amen.

INDEX

Librorum, diſſertationum, capitum, paragraphorum, & quæſtionum, quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER PRIMUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

DISSERTATIO UNICA.

CAPUT I.

Propoſitiones ab Eccleſia damnatæ. pag. 1.

§. I.

Brevis expoſitio theſis ab Innocentio XI. proſcriptæ. ib.

§. II.

Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum. 3.

CAPUT II.

Variæ ſacramenti acceptiones, eiuſque vera finitio. 6.

CAPUT III.

De ſacramentorum neceſſitate tum in ſtatu naturæ, tum in lege ſcripta. 8.

CAPUT IV.

De ſacramentis novæ legis latæ per Chriſtum. 10.

CAPUT V.

De partibus quibus ſacramenta conſtant, ſeu de materia, & forma eorumdem. 11.

Quæſt. I. *Materiæ, & formæ ſacramentorum baptiſmi, & Euchariſtiæ ſunt ne a Chriſto determinatæ?* 12.

Quæſt. II. *Aliorum quinque ſacramentorum omnium determinavit ne Chriſtus res, & verba in ſpecie?* ibid.

Quæſt. III. *Verba quibus formæ ſacramentorum conſtant, ſunt ne promiſſionis, & concionalia, an conſecrationis?* 14.

CAPUT VI.

Plures quæſtiunculæ reſolvuntur circa mutationem materiæ, & formæ ſacramentorum. 16.

Quæſt. I. *Quæ mutatio materiæ, aut formæ nullum reddit ſacramentum?* 17.

Quæſt. II. *Quot modis induci variatio accidentalis, vel ſubſtantialis in materia poteſt?* ib.

Quæſt. III. *Quot modis formæ variatio contingere poteſt?* ib.

Quæſt. IV. *Quodnam peccatum perpetret qui in perficiendis ſacramentis aliquid ſive in materia, ſive in forma mutat?* 18.

Quæſt. V. *Quæ mutationes accidentales dicuntur graves, letalem culpam inferentes?* ib.

Quæſt. VI. *Licitum ne eſt in perficiendis ſacramentis uti materia, vel forma dubia?* ib.

Quæſt. VII. *Quo tempore obtinuit uſus formæ conditionalis?* 19.

CAPUT VII.

De ſacramentorum evangelicæ legis numero, & dignitate. 20.

Qu. I. *Utrum lotio pedum inter ſacramenta numeranda ſit?* 24.

Quæſt. II. *Quis ordo, & quæ dignitas ſit in ſeptem ſacramentis ſpectanda?* ib.

CAPUT VIII.

De ſacramentorum efficacia in producenda gratia. Variæ quæſtiunculæ reſolvuntur. 26.

Quæſt. I. *An ſacramenta novæ legis phyſice, vel moraliter gratiam ex opere operato producant?* 29.

Quæſt. II. *Quænam ſit gratia quam novæ legis ſacramenta conferunt?* 30.

Quæſt. III. *An ſacramenta præter gratiam ſanctificantem peculiarem aliquam gratiam, quæ ſacramentalis dicitur, conferant?* ibid.

Quæſt. IV. *Sacramenta nova legis conferunt ne eamdem omnino æqualem gratiam omnibus?* 31.

Quæſt. V. *An ſacramenta vivorum per accidens producere gratiam primam valeant?* ib.

CAPUT IX.

De charactere, quem imprimunt novæ legis ſacramenta: & de diſcrimine ſacramentorum novæ a ſacramentis veteris legis. ib.

Quæſt. I. *Quid ſit character, & quænam illius proprietates?* 32.

Quæst. II. *Quomodo differant sacramenta novæ a sacramentis legis veteris?* 33.
Quæst. III. *Utrum circumcisio ex opere operato remitteret peccatum originale?* ib.

CAPUT X.

De auctore, & institutore sacramentorum. 34.

CAPUT XI.

De sacramentorum ministris. 35.
§. I.
Sacramentorum ministri, ut caussæ instrumentales, active cum ipsis sacramentis concurrunt ad sanctificationem. Soli homines viatores sunt sacramentorum ministri. ib.
§. II.
De intentione ministri in perficiendis sacramentis. Novatorum sententia. Doctrina Catharini a censura vindicatur. 37.
§. III.
Necessaria est ad substantialem sacramenti integritatem interna ministri intentio, qua serio & vere facere velit quod facit Ecclesia. 39.
§. IV.
Diluuntur adversæ sententiæ obiecta. 44.
§. V.
Variæ quæstiunculæ de ministri fide, intentione, & sanctitate resolvuntur. 50.
Quæst. I. *Ut validum sit sacramentum, requiritur ne in ministro fides, aut intentio producendi effectum sacramentalem?* ibid.
Quęst. II. *Ad sacramenti integritatem requiritur ne ut minister intendat facere quod facit Ecclesia Romana?* ib.
Quæst. III. *An necessaria sit intentio actualis, vel sufficiat virtualis, & interpretativa?* 51.
Quęst. IV. *Ad integritatem sacramenti sufficit ne intentio interpretativa?* ibid.
Quæst. V. *Validum ne sacramentum est, forma conditionali administratum?* 52.
Quæst. VI. *Utrum in ministro sacramentorum requiratur probitas?* ib.
Quęst. VII. *Peccant ne letaliter Sacerdotes qui sibi gravis culpæ conscii sacramenta ex officio administrant?* 53.
Quæst. VIII. *Peccat ne mortaliter minister qui sibi gravis culpæ conscius sacramenta administrat non ex officio, sed ex necessitate?* ibid.
Quęst. IX. *An peccet mortaliter Sacerdos qui mortali culpa inquinatus Eucharistiam administrat?* ib.
Quęst. X. *Peccat ne Sacerdos qui in peccato mortali audit confessiones?* 54.
Quæst. XI. *Utrum Diaconi mortaliter peccent, solemniter ministrantes Sacerdoti celebranti sacrificium, aut Eucharistiam distribuentes?* 55.
Quęst. XII. *Peccant ne mortaliter Concionatores Sacerdotes, verbum Dei prædicantes letali culpa inquinati?* ib.
Quęst. XIII. *An minister sibi mortalis peccati conscius teneatur sacramentaliter confiteri antequam sacramentum administret, si adsit copia Confessarii, & non urgeat necessitas succurrendi periclitanti?* 56.

CAPUT XII.

Quando, & quibus ministri dispensare sacramenta teneantur. 58.
Qu. I. *Licite ne administrari sacramenta indigno valent?* 59.
Quæst. II. *Administranda ne sacramenta sunt peccatori occulto, vel publico?* ib.
Quęst. III. *Licet ne simulare sacramentorum administrationem ob mortis metum?* 60.

CAPUT XIII.

De dispositione ex parte suscipientis sacramenta, & an a malis ministris peti administratio sacramentorum possit. 61.
Qu. unic. *Licet ne petere sacramenta a ministro indigno?* ib.

CAPUT XIV.

De cæremoniis sacramentorum, & de iis quæ sacramentalia dicuntur. 63.
Quæst. I. *Quænam sint commoda & utilitates sacrarum cæremoniarum?* ib.
Qu. II. *Potitur ne Ecclesia auctoritate sacros ritus præscribendi?* 65.
Quęst. III. *Sacræ cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ præferunt ne symbolicam & mysticam significationem?* ib.
Quęst. IV. *Observandæ ne sunt sacræ cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ?* 68.

LIBER SECUNDUS

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

DISSERTATIO I.

De baptismo.

PRÆLOQUIUM. 69.

CAPUT I.

Baptismi origo, & notio. 70.

CA-

CAPUT II.

De baptismi subiecto. 72.
Q. I. *Num sola aqua naturalis sit materia remota baptismi?* ib.
Quæst. II. *Cur Christus Dominus aquam potius quam alium liquorem sumpserit pro baptismi materia?* 73.
Quęst. III. *Num vetustus & probandus sit usus quo Ecclesia Romana consecrat aquam baptismo inservientem?* ib.

CAPUT III.

Plures quæstiunculæ quæ praxim spectant, resolvuntur. 74.
Quæst. I. *Quænam aqua dicenda naturalis est?* ibid.
Quæst. II. *Aqua corrupta adhiberi ne in administratione baptismi potest?* ibid.
Quæst. III. *An una, vel altera gutta aquæ satis ad baptismum sit?* ib.
Qu. IV. *An aqua ex sale liquato sit apta baptismi materia?* 75.
Quæst. V. *Aqua resoluta ex nive, glacie, gelu, aut rore cœli, est ne sufficiens baptismi materia?* ibid.
Quæst. VI. *Nix, & glacies sunt ne apta baptismi materia?* ib.
Quæst. VIII. *Aqua, quæ ex vite, aliisve arboribus profluit, est ne sufficiens baptismi materia?* ib.
Quæst. VIII. *Lixivium, & iusculum carnium sunt ne apta baptismi materia?* ib.
Quęst. IX. *Utrum aqua destillata ex floribus sit materia baptismi?* 76.

CAPUT IV.

De materia proxima baptismi. ib.
Quæst. unic. *Validus ne baptismus est, sive per unam, aut trinam immersionem, sive per effusionem, aut aspersionem administretur?* 77.

CAPUT V.

Plures quęstiunculæ casuisticæ resolvuntur. 78.
Quæst. I. *Liberum ne ministris est, baptismum aut una vel trina immersione, aut infusione, vel aspersione administrare?* ib.
Quæst. II. *Qualis infusio fieri in baptismo debet?* ib.
Quęst. III. *An infans in utero matris inclusus baptizari possit, utero matris abluto?* ib.
Quęst. IV. *Utrum valide baptizetur infans in utero matris inclusus, si obstetricis arte possit super ipsum aqua immitti?* 79.
Quæst. V. *An si infans pelle secundina involutus baptizetur, validus baptismus sit?* ib.
Quęst. VI. *Si aqua capillos tantum, aut vestes tangat, validus ne baptismus est?* ib.
Quæst. VII. *Validus ne baptismus est, si solus pes, aut digitus infantis abluatur?* 80.
Quæst. VIII. *Si quis ob aquæ penuriam in puteum, aut flumen infantem proiiciat morti proximum, valet ne baptismus, si formam pronuntiet, dum in aqua infans reperitur?* ibid.
Quæst. IX. *Licitum ne est persecare alvum mulieris desperatæ sanitatis, ut baptizetur infans?* ib.

CAPUT VI.

De forma baptismi. 81.
Quæst. I. *Legitima ne est & conveniens verborum forma qua Ecclesia Latina utitur?* 82.
Quæst. II. *Valida ne est forma qua utuntur Græci?* ib.
Quæst. III. *Requiritur ne ad validitatem baptismi ut exprimatur actus baptizantis per verbum* baptizo, *aut* baptizatur? ibid.
Qu. IV. *Collatus ne aliquando baptismus fuit in nomine Iesu, aut Christi tantum, prætermissa Trinitatis invocatione?* 83.

CAPUT VII.

Quæstiones quæ disputari in utramque partem a Casuistis solent, resolvuntur. 84.
Quæst. I. *Qui deliberate omitteret in forma baptismi hanc particulam EGO, peccaret ne graviter?* ib.
Quæst. II. *Validum ne baptisma esset, si minister loco* Ego *diceret, Nos te baptizamus?* ib.
Quæst. III. *Utrum, si plures baptizarent simul, unum conferrent baptismum?* ibid.
Quæst. IV. *Hæc particula TE est ne de baptismi essentia?* ibid.
Quæst. V. *Peccaret ne mortaliter qui exprimeret nomen baptizati, dicens: Ego te baptizo Petrum in nomine &c.* ib.
Quæst. VI. *Validum ne efficeret baptisma qui loco* baptizo, *diceret, mergo, intingo, lavo, abluo?* 85.
Quæst. VII. *Particula IN est ne de essentia baptismi? Aut graviter peccaret qui illam deli-*

deliberate omitteret? ibid.
Quæst. VIII. *Valide ne baptizaret qui diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti?* ibid.
Quęst. IX. *Validus ne baptismus est hac forma administratus: Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, cum Spiritu sancto?* ib.
Quæst. X. *Si quis omitteret* in nomine, *& substitueret* in virtute, *validum ne baptisma conferret?* ib.
Quæst. XI. *Validum ne baptisma est sub hac forma ministratum: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque?* 86.
Quæst. XII. *Conferret ne validum baptismum, qui diceret: Ego te baptizo in nomine Patris: Ego te baptizo in nomine Filii: Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti?* ib.
Quęst. XIII. *Omissio particulæ* ET *in pronuntiatione personarum, ut si quis diceret:* In nomine Patris, Filii, Spiritus sancti *&c. redderet ne invalidum baptisma?* ib.
Quęst. XIV. *Validum ne est baptisma administratum a balbo vel imperito idiota, qui mutet, vel demat litteram verbis formæ?* ibid.

CAPUT VIII.

De baptismi divisione. 87.

§. Unicus.

Martyrii notiones, & quomodo suppleat vices baptismi fluminis. ib.
Quæst. I. *An martyrium suppleat in adultis vices baptismi fluminis seu aquæ?* 88.
Qu. II. *Utrum martyrium parvulis loco baptismi inserviat?* 89.
Quæst. III. *Utrum martyrium suppleat vices baptismi aquæ ex opere operato?* ibid.
Quęst. IV. *Quænam dispositiones requiruntur in adultis ad suscipiendum baptismum sanguinis?* 90.

CAPUT IX.

De ministro baptismi. ibid.
Quęst. I. *Peccant ne mortaliter non Sacerdotes qui extra necessitatis casum baptizant?* 91.
Quæst. II. *Peccat ne mortaliter laicus qui, necessitate urgente, & præsente Sacerdote, baptizat?* ibid.
Quæst. III. *Peccat ne mortaliter laicus qui in necessitate, præsente Diacono, baptizat?* ibid.
Quęst. IV. *Laicus baptizans sine necessitate incurrit ne irregularitatem?* 92.
Quæst. V. *An unus minister possit unica aspersione plures baptizare?* ibid.
Quæst. VI. *Si duo essent, quorum unus manibus, alter lingua careret, possent ne valide & licite baptizare, necessitate urgente?* ibid.
Quęst. VII. *Si duo tantum essent periclitanti puero præsentes, obstetrix, & Sacerdos excommunicatus, quis horum administrare baptismum deberet?* 93.
Quæst. VIII. *Valide ne quis baptizare seipsum posset, extrema urgente necessitate?* ib.
Quęst. IX. *An Parochus peccet, qui ut saluti infantis consulat, privatim baptismum administrat domi, expectans patrinum aut de longinquo venturum, aut alio negotio distentum, ut in Ecclesia solemnem ritum peragat?* ibid.
Quæst. X. *Parentes baptizare ne proprios filios valent, necessitate urgente: & an amittant ius debiti petendi?* ib.
Quæst. XI. *Validum ne baptisma est a Pagano, aut Iudæo administratum?* 94.

CAPUT X.

De baptismi institutione, eiusque obligatione. ibid.
Quæst. I. *Probabilius ne est, Christum instituisse baptismum ante mortem, & tempore quo baptizatus in Iordane fuit?* ib.
Quæst. II. *Quando lex baptismi obligare cœpit?* 95.

CAPUT XI.

De baptismi necessitate. ibid.
Quæst. I. *Necessarius ne baptismus est necessitate medii infantibus ex fidelibus parentibus procreatis?* 96.
Quæst. II. *Adultis est ne necessarius baptismus necessitate medii in re, aut in voto?* ibid.
Quæst. III. *Ut baptismus adultis prosit, requiritur ne votum implicitum, aut explicitum eiusdem?* 97.
Qu. IV. *Quo tempore suscipere adulti baptismum debent?* ib.
Q. V. *Qui ordo servatus olim fuit in catechumenis tingendis?* 98.
Quęst. VI. *Quo tempore baptizandi catechumeni sunt?* ib.
Quęst. VII. *An præceptum suscipiendi baptismum obliget adultos, ut quamprimum commode possunt, sub pœna gravis culpæ baptismum suscipiant?* 99.
Quæst. VIII. *Peccant ne mortaliter parentes, & tutores, qui infantium sine rationabili caussa baptisma differunt?* ib.
Quęst. IX. *Salvari ne hoc tempore aliqui possunt absque baptismo, si eiusdem legem ignorent?* ibid.

CAPUT XII.

De baptismi subiecto. ibid.
Quæst. I. *Administrandum ne parvulis ante rationis usum baptisma?* ibid.
Quæst. II. *An satyri, vel concepti ex bruto & femina sint baptismi capaces?* 101.
Quæst. III. *An monstrum procreatum ex viro & muliere, baptizandum sit?* ibid.

CAPUT XIII.

Sint ne baptizandi infantes infidelium, invitis & reluctantibus parentibus. ibid.
Quęst. I. *Illicitum ne est baptizare infantes infidelium, invitis eorumdem parentibus?* 102.
Quæst. II. *An filii Iudæorum, aliorumve infidelium in periculo mortis licite baptizari valeant?* 103.
Quęst. III. *Filii infidelium expositi, aut patriæ potestati subducti, licite ne baptizari valent?* 104.
Quæst. IV. *Si unus parentum infidelium consentiat, baptizari ne puer licite valet, altero dissentiente?* ib.
Quæst. V. *Infidelium plures infantes suos offerunt baptizandos, ut infirmitatibus curentur: validum ne eiusmodi baptisma est?* ib.
Quæst. VI. *Si puer petat baptismum, & dubitetur, an usu rationis præditus sit, potest ne invitis parentibus baptizari?* 105.
Quæst. VII. *An requiratur aliqua dispositio in infantibus ad baptismum suscipiendum?* ib.
Quæstæ. VIII. *An amentes, & furiosi baptizandi sint?* ib.

CAPUT XIV.

De baptismo adultorum, vivorum, mortuorum, & campanarum. ib.
Quęst. I. *Requiritur ne in adultis ad digne baptismum suscipiendum fides in Christum, dolor de peccatis, & amor Dei incohatus?* ib.
Quęst. II. *Licite ne conferri baptisma aut mortuis, aut vivis pro mortuis valet?* ib.
Quæst. III. *Licitus ne est, & cuiusque superstitionis expers baptismus campanarum?* 107.

CAPUT XV.

De baptismi effectibus. ib.
Quæst. I. *Confert ne baptismus gratiam sanctificantem?* ib.
Quæst. II. *Aufert ne baptismus omnia peccata quoad rationem culpæ?* 108.
Quæst. III. *An baptismus deleat reatum pœnæ æternæ, & temporalis?* ibid.
Quæst. IV. *Baptismus imprimit ne characterem?* ibid.
Quæst. V. *Quandonam in praxi iterandus baptismus sit?* 109.
Quæst. VI. *Qui ab obstetrice baptizati sunt, debent ne iterum baptizari?* ib.
Quæst. VII. *An infantes expositi, schedam collati baptismi collo appensam habentes, sint rebaptizandi?* ib.
Quæst. VIII. *An baptismus ficte susceptus, sublata fictione, peccata deleat?* ib.
Quæst. IX. *An qui scienter rebaptizat, incurrat irregularitatem?* 110.

CAPUT XVI.

De baptismi cæremoniis. ibid.
Quæst. I. *Utrum requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat?* 111.
Qu. II. *Utrum quilibet indifferenter eligi in patrinum possit?* ib.
Quęst. III. *An pueri præditi usu rationis possint hoc munus subire?* ibid.
Quæst. IV. *An Parochi administrantes baptismum sine patrinis peccent mortaliter?* ibid.
Quæst. V. *An plures debeant esse patrini; & an Monachi, & Regulares possint hoc officium exercere?* ibid.
Quęst. VI. *Quot sunt personæ quibuscum patrinus contrahit cognationem spiritualem?* 112.

CAPUT XVII.

Professionis baptismalis onera. Abrenuntiationis vis, & significatus. ib.

DISSERTATIO II.

De sacramento confirmationis.

PRÆLOQUIUM. 116.

CAPUT I.

Confirmatio est verum sacramentum novæ legis. ibid.

CAPUT II.

De confirmationis materia. Plures quæstiunculæ resolvuntur. 119.

Quæst.

Quæst. I. *Quid sit chrisma, & ex quibus conficiatur?* 120.
Quæst. II. *Est ne necessarium balsamum in confirmationis materia necessitate sacramenti?* 121.
Quæst. III. *Utrum chrisma debeat necessario ab Episcopo esse consecratum?* ib.
Quæst. IV. *Unctio in modum crucis, facta in fronte, est ne materia proxima sacramenti confirmationis?* 122.

CAPUT III.

De forma sacramenti confirmationis. ibid.

CAPUT IV.

De auctore, & ministro confirmationis. 124.
Quæst. I. *An solus Episcopus sit ordinarius minister istius sacramenti?* ib.
Quæst. II. *Concedi ne potest simplici Sacerdoti facultas confirmandi?* 126.
Quæst. III. *An solus Papa possit simplici Sacerdoti potestatem confirmandi impertiri, secus Episcopus?* 127.
Quæst. IV. *An chrismatis sacramentum administratum ab Episcopo hæretico, validum sit?* 128.
Quæst. V. *An peccet mortaliter Episcopus, non confirmans opportunis temporibus in sua diœcesi, aut confirmans subditos alterius diœcesis?* ibid.

CAPUT V.

De subiecto, de dispositionibus, deque effectibus sacramenti confirmationis? ibid.
Quæst. I. *Quinam sint capaces sacramenti confirmationis?* ib.
Quæst. II. *Conveniens ne est ut post rationis usum pueris confirmatio administretur?* ib.
Quæst. III. *Num amentes, ægroti, & energumeni sint confirmandi?* 129.
Quæst. IV. *Quænam dispositiones requiruntur in adultis confirmandis?* ibid.
Quæst. V. *Requiritur ne ut confirmandi sciant symbolum apostolicum, sintque ieiuni?* ib.
Quæst. VI. *Quinam sunt confirmationis effectus?* 130.
Quæst. VII. *Confertur ne gratia sanctificans, seu gratum faciens, confirmationis sacramento?* ib.
Quæst. VIII. *Sacramentum confirmationis confert ne primam, aut secundam gratiam, quæ primam perficiat?* ib.
Quæst. IX. *Gratia quæ sacramenti confirmationis effectus est, quomodo differt a gratia baptismali?* ibid.
Quæst. X. *Animat ne confirmatio non modo ad fidei articulos, verum etiam ad moralis doctrinæ integritatem propugnandam?* 131.
Quæst. XI. *Sacramentum confirmationis imprimit ne characterem?* ib.

CAPUT VI.

De necessitate huius sacramenti. Refelluntur PP. Viva, La-Croix, & aliorum Casuista, rum opiniones laxæ. 132.

CAPUT VII.

De ritibus confirmationis. 135.
Quæst. I. *An sint adhibendi patrini in confirmatione?* ib.
Quæst. II. *Quinam in patrinos eligi possint?* 136.
Quæst. III. *Quid circa nominis, & vestium mutationem respectu confirmandi præscribant canones?* ib.
Quæst. IV. *Qui ritus confirmationem comitantur?* ib.
Quæst. V. *Quæ cæremoniæ subsequuntur confirmationem?* 137.

LIBER TERTIUS.

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PRÆLOQUIUM. 138.

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

De variis Eucharistiæ nominibus, eiusque definitione. 139

CAPUT II.

De materia Eucharistiæ. 141.
Quæst. I. *Utrum solus panis triticeus, & vinum de vite sit materia Eucharistiæ?* ib.
Quæst. II. *Quæ materiæ quantitas apta est consecrationi?* ib.
Quæst. III. *Quæ materiæ quantitas licite consecrari possit, & debeat?* ib.
Qu. IV. *Debet ne materia consecranda esse præsens consecranti?* ib.
Qu. V. *An materia consecranda designari a Sacerdote debeat?* 142.
Qu. VI. *An panis confectus ex amygdalis, castaneis, fabis, lentibus, fare, hordeo &c. sit materia consecrationis?* 143.
Quæst. VII. *An panis ex siligine sit materia sufficiens istius sacramenti?* ib.
Quæst. VIII. *Qui ritus olim servatus fuerit in præparandis panibus pro consecratione?* ib.

CA-

CAPUT III.

Utrum panis eucharisticus azymus debeat esse, an fermentatus? 144.
Quæst. I. *An valida sit consecratio tam in azymo, quam in fermentato?* 146.
Q. II. *An convenientior sit usus azymi quam fermentati, & an prudentiores in hac caussa Latini sint quam Græci?* ib.
Quæst. III. *An Græci apud Latinos, & Latini apud Græcos commorantes, vel peregrinantes valeant consecrare illi in azymo, isti in fermentato?* 147.

CAPUT IV.

De materia consecrationis calicis, nempe de vino, & aqua vino miscenda. 148.
Quæst. I. *An vinum de vite sit materia altera sacramenti Eucharistiæ?* ib.
Quæst. II. *Quænam sit quantitas vini adhibenda in consecratione calicis?* ib.
Qu. III. *An substitui vino alii liquores pro consecratione possint?* ib.
Quæst. IV. *Utrum aqua vino admiscenda sit in calicis consecratione?* 149.
Quæst. V. *Commixtio aquæ cum vino est necessaria necessitate sacramenti, an solius præcepti divini, vel ecclesiastici?* 150.
Qu. VI. *Qualis, & quanta debet esse aqua vino immiscenda?* ib.
Qu. VII. *An aqua vino immixta convertatur in sanguinem?* ib.
Quæst. VIII. *An aqua vino permixta prius convertatur in vinum, postea in sanguinem?* 151.
Qu. IX. *An una species possit sine altera consecrari in extrema necessitate, & accedente summi Pontificis dispensatione?* ib.

CAPUT V.

De verbis quæ formam sacramenti Eucharistiæ constituunt? 152.
Quæst. I. *Utrum Christus Dominus verbis usus sit in Eucharistiæ institutione?* ib.
Quæst. II. *An Eucharistia solis verbis dominicis, & non precibus, quæ antea, vel postea recitantur, consecretur?* ib.
Quæst. III. *An hæc sola dominica verba*, Hoc est corpus meum, *sint essentialia consecrationi panis eucharistici?* 153.
Qu. IV. *Sola ne hæc verba*, Hic est calix sanguinis mei, *vel* hic est sanguis meus, *sunt de essentia consecrationis calicis; an vero etiam alia quæ sequuntur*, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, *ad essentiam consecrationis pertinent?* 154.
Quæst. V. *Historice ne, an assertive, & significative præfata consecrationis verba pronuntiantur?* ib.
Quæst. VI. *Utrum Christus adhibuerit particulam* enim *in consecratione panis?* ib.
Quæst. VII. *Peccaret ne mortaliter qui hanc particulam* enim *omitteret?* 155.
Quæst. VIII. *Qui omitteret particulam* enim *ex contemptu, peccaret ne mortaliter?* ibid.
Qu. IX. *Quid de his innumeris quæstiunculis dicendum? Nempe an valida sit consecratio, si quis dicat. 1. Hoc est corpus Christi. 2. Hic est corpus meum. 3. Ecce corpus meum. 4. Hæc est caro mea. 5. Hic cibus est meum corpus. 6. Hoc fit, fiat, ut sit corpus meum. 7. Ego consecro hunc panem in corpus meum. 8. Ego conficio corpus meum ex pane. 9. Accipite, & comedite hoc corpus meum. 10. Hæc est substantia mea. 11. Hic est cibus meus. 12. Illud est corpus meum. 13. Meum est hoc corpus. 14. Hoc corpus est meum. 15. Hoc est corpus meum. 16. Hic est calix sanguinis mei?* ib.

CAPUT VI.

De vera & reali Christi præsentia in Eucharistia. 156.

§. I.

Christus Dominus Ioannis VI. *corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum promisit se nobis daturum vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus panis & vini; promissionemque in Eucharistiæ institutione implevit. Quæ catholica veritas adversus Sacramentarios demonstratur.* 159.

§. II.

Realis, & substantialis præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia ex perpetua, & constanti Patrum, & Conciliorum traditione demonstratur. 165.

§. III.

De dogmate transubstantiationis adversus Lutheranos impanatores, & consubstantiatores. 169.

§. IV.

Nonnullæ quæstiunculæ Eucharistiam spectantes resolvuntur. 174.
Quæst. I *An totus Christus sit in hoc sacramento?* ib.
Quæst. II. *An Christus sit totus in qualibet specierum parte?* ib.
Quæst. III. *An Christus sit in hoc sacramento sicut in loco?* 175.
Quæst. IV. *Potest ne corpus Christi oculo corporali, aut intellectuali in hoc sacramento percipi?* ibid.

Quæst. V.

Quęst. V. *An accidentia, seu species sacramentales & corrumpi, & nutrire valeant?* ib.
Quæst. VI. *Quantum temporis interfluere debeat, ut particulæ in communione receptæ species corrumpantur?* ibid.
Quęst. VII. *An si sanguini sub speciebus vini consecrato vinum infundatur, desinat esse sanguis sub eisdem speciebus?* 176.

§. V.

Aliæ quæstiunculæ de adoratione Christi in Eucharistia, de eiusdem conservatione, expositione, festo, aliisque resolvuntur. ib.
Quęst. I. *Utrum Christus in Eucharistia existens adorandus sit cultu latriæ?* ibid.
Quæst. II. *An religiose in templis custodienda, & asservanda Eucharistia sit?* 177.
Quęst. III. *Pia ne est & religiosa festi Corporis Christi institutio?* ib.
Quęst. IV. *Religiosa ne est solemnis Corporis Christi in processionibus circumgestatio?* 178.
Quæst. V. *Pia ne est & religiosa Eucharistiæ expositio?* ib.
Quæst. VI. *Licitum ne est in itineribus Eucharistiam collo appensam deferre?* 179.

CAPUT VII.

De Eucharistiæ distribuendæ ministro ordinario, & extraordinario. 180.
Quæst. I. *An soli Sacerdotes sint dispensandæ Eucharistiæ ministri ordinarii?* ibid.
Quæst. II. *An Diaconi possint esse extraordinarii Eucharistiæ dispensatores?* ib.
Quæst. III. *Absente Presbytero, potest ne Diaconus infirmis Eucharistiam dispensare?* 181.
Quæst. IV. *An extrema necessitate urgente, possint, absente idoneo ministro, Subdiaconi, Clerici, laici semetipsos, & alios communicare?* ibid.
Quæst. V. *An Sacerdotes, & Diaconi possint semetipsos communicare, cum alii idonei ministri desint?* ib.
Quæst. VI. *Tenetur ne Parochus tempore pestis cum vitæ periculo communicare suos parochianos?* 182.
Quæst. VII. *Licitum ne est a Sacerdote excommunicato, schismatico, hæretico, sacramentum Eucharistiæ suscipere in mortis articulo?* ib.
Quæst. VIII. *An peccet mortaliter Sacerdos administrans sacramentum Eucharistiæ absque superpelliceo, & stola?* ib.

CAPUT VIII.

De subiecto capaci ad suscipiendum Eucharistię sacramentum. ib.
Quæst. I. *Administranda ne parvulis est Eucharistia?* 183.
Quæst. II. *Administrandum ne est hoc sacramentum amentibus, & energumenis?* ibid.
Quæst. III. *Supplicio extremo plectendis administranda ne Eucharistia est?* ibid.
Quæst. IV. *Administranda ne est mortuis Eucharistia?* ib.
Q. V. *An concedenda sit Eucharistia publicis peccatoribus?* 184.
Quæst. VI. *Peccatori occulto publice petenti Eucharistiam, concedenda ne est?* ibid.
Q. VII. *Si quis hoc loco sit publicus peccator, & alio pergat, ubi sit occultus, & publice petat Eucharistiam, deneganda ne illi est?* 185.
Q. VIII. *Potest ne Sacerdos administrare Eucharistiam publico peccatori ob metum mortis, aut notabilis suæ infamiæ?* ibid.
Q. IX. *Peccatori occulto publice petenti Eucharistiam potest ne Sacerdos præbere hostiam non consecratam ad illius sacrilegium vitandum?* ibid.
Quæst. X. *Quid de corruptela, quæ alicubi grassatur: an liceat Sacerdoti simulare se hostiam immittere in os peccatoris ad vitandam infamiam, vel damnum accedentis?* ib.

CAPUT IX.

De necessitate, seu divino præcepto sumendæ Eucharisticæ communionis 186.
Q. I. *Eucharistia est ne necessaria necessitate medii ad salutem?* ib.
Quæst. II. *Est ne necessaria Eucharistia necessitate medii saltem in voto?* ibid.
Quæst. III. *Eucharistia est ne necessaria vi divini præcepti?* 188.
Quæst. IV. *Quinam hoc divino præcepto obligantur, an soli baptizati, an etiam non baptizati?* ib.
Q. V. *Quandonam obligat præceptum istud divinum?* 189.
Q. VI. *Qui paullo ante quam incideret in mortis periculum, communicavit, astringitur ne iterum sumere sacrum viaticum?* ib.
Quæst. VII. *An hoc divinum præceptum pluries obliget?* 190.
Quæst. VIII. *Hoc divinum præceptum obligat ne ut Eucharistia sub utraque specie sumatur?* ib.
Quæst. IX. *Prudenter ne Ecclesia subtraxit laicis calicis usum; & an illum permittere expediat?* 191.
Q. X. *Quid sit communio laica, peregrina, & præsanctificatorum?* 192.

CAPUT X.

De effectibus Eucharistiæ, quorum descriptione cordis amor erga augustissimum sacramentum accenditur. 193.

CAPUT XI.

De dispositionibus tum animæ, tum corporis ad Eucharistiam digne suscipiendam. 196.
Q. I. *Qui post obtentam absolutionem recordatur se aliquod perpetrasse grave crimen quod ex inculpabili oblivione non est confessus, debet ne ante communionem ad Confessarium redire?* 198.
Quęst. II. *Dispositio necessaria ne est immunitas ab affectu ad peccata venialia?* ibid.

§. I.

Plures aliæ quæstiunculæ de præparatione ad communionem. Improbabiles PP. La-Croix, Viva, Tamburini, *& aliorum Casuistarum opiniones refelluntur.* 199.
Quæst. I. *An præceptum de præmittenda confessione ab eo qui est in peccato mortali, sit divinum, an humanum?* ib.
Quæst. II. *Quid sentiendum de interpretatione* P. Tamburini *in præceptum Concilii Tridentini confitendi* quam primum? 200.
Q. III. *Quid dicendum de interpretatione* P. Claudii La-Croix, P. Viva *& aliorum in præfatum Tridentini præceptum?* ibid.
Quæst. IV. *Quandonam elicere actum contritionis debet laicus, conscius peccati mortalis, qui urgente necessitate ad Eucharistiam sine confessione accedit?* 201.
Q. V. *An præfatum Tridentini mandatum obliget etiam laicos?* 202.
Q. VI. *Quid dicendum de opinione* P. Vasquez, *&* Leandri, *asserentium, Sacerdotem, peccantem mortaliter in ipsius Missæ celebratione, non obstringi ad confitendum* quam primum? ibid.
Quæst. VII. *Quæ necessitas dicatur urgens, ut quis communicare possit non præmissa confessione mortalium?* 203.
Quęst. VIII. *Quandonam deest copia Confessarii?* 205.
Q. IX. *Quando in aliquo monasterio, seu communitate usus obtinet quotidie celebrandi, aut communicandi certis diebus mensis, aut hebdomadæ, nec haberi potest Confessarius pro obliris, licitum ne est communicare non præmissa confessione?* ibid.
Q. X. *Si quis confessus est peccatum mortale, tamquam dubium, & ante communionem agnoscat esse certum, tenetur ne iterum confiteri?* ibid.
Quęst. XI. *Habens peccatum reservatum poterit ne, urgente necessitate, communicare, non præmissa confessione ob penuriam Confessarii, qui valeat a reservatis absolvere?* 206.
Quæst. XII. *Quem sensum præfert hæc particula confitendi* quam primum? ibid.
Quæst. XIII. *Licitum ne unquam est communicare sine confessione, & contritione, atque adeo in peccato mortali, ut contendunt PP.* Tamburinus, *&* Viva? 207.

§. II.

De devotione qua anima a culpis mundata præparare se ad communionem debet. 208.

§. III.

De corporis dispositione ad sacram communionem. Laxæ opiniones quorumdam Casuistarum refelluntur. 213.
Q. I. *Est ne necessarium ieiunium ad Eucharistiam sumendam?* ib.
Q. II. *An sumi aliquando Eucharistia possit a non ieiuno?* 214.
Q. III. *Potest ne Sacerdos, ut administret viaticum infirmo, privatim proferre verba consecrationis sine vestibus sacris, sine altari &c.* 215.
Quæst. IV. *Potest ne Sacerdos ob necessitatem perficiendi sacrificium communicare non ieiunus?* ibid.
Quæst. V. *Quantum temporis interfluere debet Eucharistiam inter & cibum?* 216.
Quæst. VI. *An ad Eucharistiam præcedere somnus debeat, & ciborum digestio?* ibid.
Quęst. VII. *Quid de casu quem proponit P. Claudius LaCroix de Sacerdote primam Missam canente?* 217.
Quæst. VIII. *An pollutio nocturna impediat accessum ad communionem?* ibid.
Quæst. IX. *An sit peccatum mortale, eodem die quo perpetrata voluntaria pollutio, vel fornicatio est, etiamsi præcedat confessio sacramentalis, communicare?* 218.
Quæst. X. *An licitum sit accedere ad Eucharistiam post coniugalem copulam?* ibid.
Quæst. XI. *Quid dicendum de ornatu exteriori corporis, seu de vestibus mulierum, virorum, & Sacerdotum?* 219.

CAPUT XII.

De frequenti communione. ibid.

§. I.

Non expedit omnes fideles qui maiorem dispositionem

nem non habent præter gratiam habitualem, quotidie communicare. 221.
DECRETUM Ven. Innoc. XI. de quotidiana communione. ibid.

§. II.

Decretum Innocentii XI. consentaneum est Patrum traditioni, quorum aliqua testimonia referuntur, seu regulæ pro vel frequenti, vel rariori communione. 223.

§. III.

Testimonia SS. Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum Theologorum. 224.

§. IV.

Nonnullæ adversariorum obiectiunculæ diluuntur. Impostura P. Nicolai Ghezii *exploditur.* 227.

§. V.

Sacrilegarum communionum caussæ invictis argumentis manifestantur. 230.

§. VI.

Nonnulla consectaria pro Confessariis. Quando concedere, aut denegare communionem debeant. 235.

§. VII.

De Sacerdotibus quotidie celebrantibus, qui vel tepidi sunt, vel in flagitia præsertim carnis prolabuntur. 237.

§. VIII.

Sacerdotes in flagitia carnis relabentes, tametsi confiteantur, non sunt ad quotidianam celebrationem admittendi. 239.

DISSERTATIO II.

De sacrificio Missæ.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit sacrificium. Quænam eius necessitas. 244.

CAPUT II.

De sacrosancto Missæ sacrificio. 246.

§. I.

Fidei catholicæ dogma est, Eucharistiam esse verum sacrificium, quod in Missa offertur. ibid.

§. II.

Sacrificii Missæ essentia explicatur. 251.
Qu. I. *Utrum essentia sacrificii Missæ sita sit in oblatione?* ibid.
Quæst. II. *An fractio, commixtio specierum, distributio, & earumdem consumptio sint de essentia sacrificii?* ib.
Qu. III. *An consecratio Sacerdotis sit de essentia sacrificii?* ibid.
Quæst. IV. *An communio Sacerdotis sit pars essentialis sacrificii Missæ, aut solum integralis?* ib.
Quæst. IV. *An consecratio utriusque speciei panis, & vini ad essentiam sacrificii pertineat?* 252.
Quæst. VI. *Si Christus, peracta consecratione, appareret per miraculum sub specie carnis & sanguinis, esset ne utrumque a Sacerdote sumendum?* ibid.
Quæst. VII. *Quid agendum, si aliquid veneficum post consecrationem deprehendatur in calice?* ib.

CAPUT III.

De valore sacrificii Missæ, eiusque effectibus. 253.
Quæst. I. *Est ne infinitus valor sacrificii Missæ?* ib.
Quæst. II. *Qui sint effectus sacrificii Missæ?* ibid.

CAPUT IV.

Cui, & pro quibus sacrificium Missæ offeratur. 254.
Quæst. I. *Offerri ne sacrificium Missæ potest pro omnibus hominibus mortalem vitam degentibus, paganis, Iudæis, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, cathecumenis, maxime tamen pro fidelibus?* 255.
Qu. II. *An liceat offerre sacrificium pro damnatis, & beatis?* 256.
Quæst. III. *An offerri sacrificium pro defunctis in purgatorio detentis possit?* 257.

CAPUT V.

De ministro sacrificii Missæ. 258.
Qu. I. *An plures Sacerdotes possint eamdem hostiam consecrare?* 259.
Quæst. II. *An scelesti Sacerdotes valide consecrent?* ibid.
Quæst. III. *An Sacerdotes hæretici, schismatici, suspensi, excommunicati, degradati valide sacrificium perficiant?* ibid.
Quæst. IV. *Licet ne communionem petere ab hæreticis, excommunicatis, schismaticis?* ibid.
Quæst. V. *An liceat Sacerdoti celebrare Missam privatam?* ib.

CAPUT VI.

De eleemosyna pro Missis celebrandis collata. 260.

§. I.

CONFIRMATIO DECRETORUM Congregationis S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, super celebratione Missarum, etiam cum declarationibus, & innovatione decretorum, ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. desuper alias factorum. 262.

§. II.

§. II.

Plures quæstiunculæ casuisticæ resolvuntur de Missæ stipendio. 272.
Quæst. I. *A quo taxanda est eleemosyna conferenda Sacerdoti Missam celebranti?* ibid.
Quæst. II. *An liceat Sacerdoti diviti eleemosynam accipere, ut Missam celebret?* 273.
Qu. III. *Quinam Sacerdotes simoniæ suspicionem præbeant?* ib.
Quæst. IV. *An licitum sit de pacisci stipendio Missarum?* ibid.
Quæst. V. *An Sacerdos valeat accipere eleemosynam unam pro fructu speciali, alteram pro fructu specialissimo?* 274.
Quæst. VI. *An Sacerdos qui, ut celebret, cogitur emere sacras vestes, candelas &c. possit licite stipendia Missæ augere?* ib.
Quæst. VII. *Utrum Sacerdos possit per alium celebrare, retenta sibi parte stipendii accepti?* ib.
Quæst. VIII. *Beneficiarius, quando per alium celebrare cogitur, licite ne præbere valet consuetam eleemosynam, tametsi ex beneficio maior percipiatur?* 276.
Q. IX. *Qui accipit plura stipendia exigua singulis Missam promittens, potest ne unica Missa pro omnibus satisfacere?* ib.
Quæst. X. *An Sacerdos possit accipere duplex stipendium, alterum pro præsentia seu officiatura in Ecclesia designata, alterum pro applicatione?* ibid.
Q. XI. *Potest ne unica Missa pluribus obligationibus satisfieri?* 278.
Quæst. XII. *Quamdiu differri celebratio Missæ potest, pro qua acceptum stipendium est?* ib.
Quæst. XIII. *Quid agendum sit Sacerdoti qui celebrare nequit Missas pro quibus stipendia accepit?* ibid.
Quæst. XIV. *Qui vovit Missam in gratiarum actionem celebrandam, potest ne accipere stipendium?* ibid.
Quæst. XV. *Qui accepit stipendium, ut celebret Missam* de Requie, *peccat ne, si aliam Missam legat?* ibid.
Quæst. XVI. *Quid, si Sacerdos qui omni die ex onere capellaniæ, vel legati celebrare astringitur, nequeat celebrare, quia Confessarius eidem suspendit celebrationem ob crimina pollutionis, fornicationis &c.* ib.
Quest. XVII. *Quid, si institutor capellaniæ, legati &c. expresse non præscribat, quoties, vel secundum quam intentionem celebrandum sit?* 279.
Quæst. XVIII. *Sacerdos, laborans morbo caduco, vel lepra, celebrare ne debet?* ibid.
Qu. XIX. *An liceat celebrare Missam siccam, & Gregorianam?* ib.
Quest. XX. *Quæ remedia adhibere Sacerdos scrupulosus in consecratione, & celebratione Missæ debeat?* ib.
Quest. XXI. *Ad quem attineat Missam applicare; & quæ intentio requiratur?* 280.
Quest. XXII. *An licita & valida sit applicatio Missæ pro illo quem Deus novit primo daturum stipendium?* 281.
Qu. XXIII. *Quid de reductione Missarum dicendum est?* ibid.
Quest. XXIV. *Quibus diebus animarum curam gerentes applicare Missam debent pro grege illis commisso?* 282.
SANCTISSIMI Domini Nostri BENEDICTI Papæ XIV. EPISTOLA ENCYCLICA super Missa parochiali, & conventuali. ibid.

CAPUT VII.

Quando, quoties, & quo loco celebrandum sit. 288.
Quest. I. *Qua hora celebrare licet?* ibid.
Quæst. II. *Quodnam peccatum perpetrat qui ante, vel post præscriptum tempus celebrat?* ibid.
Quæst. III. *Licitum ne est celebrare tribus ultimis diebus hebdomadæ sanctæ?* ibid.
Quæst. IV. *Quandonam licet pluries eodem die celebrare?* ib.
Quæst. V. *Quo loco celebranda sit Missa?* 289.
DECRETUM CLEMENTIS XI. ibid.
Quæst. VI. *Quid de Oratoriis privatis dicendum?* 290.
Quest. VII. *An qui non sunt de familia, satisfaciant præcepto diei festi audiendo Missam in Oratoriis privatis?* 291.
Qu. VIII. *Quid dicendum de abusu differendi celebrationem Missæ in privatis Oratoriis ultra horam præscriptam?* 292.
Qu. IX. *Quid dicendum de Ecclesiæ benedictione, & consecratione?* ibid.
Quæst. X. *Quid sit Ecclesiæ pollutio?* ib.
Quæst. XI. *Ecclesia destructa, quid de lignis, lapidibus, & fundo agendum est?* 293.
Quæst. XII. *Quale altare requiratur ad sacrificium?* ib.
Quæst. XIII. *Quodnam altare sit execratum?* ib.

CAPUT VIII.

De præcepto quo Sacerdos celebrare astringitur cum ministro. ib.
Q. I. *An Sacerdotes teneantur Missæ sacrificium offerre?* ib.
Quæst. II. *An Sacerdos sine ministro celebrare valeat?* 295.

CA-

CAPUT IX.

De ritu, seu cæremoniis quibus celebrari Missa debet. ib.
Quæst. I. *Quotuplex est cæremoniarum Missæ genus?* ib.
Quæst. II. *Quot sunt ornamenta sacerdotalia?* ib.
Qu. III. *Quænam sunt sacrarum vestium mysticæ significationes?* 296.
Quæst. IV. *Licitum ne aliquando est absque sacris vestibus celebrare?* ib.
Quæst. V. *Urget ne præceptum recitandi præscriptas preces in vestibus sacris induendis?* ib.
Quæst. VI. *Licitum ne est ad evitandam mortem sine vestibus sacris celebrare?* ibid.
Quæst. VII. *Quid dicendum de vestibus ipsius Sacerdotis, de capillitio, annulo, & baculo?* 298.
Quæst. VIII. *Quot in partes Missa tribuitur, & quæ cæremoniæ ipsam comitantur?* 299.

CAPUT X.

Nonnulla aliæ quæstiunculæ circa Rubricas, & ritus Missæ celebrandæ. 301.
Quæst. I. *Est ne peccatum mortale negligere Rubricas in Missa celebranda?* ib.
Quæst. II. *Qui omittit aliquam Missa partem, peccat ne mortaliter?* ib.
Qu. III. *Licet ne aliquid addere, vel immutare in Missa?* 302.
Quæst. IV. *Quid de verborum expressione dicendum?* ib.
Quæst. V. *Quantum temporis insumere Sacerdos debet in Missa celebranda?* ib.
Quæst. VI. *Quæ distractio mentis reputanda est mortalis in Missæ celebratione?* 303.

FINIS.

LIBER PRIMUS

DE SACRAMENTIS in genere

DISSERTATIO UNICA

CAPUT I.

Propositiones ab Ecclesia damnatæ.

ALEXANDER VII.

damnavit sequentes.

8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

9. *Post decretum Urbani potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

10. *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.*

39. *Illa particula* quam primum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

INNOCENTIUS XI.

1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, convenio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

29. *Urgens metus gravis est caussa iusta sacramentorum administrationem simulandi.*

56. *Frequens confessio, & communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

ALEXANDER VIII.

22. *Sacrilegi sunt iudicandi qui ius ad communionem percipiendam prætendunt, ante quam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

23. *Similiter arcendi sunt a sacra communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

29. *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus,* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *prætermissis illis verbis,* Ego te baptizo.

30. *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observet; intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

§. I.

Brevis expositio thesis ab Innocentio XI. proscriptæ.

I. PRima thesis proscripta a Ven. Innocentio XI. est legitimum consectarium Probabilismi. Ante eiusmodi thesis proscriptionem, Probabilistæ maiori ex parte (nam circiter septuaginta numerantur) usum Probabilismi in quacumque materia licitum propugnabant. P. Gabriel Vasquez 1. 2. *q.* lxiii.

c. III. *& III. Part. disp.* CXLVI. *c.* IV. *num.* 27. docet lædi quidem caritatem, secus reverentiam sacramentis debitam, si in administrandis sacramentis sequamur opinionem minus probabilem. Idem docet P. Thomas Sanchez *Lib. I. in Decal. cap.* IX. *num.* 33. ubi hæc habet: *Existimo tamen probabilius esse licere in sacramentorum administratione uti opinione minus probabili, relicta probabiliore, ac tuta, non obstante irritandi sacramenti periculo, cum duplici tamen limitatione. Prior est, ut sit in re quæ non est contra communem Ecclesiæ usum præscribentem ut eo modo, & non aliter administrentur sacramenta .... Posterior est, ne pars minus tuta, quamvis probabilior sit, deroget obligationi caritatis, & misericordiæ, respicientis remedium proximi.*

II. P. Dominicus Viva in hanc thesim *num.* 8. refert, PP. *Serra*, & *Ledesma* Dominicanos docuisse damnatam propositionem: potuisset addere etiam *Medinam*, *Ildephonsum*, & alios istius Ordinis Probabilistas, quos ego non minus ac Probabilistas alterius instituti, confutare soleo. Unum ego petere iure valeo, ut qua libertate P. Viva cum aliis recenset laxas Dominicanorum quorumdam qui post Medinam usque ad annum circiter 1656. scripserunt, opiniones, eadem mihi aliorum Probabilistarum opinationes, morum integritati adversas, refellere sine reprehensione licitum sit; non ut vices rependam, sed ut lectores instruam, & quid cavere illi debeant, patefaciam. Medina, Ildephonsus, Ferre, Serra, Zanardus, & pauci alii Dominicani Probabilistæ vix noti sunt Confessariis, Parochis, aliisque qui morum doctrinæ student: siquidem Auctores isti volumina ediderunt Theologiæ scholasticæ, & de actibus humanis scribentes Probabilismi controversiam tractarunt. Istorum libri in bibliothecis iacent, nullique nocumentum inferunt. Et hoc est in caussa cur ego illorum examen præteream. At opera Tamburini, Escobarii, Castropalai, Sporer, Viva, Salmanticensium, Leandri, Dianæ, Bonacinæ, & similium, omnium manibus teruntur: idcirco istorum opiniones, quæ imbecillitati meæ falsæ, & laxitatis plenæ apparent, refello, lectoresque, ut ab eisdem caveant, moneo. Huc unice pertinet in hoc negotio consilium meum. Sed hæc dicis caussa. In semitam revertamur.

III. Ratio cur plusquam septuaginta Probabilistæ cum Medina propugnarunt damnatam thesim, est unica totius Probabilismi basis, & fundamentum. Inquiunt enim: Qui sequitur opinionem probabilem, omissa tutiore, prudenter, atque adeo licite operatur: ergo qui amplectitur opinionem probabilem de valore sacramenti, quamvis omittat tutiorem, prudenter, ac licite operatur. Probabilistæ qui post damnatam thesim scripserunt, disparitates assignare conantur varias; sed omnes ineptas demonstrabo *Tom. II. Appar. ad Theolog.* & iam omnia effugia præclusi *Tom. II. Hist. Probabilismi*.

IV. Opinionem supra relatam Vasquez, & Sanchez damnatam censeo, sin minus explicite, saltem implicite. Nec limitationes adiectæ a P. Sanchez vim damnationis elevant. Nam eiusmodi limitationes continentur in ipsa proscripta thesi. *Nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*. Nec ipse P. Dominicus Viva *loc. cit. n.* 11. audet asserere præfatam opinionem non esse implicite proscriptam: solum asserit explicite damnatam non esse. Mihi nunc sat est admonere lectorem, hanc opinionem falsam esse, & improbandam, tamquam sacramentorum dignitati iniuriosam. Quandoquidem minor probabilitas in conspectu maioris violat caritatem, fatentibus *Vasquez*, & *Sanchez*, erga proximum: quia, neglecto remedio certo, porrigitur minus certum. Ergo eadem ratione pessumdatur religio, & reverentia erga sacramenti dignitatem, quando omissa sententia probabiliore, & tutiore, eligitur opinio minus probabilis: quia contingere potest ne adhibeatur in sacramentis conficiendis materia a Christo prædefinita. Plura adversus præfatam doctrinam mihi dicenda essent, nisi & *loc. cit.* multa dicta fuissent, & iterum infra dicenda forent.

V. Hæc pauca delibare volui, priusquam ingrederer tractatum sacramentorum, ut cautum lectorem redderem in legendis libris quorumdam Casuistarum, præsertim in controversiis de sacramentis. Licet enim novi Probabilistæ absolute subscribant damnatæ thesi, nihilominus variis commentis vim damnationis elevare student. P. Dominicus Viva *loc. cit. num.* 10. distinguit cum aliis probabilitatem speculativam, & probabilitatem practicam, ut a damnationis censura subducat doctrinam Cardinalis de Lugo, qui *disp.* VII. *de pœnit. n.* 273. docet in administratione sacramentorum licitum esse sequi opinionem practice probabilem, omissa tutiore. *Quæ sententia*, inquit P. Viva, *neque hic reiicitur, neque est reiicienda*. Hoc P. Viva commentum, sane vanissimum, penitus deludit damnationem thesis. Numquid Auctores damnatæ thesis loquuntur de probabilitate speculativa, & non practica? An non loquuntur de probabilitate dirigente operationem, seu

seu administrationem sacramentorum? An omnes Probabilistæ non requirunt probabilitatem practicam, ut operatio licita sit? At, inquies, nulla opinio est practice probabilis, quando exponit sacramentum periculo frustrationis. Ergo erravit De Lugo, docens licitum esse universim in sacramentis conficiendis sequi opinionem practice probabilem, omissa tutiore, & probabiliore. Ergo gravius, ut mea minime præfert opinio, errat P. Viva, qui post proscriptam thesim propugnat, hanc Cardinalis De Lugo sententiam *non esse reiiciendam*.

VI. Relictis itaque captiosis commentis, quando de sacramentorum valore agitur, tutior opinio amplectenda est. Plura hic dicenda forent de iurisdictione probabili contra eumdem Viva, & La-Croix, qui Probabilismi iura, ut mihi videtur, nimis amplificant. Verum hæc discutienda remitto ad tractatum de Pœnitentia.

§. II.

Propositiones laxæ Casuistarum.

I. P. La-Croix *Lib. VI. part.* I. *num* 102. „ Dicendum est . . . eum non peccare mortaliter qui in mortali formam sacramenti inchoat, dummodo ante expressionem ultimæ partis essentialis sit in statu gratiæ; quidquid in contrarium dicant Aversa, & alii. "

II. P. Matthæus Moya in *quæst. select. Tom. I. tract.* IV. *Miscellan. quæst.* II. §. 3. *num.* 13. *&* 14. „ Non est cur ob metum, saltem mortis, non liceat simulatione huiusmodi in omnibus sacramentis uti. Hinc si hæreticus (non in odium fidei) minaretur mortem Sacerdoti, nisi omnem panem in foro existentem consecraret, posset ille consecrationis verba proferre absque intentione consecrandi, *absque ullo peccato* contra religionem, vel iustitiam, & absque ulla mendacii labe. "

III. Ioannes Sanchez in *select. disp.* XXXV. *num.* 6. „ Nec obstat aliquos adorare talem panem tamquam consecratum: erit enim idololatria materialis, quam Sacerdos in illo casu vitare non tenetur. "

IV. P. Hieronymus Llamas in *Method. I. Part. cap.* I. §. 5. *& Part. II. cap.* II. §. 12. Vide Leandrum a SS. Sacramento *Part. I. tract.* I. *disp.* VI. *quæst.* VIII. „ Ad alia administranda sacramenta, immo & Eucharistiam sacram aliis dandam, non credimus obligare præceptum contritionis. Quia „ qui sacramentum administrat in mortali, non ponit obicem gratiæ . . . ergo non est nova culpa, cum dans sacramentum non sit recipiens. " Granados *ibidem* probabilem reputat hanc opinionem.

V. Torrecilla *Tom. II. Sum. tract.* IV. *disp.* I. *cap.* V. *n.* 5. „ Capax est baptismi infans in utero matris, etsi nulla eius pars in lucem prodeat, dummodo aqua introduci ibi possit. "

VI. Idem Torrecilla *loc. cit. disp.* II. *cap.* VII. *n.* 3. „ Nullum est peccatum, sacramentum confirmationis non recipere, etiam in eo qui commode potest, nisi ex contemptu illud omittat. Nec illud contemnere est iudicandum, nisi illud non recipere eo sit vel quia parvi momenti, vel indignum sibi, vel ut puerile id habeat. "

VII. Idem Torrecilla *ibid. cap.* III. *num.* 8. „ Necessitate sacramenti in confirmatione non requiritur quod unctio fiat digito Episcopi: sufficit enim ad valorem quod aliquo instrumento fiat. "

VIII. P. Dominicus Viva in *Curs. Theolog. Part. V. quæst.* III. *art.* 2. *num.* 6. „ Respondeo cum communi apud Dianam . . . non esse mortale illud (*sacramentum confirmationis*) nolle suscipere, præciso contemptu, & scandalo. Immo ex Trull. & Henr. contra Nav. apud Coninck, nec veniale quidem, cum nullibi extet præceptum de illo suscipiendo. "

IX. P. Cladius La-Croix *Lib. VI. part.* I. *dub.* 3. *num.* 395. *quæst.* LXXII. „ Quid præterea notandum sit circa necessitatem confirmationis? Resp. Fuisse olim præceptum ecclesiasticum, ut susciperetur confirmatio, colligit Dicastillo hic num. 105. ex variis Conciliis, & dictis SS. PP. Recte autem docet dub. 10. cum communi, per desuetudinem nunc desiisse illud præceptum. "

X. P Thomas Tamburinus *Lib. III. de Confirm. cap.* III. §. 4 *num.* 2. „ Non tamen iidem peccant nec mortaliter, nec venialiter, si citra contemptum, vel quid simile, data occasione, id negligant: quia de hoc nullum apparet præceptum: quæ est sententia Suarez . . . . contra Caietanum, & alios nonnullos, putantes esse veniale. Unde *non est fides adhibenda Leandro* . . . . qui trahit ad se Suarezium, quasi concedentem esse veniale. "

XI. Sylvester verb. *Eucharistia* 3. §. 1. „ Vicetur mortale in tali articulo (mortis) contemnenti, idest negligenti communicare . . . Sed quia sumptio Eucharistiæ non

 „ est

„ est ex necessitate salutis, sed ex statuto „ Ecclesiæ; ideo verius est, hoc non esse „ mortale, ubi sola negligentia est in caussa."

XII. P. Paulus Layman *Lib. V. tract.* IV. *cap.* V. *num.* 4. „ Quare ita distinguendum „ est cum Paludano .... Vel infirmus pau„ lo ante, puta octo, vel decem diebus com„ municavit, cum sanus esset, & nihil de „ *mortis periculo* cogitans: tunc non tenetur „ iterum communicare in morbum lapsus."

XIII. P. Didacus Nugo Cabazudo in *III. Part. D. Thom. quæst.* LXXII. *art.* 8. *dub.* 2. „ Fideles non habent divinum præceptum su„ scipiendi sacramentum confirmationis..... „ Nullum est positum præceptum ab Eccle„ sia de sacramento confirmationis ... *Per* „ *se loquendo* non est peccatum etiam venia„ le non velle suscipere hoc sacramentum."

XIV. P. Matthæus Moya in *quæst. select. Tom.* I. *tract.* IV. *Miscellan. de Sacram. quæst.* XI. *num.* 7. „ Unde facile diluitur fun„ damentum asserentium esse peccatum ve„ niale, eo quod sit spiritualis quædam pro„ digalitas se privare tanto fructu huius sa„ cramenti (confirmationis) quando quis „ *commode* percipere potest. Quæ quidem ra„ tio nimium probat, ac *proinde nihil*."

XV. Idem P. Moya *loc. cit. num.* 11. „ Ex „ eo quod non detur præceptum confirmatio„ nis per se loquendo, inferunt non esse ve„ nialem eius omissionem ..... Ergo ex „ eo quod nullum detur præceptum prohi„ bens suscipere ordines, non præcedente „ confirmatione, infertur similiter non esse „ veniale ante confirmationem illos suscipere."

XVI. PP. Salmanticenses *tract.* I. *cap.* VII. *punct.* 11. *num.* 107. „ Immo si confessionem „ sacramentalem in peccato mortali tantum „ audiat, dummodo habeat propositum con„ fitendi, vel habendi actum contritionis, „ antequam verba absolutionis proferat (non „ peccat mortaliter) ut dicunt Henriquez, „ & Diana."

XVII. P. Leander *tract.* VII. *disp.* IX. *quæst.* VI. „ Ego vero sub distinctione respondeo. „ Si particula *enim* (in verbis consecratio„ nis) omittatur *ex contemptu formali*, mor„ tale erit illud omittere: quia contemptus „ formaliter est, directe se opponere præce„ pto superioris, quod est mortale. Si vero „ omittatur ex *contemptu materiali*, nempe „ quia præceptum est de re levi, tunc non „ erit mortale illud omittere."

XVIII. Idem Leander *loc. cit. disp.* VII. *quæst.* LXI. „ In casu quo maritus minaretur „ mortem uxori, nisi communicaret, ut sic „ suspicionem adversus illam abiiceret: tunc „ enim optime poterit simulare se Euchari„ stiam suscipere, sicut potest simulare se sa„ cramentaliter confiteri: quia in eo casu „ optime potest absque mendacii crimine uti „ æquivocatione: ergo & Sacerdos etiam si„ mulare se hostiam in os eius immittere."

XIX. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* I. *de Euch. num.* 546. §. 4. „ Docent Suar. „ Vasq. Say. Marchant. Nugn. Lugo *num.* „ 150. Diana *part.* 2. *t.* 14. *res.* 61. Dicastil. „ *num.* 155. Aver. §. *quinto*. Io. Sanch. *d.* „ 31. *num.* 12. Gob. *num.* 440. Pelliz. *de Re*„ *gular. t.* 6. *cap.* I. *num.* 69. Leander *num.* „ 385. & in hoc conveniunt fere omnes, in„ quit Moya *t.* IV. *quæst.* VI. §. I. citans val„ de multos, *quod Sacerdos non teneatur hoc* „ *præcepto, si habens copiam Confessarii non* „ *sit confessus ex malitia*: quia licet gravius „ peccet, tamen in præceptis positivis non „ valet argumentum a minori ad maius, vel „ ad simile, uti cum communi Lugo in *Resp.* „ *Mor. Lib. IV. dub.* 47. *num.* 5. *Tridentinum* „ autem loquitur de eo qui necessitate ur„ gente celebravit sine confessione prævia. „ Sed si fuerit copia Confessarii, non fuit „ necessitas urgens celebrandi absque con„ fessione prævia. *Ergo nec tunc tenebitur* ad „ confitendum quam primum. *Hæc sententia* „ *est probabilis*."

XX. P. Thomas Tamburinus *Lib. de method. commun. cap.* I. §. 6. *num.* 50. „ In „ casu dubio, an verba aliqua legis præce„ ptum obligans importent, an consilium, „ *tamquam regulam certam* ponunt Doctores, „ reputanda esse consilia, & non præcepta: „ & ratio est, quia, cum lex sit gravis, & „ onerosa, SEMPER in benigniorem subdi„ torum partem est intelligenda. Adde quod „ in dubio melior est conditio possidentis. „ Ergo in dubio, lex ne sit obligans, an „ non obligans, melior est conditio humanæ „ libertatis, quæ a tali obligatione immunis „ est."

„ Num. 51. Tertio, quia *optabile* est ut „ enixe optat Navar. ..... a legislatoribus „ neminem obligari ad peccatum: & iuvat „ humanas leges sub præcepto obligantes di„ minuere, ne tanta præceptorum multitu„ dine Hebræis peiores efficiamur. Quare „ hoc de quo agimus præceptum (*confiten*„ *di quam primum*) diminuere etiam operæ „ pretium est."

XXI. Idem Tamburinus *loc. cit.* §. 7. *n.* 56. „ De laico non est difficultas: satis enim „ est, si eliciat immediate ante ipsam sum„ ptionem: & quia sumptio, seu manduca„ tio

„ tio substantialiter fit, cum cibum deglu„ timus, seu traiicimus, non autem dum il„ le est in ore, quando solum initiative est „ sumptio; ideo *probabilissimum* puto, satis „ esse, si actus contritionis fiat, cum ore „ habetur sacratissima hostia. Ita de Lugo „ *de Euch. disp.* XII. *num.* 22. Hurtad. *de* „ *Euch. disp.* VIII. aliique."

XXII. Idem Tamburinus *loc. cit. num.* 59. „ Quamvis nonnulli cum Layman asserant, „ Sacerdotem mortali crimine deturpatum „ mortaliter delinquere, si Eucharistiam fi„ delibus porrigat, tamen aliqui merito id „ negant, ut Vasquez, quem citat, & se„ quitur de Lugo *disp.* VIII. *de Sacr. in* „ *com. sec.* 9. quia tunc Sacerdos non con„ ficit sacramentum; sed solum dispensat „ consecratum, ad quod tanta dignitas ne„ quaquam requiritur. Idemque est de Dia„ cono, quando ex speciali Sacerdotis com„ missione sacram Eucharistiam aliis porri„ git: siquidem tunc non conficit, sed so„ lum dispensat. Si ergo *probabile* id est, „ quanto magis probabile fiet mortalem cul„ pam non esse solum attingere?"

XXIII. P. Leander *quæst.* VII. *disp.* VII. *quæst.* I. „ *An sacerdos qui in ipsa actione sa*„ *crificandi recordatur peccati mortalis, aut* „ *forte illud committit, teneatur postea ex vi* „ *dicti præcepti quam primum confiteri?* Pro„ babiliter respondeo, non teneri eo præce„ pto, quia Concilium fuit locutum de Sacer„ dote *qui necessitate urgente, absque prævia* „ *confessione celebravit*, idest de Sacerdote „ qui necessitate coactus non præmisit con„ fessionem, antequam ad celebrandum Sa„ crificium accederet: hoc enim clare si„ gnificant illa verba *prævia confessione*, id„ est confessione ante Missam: *non vero de* „ *Sacerdote qui celebrando committit peccatum*, „ aut illius recordatur. Ergo quantumvis „ tunc consecret, atque communicet absque „ confessione, non tenebitur postea quampri„ mum confiteri. Sic *Vasquez disp.* CCVIII. „ *cap.* III. *num.* 20. *Sayrus*, *Diana*."

XXIV. Idem Leander *loc. cit. quæst.* XXXII. „ Si Sacerdos est pauper, & vivit ex con„ sueta eleemosyna Missæ, vere in eo re„ peritur necessitas corporalis, quæ sufficiens „ est ad celebrandum sine prævia confessio„ ne."

XXV. P. Thomas Tamburinus *Lib. de meth. comm. cap.* I. §. 10. *num.* 71. „ An sit „ casus in quo communicare quis sine con„ fessione, & etiam sine contritione, atque „ adeo in peccato mortali possit?... *Tam* „ *benigna sunt viscera misericordiæ Domini*, „ *ut non dedignetur excusare aliquando per*„ *vicaciam nostram. Invenio enim unum vel* „ *alterum casum in quo quis purissimam com*„ *munionem in peccato sumere sine peccato* „ *possit*."

XXVI. Idem Tamburinus *loc. cit. num.* 72. „ Etenim ex supradictis constat Sacerdotem „ qui, incepta bona fide Missa, recordatur „ se mortalis culpæ reum, debere elicere „ actum saltem a se existimatæ contritio„ nis. Sed iam si non possit, *seu experiatur* „ *actum illum sibi valde esse difficilem*, quid „ agat? Confiteri non potest, conteri ne„ quaquam valet. Sacrificium inchoatum „ relinquere ob infamiam sibi resultantem, „ *difficillimum est*. Quid ergo ab anima sic „ affecta superest extorquendum? *Probabile* „ esse ex aliquorum sententia iudico, hunc „ non peccaturum mortaliter, si cum hu„ iusmodi conscientia peccati mortalis, & „ cum eo dolore quem tunc potest elicere, „ Missam prosequatur, consecret, commu„ nicetque. Ita Vasquez de *Euch. disp.* „ CCVII. *cap.* I. *num.* 34. Hurt. *disp.* IX. „ *de Euch. diff.* I. De Lugo *de Sacr. dis.* „ IX. *sect.* I. *num.* 8. Ratio est, quia præ„ ceptum digne communicandi non videtur „ tam arcte fideles astringere, ut cogat Sa„ cerdotem cum tanto suo dedecore ab in„ cepto Sacro discedere. Tum autem eius„ modi Sacerdos non acquiret gratiam, sed „ tamen non peccabit."

XXVII. Idem Tamburinus *ibid. num.* 73. „ Idemque erit de laico qui iam iam rece„ pturus sacram Synaxim ante linteum, nec „ sub aliquo prætextu sese removere va„ lens, peccati mortalis recordetur, nec „ conteri possit. Ita ibi. Par enim est ra„ tio. NOTENT HANC DOCTRINAM „ SCRUPULOSI, ANIMOQUE SEMPER „ TIMIDI."

XXVIII. Idem Tamburinus *Lib. III. meth. miss. celebr. c.* I. §. 5. *n.* 15. „ Si quis, cum „ sit procurator, ut centum v. g. Missæ ce„ lebrentur, quæ Missæ in hac urbe so„ lent dici v. g. pro ducentis iuliis: si quis, „ inquam, per industriam suam mittat, seu „ eat ad aliam urbem, ubi intra expostu„ latum tempus dicantur pro centum iu„ liis: puto non esse *improbabile*, posse talem „ procuratorem retinere sibi alios centum. „ Ratio est, quia sumi potest paritas a ser„ vo, qui per extraordinariam industriam „ (nam ad ordinariam & moralem obliga„ tur ex ipso famulatu) per suum laborem „ emit res minoris quam valeant communi„ ter in foro: potest enim retinere quod su„ per-

„ pereſt, utpote fructum ſuæ induſtriæ. „ *Pari ergo modo in caſu noſtro.* "

XXIX. P. Dominicus Viva in *Trut. in prop.* 9. *Alex. VII. n.* 8. „ Præterea, ſi collectores eleemoſynarum pro Miſſis ſint Sacerdotes, & non tradantur iis Miſſæ celebrandæ, ſed ſe habeant ut laici, qui curant Miſſarum celebrationem, poterunt ex Nav. Cord. Tambur. *probabiliter* contra Peliz. Soto *Lib. IX. de iuſt. q.* III. moderatam pro labore mercedem *ex datis pro Miſſa* ſuſcipere, cum id videatur licitum iure naturæ. "

XXX. P. La-Croix *Lib. IV. n.* 1341. „ Pontifices ſciunt ſententiam quæ eiuſmodi obligationem (attentionis internæ) negat, defendi; & tamen, cum facile poſſent, non contradicunt. Ergo agnoſcunt legem illam non eſſe certam: ergo nec obligat: ſed *libertas noſtra eſt in poſſeſſione contra eam.* "

CAPUT II.

Variæ ſacramenti acceptiones, eiuſque vera finitio.

I. S*Acramenti* vocabuli acceptio varia penes ipſos Auctores ethnicos. Varro *Lib. IV. de lingua latina* ſacramenti voce ſignificari aſſerit pecuniam depoſitam a litigantibus in loco ſacro ea lege ut victor pecuniam ſuam auferret; contra victus in pœnam iniuſtæ litis intentatæ ærario Pontificis ſuam pecuniam relinqueret. Altera tum apud Ethnicos, tum apud Chriſtianos ſatis crebra eſt, qua ſacramentum pro iuramento uſurpatur. Vegetius *Lib. II. de re militari cap.* V. ſacramentum, quo ſacrabantur chriſtiani milites, his verbis deſcribit. *Picturis in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti iurare ſolent. Iurant autem per Deum, & per Chriſtum, & per Spiritum ſanctum, & per Maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt, & colenda* &c. Iuramentum hoc militare a ſacrando dictum eſt. Concilium Ilerdenſe an. 524. ſub Ioanne Papa celebratum *can.* VII. iuramentum pro ſacramento accipit, his verbis, quæ referuntur XXII. quæſt. IV. *Qui ſacramento ſe obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro periurio uno anno a communione corporis, & ſanguinis Domini ſegregatus, reatum ſuum eleemoſynis, fletibus, & quantis potuerit ieiuniis abſolvat. Ad caritatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire feſtinet.* Viden' quanta tunc unum periurium plectebatur ſeveritate?

II. Communior ſacramenti uſurpatio eſt pro re arcana, ab hominum ſenſibus abdita, ſive in bonam, ſive in malam partem accepta. In malam partem uſurpatur *Apoc. cap.* XVII. ubi legitur: *Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam.* In bonam e contrario partem ſumitur Sap. cap. II. *Et neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt iuſtitiæ.* Huc quoque pertinent veteris teſtamenti figuræ, quæ Chriſtum Dominum portendebant, & novi fœderis parabolæ, quibus ipſemet Chriſtus in aſſumpta carne divina myſteria celebranda adumbravit, ut ſcite docet S. Auguſtinus *epiſt.* V. ad Marcellinum. *Signa, cum ad res divinas pertinent, ſacramenta appellantur... Breviter dici poteſt, quod homini acuto fortaſſe ſuffecerit, aliis ſacramentis prænuntiari Chriſtum, cum venturus eſſet, aliis cum veniſſet, annuntiari oportuiſſe; ſicut modo nos, idipſum loquentes, diverſitas rerum compulit etiam verba mutare. Siquidem aliud eſt prænuntiari; aliud annuntiari; aliud, cum venturus eſſet; aliud, cum veniſſet.*

III. Sacramenti nomen hæreticorum plures improbarunt, ut Zuinglius, Carloſtadius, & alii. Brentius, Confeſſio Auguſtana, Kemnitius *In II. Par. Exam. Concil. Trident. ad* I. *decret.* ſcribit: *Noſtri in Apologia Auguſtanæ Confeſſionis publice profeſſi ſunt ſe non magnopere rixari de vocabulo ſacramenti, aut de numero.* Rixantur autem de numero quamvis maxime, & præcipue Kemnitius ipſe. Nec mirandum, cum iſti in dies ſuæ commentitiæ Eccleſiæ fidei articulos varient, minuant, augeant. Inepte reponunt alii, intruſum hoc *ſacramenti* nomen a latino interprete, cum græce ſcriptum ſit *myſterium*. Quoniam quod Græci nomine *myſterii* produnt, id Latini *ſacramenti* vocabulo ſignificant; ut Catharinus in libro adverſus Soto animadvertit, inquiens: *Numquid Paulus græce ſcribens potuit dicere Sacramentum, quæ eſt vox latina? Dicens autem græce myſterium, id certe græce dixit, quod latine ſignificat ſacramentum.*

IV. Theologi catholici ſtrictius adverſus heterodoxos ſacramentum uſurpant pro ſigno divinitus inſtituto ad ſignificandam gratiam internam, & inviſibilem. Varias tradunt definitiones, ſeu potius deſcriptiones, quæ tamen omnes eodem recidunt. Tres tradit Sententiarum Magiſter. Prima eſt; *Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum.* Altera: *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma.* Hæ deſcriptiones communes etiam ſunt veteris legis ſacramentis. Tertia, qua definitur ſacramentum novæ legis, eiuſmodi eſt. *Sacramentum eſt quod ſignum eſt gratiæ Dei, & inviſibilis gratiæ forma; ut ipſius imaginem gerat, & forma exiſtat.*

V. Communem ſacramenti definitionem perhibet Catechiſmus Concilii Tridentini *Part.* II. §. 4. his verbis: *Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum.* Quam definitionem ex S. Auguſtino acceptam, his aliis verbis continuo exprimit. *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram iuſtificationem inſtitutum.* Deinde §. II. uberius hanc definitionem exponit his verbis. „ Quare ut explicatius, quid ſacramentum ſit, declaretur, docendum erit: " *rem eſſe ſenſibus ſubiectam, quæ ex Dei inſtitutione, ſanctitatis, & iuſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.*

VI. S. Thomas *III. Part. quæſt.* IX. *art.* 2. hanc tradit definitionem: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, inquantum eſt ſanctificans homines.* Omnes recenſitæ definitiones, licet diverſis conſtent verbis, idem omnino ſignificant. Iuxta omnes ſacramentum reducitur ad genus *ſigni ſenſibilis*. Signum autem definitur a S. Auguſtino *Lib. II. de Doctr. Chriſt. c.* I. his verbis: *Signum eſt res, præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud ex ſe faciens in cognitionem venire.* Viſo veſtigio, tranſiſſe animal, cuius veſtigium eſt, inferimus: & viſo fumo, ſubeſſe ignem iudicamus. Signum aliud inſenſibile, ut eſt character, quem imprimunt tria novæ legis ſacramenta, baptiſmus, confirmatio, & ordo. Aliud ſenſibile, quod ſenſibus percipitur, ut eſt ablutio baptiſmalis. Sacramentum autem eſt *ſignum ſenſibile*. Rurſus ſignum aliud naturale, aliud a voluntate inſtitutum; quod ſignum *ad placitum* nuncupari ſolet. Signa autem alia ab hominibus, alia a Deo inſtituta ſunt. Horum aliqua ſpeculativa, aliqua practica vocantur. Speculativa dicuntur illa quæ ſignificandi dumtaxat vim habent, ut iris, de qua *Gen. cap.* IX. Deus dicit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.* Practica dicuntur quæ divina inſtitutione aliquid ſignificant, unaque efficiunt.

VII. Notio ſigni ſenſibilis ſacramentis omnibus communis eſt: rationemque aſſignat S. Thomas *III. Part. quæſt.* IX. *art.* 4. his verbis. *Sapientia divina unicuique rei providet ſecundum ſuum modum, & propter hoc dicitur Sap.* VIII. *quod* ſuaviter diſponit omnia: *unde & Matth.* XXV. *dicitur, quod* dedit unicuique ſecundum propriam virtutem. *Eſt autem homini connaturale ut per ſenſibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem eſt per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde cum res ſacræ quæ per ſacramenta ſignificantur, ſint quædam ſpiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur, conſequens eſt ut per aliquas res ſenſibiles ſignificatio ſacramenti impleatur; ſicut etiam per ſimilitudinem ſenſibilium rerum in divina Scriptura res ſpirituales nobis deſcribuntur.*

VIII. Nec ſolum ſacramenta novæ legis ſunt ſigna ſenſibilia quæ aliquid ſignificant, ſed præterea ſimilitudinem quamdam rei ſignificatæ, per quamdam proportionem accommodatam, produnt; quatenus ſpecie quadam nobis declarant id quod Deus in anima noſtra ſua efficacitate, quæ ſenſu percipi nequit, efficit. Heinc baptiſmus, cum, adhibitis ſolemnibus verbis, aqua extrinſecus corpus abluitur, ſignificat Spiritus ſancti virtute maculam peccati, & turpitudinem omnem internam deleri, animaſque noſtras gratia ſanctificante ornari, ut Tertullianus peroptime declarat Lib. de reſurrect. carnis c. VIII. *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur: caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.*

IX. Sacramenta ſigna ſunt ex divina inſtitutione, quia ſolus Deus auctor religionis eſt. Sunt autem ſigna non ſpeculativa, ſed practica: quia gratiam, quæ res ſacra eſt, producunt, niſi a ſuſcipiente obſtaculum apponatur. Heinc a ratione ſacramenti excluduntur imagines, cruces, veſtes ſacerdotales, & alia eiuſmodi; quæ ſpeculativa tantum ſigna ſunt.

X. Expoſitam ſacramentorum definitionem, quam omnes Catholici defendunt, improbant novatores, aliaſque excogitarunt definitiones, quæ licet aliquid veritatis prodant, minus tamen aptæ ſunt ad ſacramentorum naturam exprimendam. Lutherani contendunt, non aliud ſacramentum eſſe *quam promiſſionem gratiæ ſigno externo annexam*. Quæ definitio non improbatur a Catholicis, quatenus aſſerit, ſacramenta habere gratiæ promiſſionem annexam. Legimus enim Marc. cap. XVI. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Item Ioan. cap. VI. *Qui man-*

manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Insuper Catechismus Concilii Tridentini *Part. II.* §. 18. declarat, sacramenta *magnam vim habere ad fidem in animis nostris excitandam, & exercendam, & ad caritatem inflammandam*. Supra ex S. Thoma animadvertimus, sacramenta signa esse commemorativa præteritorum, & prænuntiativa futurorum beneficiorum. Ceterum minus accurata est Lutherana finitio, qua asseritur, sacramenta esse *ipsam gratiæ promissionem*, quibus nos annexam fatemur. Quoniam verba quibus sacramenta conficiuntur, non exprimunt gratiæ promissionem, ut constat. Quare præfata definitio fraude plena est, eoque tendit, ut errorem insinuet novatorum, qui contendunt, hominem iustificari per solam fidem *divinarum promissionum*, & per solam fiduciam in Christum, exclusis bonis operibus, & sacramentorum efficacitate sublata. Contendunt enim, suscipientes sacramenta per solam fidem assequi iustitiam, & sanctitatem.

XI. Calvinus *Lib. IV. Institut. cap.* XIV. §. 1. docet, *sacramentum externum esse symbolum quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ inbecillitatem; & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur*. Quæ definitio eodem recidit ac Lutherana: denegat enim sacramentis vim producendi gratiam. Omnes quippe novatores, si Grotium, aliosque paucos excipias, improbant Catholicos, quod doceant, sacramenta natura sua gratiam, & sanctitatem *ex opere operato*, seu reipsa producere, nisi obex adiiciatur. Neque Calvino suffragatur, circumcisionem ab Apostolo *Rom.* VI. vocari *signaculum*, sive *sigillum*: quoniam nemo negat circumcisionem signaculum fuisse, Abrahæ filiorum carni impressum, quo ab alienis populis discriminabantur. Sed quid hinc? Propterea ne sacramenta mera sunt signacula, & oppignorationes, & divini fœderis commemorationes? Hoc est quod inficiamur: asserimusque sacramenta non modo esse signa *commemorativa* initi fœderis, verum etiam *demonstrativa*, & efficientia. Novatorum ergo definitiones falsæ sunt, & fraudulentæ: quia eo pertinent ut adimant sacramentis vim spiritualis gratiæ effectricem. Veritatem produnt ea parte qua dicunt, sacramenta esse initiationem quamdam, qua fideles Christo, ut milites Imperatori, dedicantur: signa quibus ad rectam vivendi formam excitamur, & quibus a Iudæis, & Paganis secernimur. Hæc & similia non denegamus sacramentis nostris; sed ultra asserimus, esse signa sensibilia practica, quæ ex divina institutione, & virtute reipsa gratiam, & sanctitatem in animabus nostris operantur.

CAPUT III.

De sacramentorum necessitate tum in statu naturæ, tum in lege scripta.

I. VArias distinguunt Theologi necessitatis species. Aliam vocant inevitabilem, sine qua homo assequi nullo modo finem potest. Aliam appellant convenientiæ, qua necessarium aliquid dicitur, ut iuxta modum naturæ nostræ congruum finis obtineatur. Primo modo necessaria sacramenta non esse fatentur omnes, cum Deus aliis mediis, aliaque via salutem nostram potuerit procurare. De sola ergo convenientiæ necessitate disputatur. Hæc autem duplex est: medii, & præcepti. Hæc a superioris mandato pendet, illa ex institutione rei proficiscitur. Cibus, & potus necessitate medii requiruntur ad vitæ conservationem: & baptismus ad vitam æternam. Necessitas præcepti viam parat ad faciliorem finis consecutionem. Sic sumptio Eucharistiæ faciliu conservat, fovetque spiritualem animæ sanitatem. In præsenti materia necessitatis medii, & præcepti discrimen proficiscitur ex gratiæ sacramentalis natura, a Christo Domino cuique sacramento adscripta. Si enim gratia hæc ita necessaria sit, ut sine ea æterna haberi salus nequeat, sacramentum dicitur necessarium necessitate medii. Eiusmodi sunt baptismus, & pœnitentia. Si gratia sacramentalis non sit talis necessitatis, ut est gratia confortans in confirmatione, nutriens, & augens in Eucharistia; tum sacramenta necessaria dicuntur necessitate præcepti.

II. Distinguenda quoque est necessitas usus sacramentorum a necessitate existentiæ. In præsentia non disputatur de necessitate absoluta, sive medii, sive præcepti, usus sacramentorum; sed solum de necessitate institutionis, & existentiæ: quæ necessitas est solius convenientiæ & congruentiæ. Nam, ut iam indicavi, certum est Deum potuisse, si voluisset, absque ullis signis sensibilibus gratiam suam conferre. Disputant itaque Theologi, consentaneum ne fuerit tum divinæ providentiæ, tum naturæ hominis, ut mediis signis sensibilibus suam divinam gratiam Deus infunderet. Quadruplex distinguitur status. Innocentiæ, legis naturæ, legis scriptæ, & legis evangelicæ. De sacramentorum necessitate in quolibet horum statuum sermo erit.

III. In statu innocentiæ nec extitisse, nec fuisse necessaria sacramenta, docet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXI. *artic.* 2. his verbis: *In statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo pendebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat, non solum inquantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam inquantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem*.

IV. Disputant Theologi scholastici de statu innocentiæ, qui fuisset, an videlicet hac in hypothesi instituisset Deus sacramenta. Quam disputationem inter illas colloco quarum nec scientia emolumentum, nec ignoratio detrimentum parit. Quid enim operaturus Deus fuisset in tali hypothesi, cum a mero ipsius voluntatis nutu pendeat, fugit humanæ mentis aciem.

V. In statu legis naturæ ab Adæ lapsu usque ad præceptum circumcisionis, Abrahæ impositum, nulla fuisse sacramenta, aliqui Theologi contendunt. Probabilior, & communior sententia oppositum defendit. Nihil tamen certi erui ex divina Scriptura potest, ut S. Augustinus *Lib. XV. de civit. Dei cap.* XVI. docet. *Utrum aliquod fuerit, vel, si fuit, quale fuerit corporale, atque visibile regenerationis signum ante diluvium, sicut Abrahæ circumciso postea est imperata, sacra historia tacet*. Quamquam vero nihil certi & definiti erui ex divinis Scripturis possit; nihilominus communis Patrum, & Theologorum sententia docet, extitisse in lege naturæ pro parvulis aliquod delendo peccato originali opportunum remedium destinatum, illudque in fide venturi Messiæ, signo aliquo sensibili exteriori demonstrata, constitutum fuisse: & hoc probabilius est. Quare idem S. Augustinus *Lib. V. contr. Iulian. cap.* XI. hæc scribit: *Nec ideo credendum est, ante circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria caussa Scriptura sacra latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus sanguis ille figurabatur qui solus tollit peccata mundi. Apertius enim legis iam tempore nascentibus offerebantur sacrificia pro peccatis*.

VI. Doctrinam S. Augustini adoptat S. Thomas *III. Part. quæst.* LX. *art.* 5. *ad* 3. ubi ait: *Sicut S. Augustinus dicit . . . diversa sacramenta diversis temporibus congruunt, sic etiam diversis verbis significantur diversa tempora . . . . Et ideo sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur*.

VII. Opponunt adversarii, S. Thomam *III. Part. quæst.* LXX. *art.* 4. *ad* 2. contrariam docere opinionem his verbis: *Sicut ante institutionem circumcisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos; ita etiam & circumcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum huius fidei: quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei*. Hoc truncatum testimonium obtrudi solet. Si quæ continuo Angelicus subdit, rescribantur, oppositio tota evanescit. Sic enim S. Doctor pergit. *Probabile tamen est quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei; sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant*. Hanc eamdem doctrinam confirmat in IV. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. *Dicendum est, quod ante legem scriptam erant quædam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; & similiter pœnitentia, quæ ordinabatur quoque ad deletionem actualis*. Ex hac angelica doctrina eruitur, sacramentum, seu aliquod signum fuisse in statu legis naturæ, non aliqua lege extrinsecus lata determinatum, sed quod interiori instinctu a parentibus parvulorum seligebatur. Quare dum idem S. Doctor ibidem *art.* 6. *quæstiunc.* 2. docet, satis fuisse parvulis fidem parentum *sine omni exteriori signo*, excludit dumtaxat signum commune omnibus, lege publica definitum; secus signum quod in citatis modo testimoniis extitisse affirmat. Nulla quippe ratio patitur, inquit Melchior Cano *Relect. de sacram. in gen. part.* III. ut divina providentia ullo umquam tempore defuerit hominibus in necessariis ad salutem. Non possent autem fi-

liis

iis parvulis remedia parentes applicare, nisi per Dei revelationem cognovissent, & parvulos originali peccato teneri, & aliquod remedium ad eos servandos idoneum esse: quod licet scriptum non sit, non est tamen propterea denegandum reipsa illud extitisse. Et cum Scriptura exprimat, ante Abraham fuisse religionem, ac sacerdotium, ex consequenti tradit fuisse sacramenta, sine quibus nec religio, nec sacerdotium consistunt. Quæ sane argumentatio solida est. Remedium autem istud in fide venturi Messiæ positum fuisse, docent omnes Patres & Theologi, divinarum Scripturarum testimoniis nixi. Quoniam, ut inquit S. Lucas Act. IV. *non est aliud sub cælo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. S. Augustinus *Lib. II. de nupt. & concupisc. cap.* XI. inquit: *Superioribus temporibus omnino latuit sacramentum iustificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis... Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi morituram*.

VIII. Fides illa qua remittebatur peccatum originale, vim iustificandi habebat non ex merito credentis, sed ex merito Christi venturi, seu vim habebat impetrandi gratiam propter Christum, qui credebatur venturus: unde S. Thomas in *IV. dist.* I. *quæst.* I. *art.* 6. *ad* 2. docet, *eam quamdam habuisse similitudinem cum nostris sacramentis, inquantum iustificabat quasi ex opere operato, non autem ex opere operante*. Fides ergo illa ex parte operantis non erat caussa efficacitatis & virtutis ipsius remedii; sed erat caussa applicans remedium. Operabatur enim fides illa & per modum meriti, & per modum suffragii. Meritum profluebat ex parte obiecti crediti, Christi nempe venturi suffragium habebatur ex parte ipsius credentis, qui applicabat remedium, ut S. Thomas *quæst.* IV. *de malo art.* 8. *ad* 12. docet. *Fides ergo antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem, non prout erat quidam actus meritorius credentis (unde non requirebatur quod esset actus fidei formatæ) sed ex parte rei creditæ, scilicet ipsius Mediatoris. Sic enim & sacramenta, quæ postea sunt instituta, valent, inquantum sunt quædam fidei protestationes. Unde non sequitur quod infidelitas parentum filiis noceret, nisi per accidens, sicut removens remedium peccati*.

IX. In lege scripta per Moysem extitisse sacramenta, docent omnes: idque evidenter habetur in Conciliis Florentino, & Tridentino. Quatuor numerantur, quæ quatuor ex nostris portendebant. I. Circumcisio figura fuit baptismi; ut S. Augustinus *Lib. II. de anima, & eius orig. cap.* II. docet: *Circumcisio fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis baptismum*. 2. Agnus paschalis, qui figura fuit Eucharistiæ, in qua Christus occisus animam spiritualiter alit, & nutrit. 3. Ordinatio sacerdotum figura sacramenti ordinis. 4. Expiationes, & lustrationes, quæ umbræ erant & figuræ sacramenti pœnitentiæ.

X. Elapso octavo a nativitate die, pueri Hebræorum circumcisioni subdebantur; nec licitum erat eamdem anticipare. Porro iis qui ante octavum diem morerentur, applicabatur sacramentum quod legis naturæ tempore obtinebat, & perduravit in lege scripta, maxime pro feminis, circumcisioni nequaquam subditis. Quæ legis naturæ sacramenta obtinuerunt quoque apud Gentes ex Abraham, non per Isaac, progenitas.

CAPUT IV.

De sacramentis novæ legis latæ per Christum.

I. Convenientiam, cur Christus in sua nova lege sacramenta instituerit, explicat S. Thomas *III. Part. quæst.* IX. *artic.* 4. Sicut antiqui patres salvati sunt per fidem Christi venturi; sic nos per fidem Christi nati iam, & passi salvari congruum est. Aliis autem signis futura, aliis præterita, aliis præsentia significari oportet. Conveniens itaque fuit in lege nova alia instituti sacramenta, a veteris legis sacramentis distincta, quibus & peracta, & præsentia mysteria repræsententur. Quam doctrinam tradit S. Augustinus *epist.* CLVII. *alias* LXXXIX. *ad Hilarium quæst.* III. his verbis. *Vide quemadmodum commendat unum, & unum, idest Adam, & Christum: illum ad condemnationem, hunc ad iustificationem, cum tanto post Adam venerit Christus in carne: ut sciamus etiam antiquos iustos, quicumque esse potuerunt, nonnisi per eamdem fidem liberatos per quam liberamur & nos, fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut nobis facta annuntiatur... Hæc ergo fides etiam antiquorum iustorum fuit. Unde & Apostolus dicit:* Habentes autem eumdem spiritum fidei, propter quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. *Non diceret* eumdem spiritum fidei, *nisi admonens etiam antiquos iustos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est incarnationis*

tionis Christi. Sed quia illis futura prænuntiabatur, quæ iam facta nobis annuntiatur; & tempore veteris testamenti velabatur, quæ tempore novi testamenti revelatur: ideo eius sacramenta variata sunt, ut alia essent in veteri testamento, alia in novo; cum ipsa fides varia non sit, sed una sit.

II. Novæ legis sacramenta necessaria sunt ad salutem: alia necessitate medii, alia necessitate præcepti: non tamen omnia singulis, ut definivit Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* IV. his verbis. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem, homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit*. Baptismus omnibus necessitate medii necessarius est in re, vel in voto. Illis autem qui gratiam regenerationis, per baptismum, obtentam, mortaliter peccantes amittunt, necessarium est sacramentum pœnitentiæ necessitate medii in re, vel in voto. De baptismo inquit Christus Ioann. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Et de pœnitentia ait Luc. XIII. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Mortuorum sacramenta hæc duo vocantur, quod vitam spiritualem, per peccatum aut originale, aut actuale amissam, restituant. Alia sacramenta vivorum nuncupantur, quia vitam spiritualem in anima vigentem exigunt, & ad gratiam augendam, vitamque divinam roborandam, nutriendam, augendamque instituta sunt; ut confirmatio, Eucharistia, extrema unctio, ordo, & matrimonium. Hæc necessaria sunt necessitate præcepti affirmativi, tempore, & circumstantiis determinatis obligantis. Duo ultima necessaria sunt in Ecclesia, ut ordo ad ministrorum consecrationem, matrimonium ad fidelium propagationem. Singuli tamen nec sacris ordinibus initiari, nec matrimonium inire tenentur.

III. Concilium Tridentinum *loc. cit. can.* V. definit, novæ legis sacramenta non esse propter solam fidem nutriendam instituta, ut novatores contendunt. *Si quis dixerit, sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse; anathema sit*. Hæc enim sacramenta Christus instituit, ut virtute sacratissimæ passionis suæ gratiam nobis conferant; quemadmodum infra fusius explicabitur. Similiter sacramenta ista a sacramentis veteris legis sola externorum rituum, & cæremoniarum varietate non differunt; ut hæresiarcha Calvinus contendit: contra quem Concilium Tridentinum *cit. sess.* VII. *can.* II. definivit: *Si quis dixerit, & ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi; anathema sit*. Doctrina hoc canone contenta, hausta est ex ipsa Scriptura, & apostolica traditione. S. Paulus *epist. ad Gal. cap.* IV. quæ in Mosaica lege præcipiebantur, *infirma & egena elementa* vocat: quia vi institutionis suæ, & insita virtute ad iustitiam & sanctitatem non perducebant. Nec obest quod *Levit. cap.* I. *& seqq.* dicatur, vetera sacrificia, & sacramenta peccata remisisse, & gratiam contulisse. Quoniam solam immunditiam legalem expiabant, quæ homines, veluti profanos, a divino cultu arcebat; minime vero internam peccatorum remissionem, iustitiam, & sanctitatem per se inducebant; ut docet S. Augustinus tract. XLI. in Ioan. *In illis sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum*. Qui autem ex Iudæis, sacrificiis oblatis, & sacramentis susceptis gratiam assequebantur, non eorumdem sacramentorum, aut sacrificiorum vi, sed ex fide, qua Christum venturum credebant, & præfatis signis profitebantur, eam obtinebant.

CAPUT V.

De partibus quibus sacramenta constant, seu de materia, & forma eorumdem.

I. Theologi scholastici, Philosophia Peripatetica in scholas invecta, in qua materiæ, & formæ nomine rerum naturæ explicari solent, nomina materiæ, & formæ adhibere cœperunt in exponendis partibus quibus sacramenta constant. Priscis quippe temporibus eiusmodi loquendi formulæ minime usurpabantur; ut ex Patribus, in quorum scriptis hæc nomina non occurrunt, apparet. Signo, & re sacra constare sacramenta ipsi dicunt. Per signum id intelligebant quod per materiam, & formam nunc exprimimus, quidquid nempe sensibus percipitur. Nomine rei sacræ effectum invisibilem significabant, gratiam videlicet sanctificantem. Communis eorum loquendi formula erat, sacramenta rebus constare, & verbis: rebus, ut aqua, oleo, pane &c. verbis, ut *Ego te absolvo* &c. Alia quoque formula familiaris erat, scilicet sacramenta verbo, & elemento constare; ut habetur ex S. Augustino tract. LXXX. in Ioan. *Verbo baptismus consecratur. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*.

II. No-

II. Nomina tamen materiæ, & formæ, tamquam rei sacramentariæ explicandæ accommodata, adoptavit Ecclesia tam Latina, quam Græca. Materiæ, & formæ sacramentorum tales nuncupantur per analogiam ad materias & formas physicas rerum. Siquidem res sensibiles determinantur per verba, sicut materia per formam: & sicut forma totum physicum complet, sic verba perficiunt sacramentum.

III. Materiæ nomine non res tantum significantur, sed actiones quoque sensibiles; ut ablutio, unctio, contritio, confessio, consensus verbo, aut nutu expressus, rationem materiæ obtinent. Materia alia remota, alia proxima. Materia remota *baptismi* est aqua, proxima ablutio. *Confirmationis* remota est chrisma benedictum, proxima est unctio. *Eucharistiæ* remota est panis & vinum, proxima corpus & sanguis Christi sub speciebus. *Pœnitentiæ* remota sunt peccata post baptismum commissa; proxima sunt contritio, confessio, satisfactio. *Extremæ unctionis* remota oleum benedictum, proxima unctio infirmi. *Ordinis* remota sunt manus Episcopi, proxima illarum manuum impositio. De instrumentorum traditione infra dicetur. *Matrimonii* remota sunt corpora contrahentium, proxima est illorum mutua traditio. Formæ vero istorum sacramentorum sunt verba, seu orationes, quas, dum de singulis sacramentis sermo erit, explicabo.

IV. Quæst. I. *Materiæ, & formæ sacramentorum baptismi, & Eucharistiæ sunt ne a Christo determinatæ?* Resp. Duplici modo res, & verba determinare Christus potuit, generatim, aut in specie. Generatim, si signum sensibile, opportunum aptumque ad significandum instituti sacramenti finem, assumendum præscripserit, facta Ecclesiæ potestate determinandi, & eligendi hoc signum exterius. In specie vero determinasse dicitur, si ipsemet Christus Dominus hoc tale signum reipsa determinaverit. Ad quæstionem propositam omnes Theologi uno ore respondent, Christum determinasse in specie res, & verba sacramentorum baptismi, & Eucharistiæ. Et hoc perspicue ex divina Scriptura eruitur. Nam aquam pro materia baptismi determinasse Christum, testatur S. Ioannes cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Materiam Eucharistiæ designavit, cum panem & vinum, in corpus & sanguinem suum consecrata, Apostolis tradidit sumenda, præcepitque illis ut in sui memoriam imposterum idem peragerent; sicut habetur cap. XXVI. *Matth.* Istius determinationis congruentem rationem assignat S. Thomas III. Part. qu. lx. art. 5. *Quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud I. ad Cor.* VI. Abluti estis, sanctificati estis, *oportet uti rebus ex divina institutione determinatis*.

V. Formam baptismi determinavit Christus, dum dixit Matth. cap. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Verba adhibenda in perficiendo eucharistico sacramento definivit Matth. XXVI. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

VI. Quæst. II. *Aliorum quinque sacramentorum determinavit ne Christus res, & verba in specie?* Resp. Duplex est inter Theologos catholicos sententia. Prima adfirmat. Nam ex divina Scriptura colligitur pro quolibet horum sacramentorum materiæ specifica determinatio. Nam confirmationis materia determinata est manus impositio, & unctio; ut habetur Act. VIII. *Oraverunt pro eis.... Tunc imponebant manus super illos*. Pœnitentiæ materia remota sunt peccata, proxima pœnitentis actus; forma vero Sacerdotis verba. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Extremæ unctionis materia est olei unctio, forma oratio, ut *Iacob.* V. habetur. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Materia Ordinis est manuum impositio forma oratio, sicuti determinatum *Act.* VI. legimus. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Matrimonii tandem materia est mutua corporum traditio, & mutua acceptatio est forma, iuxta multos. Verum de hoc infra, ut colligitur ex Epist. ad Ephes. cap. V. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*.

VII. Planum itaque est, Christum Dominum singulorum sacramentorum materias definivisse, non generatim dumtaxat, sed etiam in specie. Ipse enim institutor est omnium sacramentorum, ut definivit Tridentinum Concilium sess. VII. can. I. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta &c. anathema sit*. Et quamquam Concilium non definiat, Christum Dominum esse *immediate*, & per se institutorem; id tamen consequi necessario videtur. Porro si Ecclesiæ potestatem contulisset determinandi materiam & formam sacramentorum, non *immediate*, sed mediate, & per Ecclesiam tantum sacramenta instituisset Christus Dominus. Præterea idem Tridentinum Concilium *sess.* XXI. *cap.* XI. declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret*. Ritus ergo, secus substantia sacramentorum mutare Ecclesia potest. Materia autem, & forma ad substantiam, non ad ritus pertinent. Porro si determinare materiam, & formam Ecclesia posset, posset similiter pro temporum, & circumstantiarum diversitate tum materiam, tum formam mutare. Hoc autem dignitatem sacramentorum dedecet, & aperte repugnat Tridentino Concilio.

VIII. Altera sententia negat, Christum Dominum determinasse in specie materiam, & formam sacramentorum confirmationis, & ordinis. De his enim duobus sacramentis disputatur in utramque partem. Porro quod Christus Dominus non determinaverit in specie atoma materiam confirmationis, colligitur ex *Act. cap.* VIII. ubi hæc habentur. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Nulla hic habetur mentio chrismatis, seu unctionis. Adiectum ergo chrisma fuit Ecclesiæ potestate. Similiter septem prioribus sæculis instrumenta non porrigebantur tangenda sacramentum ordinis suscipientibus. Ergo hæc instrumentorum porrectio tunc temporis materia non erat istius sacramenti.

IX. Hæc secunda opinio pro certo habet, chrismatis unctionem, & porrectionem instrumentorum ad substantiam pertinere utriusque sacramenti, confirmationis, & ordinis. Id autem negant prioris sententiæ Theologi, aiuntque tam unctionem chrismatis, quam porrectionem instrumentorum esse accidentalem additionem, quæ substantiam non immutat. Manuum impositio in utroque sacramento est sola materia, ut sic dicamus, substantialis; cetera autem ad accidentalem ritum pertinent. Addunt, chrisma in confirmatione adhibitum esse iam inde a primis temporibus, ut colligitur ex S. Cypriano *epist.* lxx. & ex Cyrillo Ierosolymitano *catech.* 3. mystagogica. Ad auctoritatem Concilii Florentini, in quo Eugenius IV. decreto pro Armenis definivit, materiam Presbyteratus esse traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane; & Diaconatus traditionem libri Evangeliorum: respondent, Eugenium IV. instruxisse Armenos circa ea quæ in Ecclesia Romana obtinebant. Non meminit materiæ *essentialis* sacrorum ordinum, quæ nec Græcos, nec Latinos, nec Armenos latebat; sed recensuit materiam *accidentalem*, ab Ecclesia Romana adhibitam. Confirmant, hanc instrumentorum traditionem esse accidentalem, quod Ecclesia Græca sola manuum impositione sacros ordines conferat. Ordinationes autem, seu consecrationes Ecclesiæ Græcæ ratas Ecclesia Latina habet. Porro in Ecclesia tam Latina, quam Græca manus impositio in utroque sacramento confirmationis, & ordinis adhibetur. Quid ergo magis rationi congruum, quam si dicamus, manuum impositionem, in utraque Ecclesia adhibitam, materiam esse *essentialem*; instrumentorum vero traditionem materiam esse *accidentalem*, ab Ecclesia Latina adiectam?

X. Prior sententia mihi probabilior videtur. In utroque sacramento, de quo disputatur, materia in specie determinata a Christo Domino habetur, nempe manuum impositio. Quid caussæ est cur dicamus, hanc non esse materiam essentialem ad sacramentum sufficientem? Illam determinavit Christus Dominus. Ergo non diminuta, non impar ad sacramentum conficiendum. Ergo sive instrumentorum, sive unctionis materia accidentalis est, Ecclesiæ potestate adiecta ad clariorem sacramentorum significationem. Ecclesia Græca hanc instrumentorum traditionem non adhibet. Ergo existimat, solam manuum impositionem materiam esse essentialem. Hanc eamdem manuum impositionem, ut a Christo institutam, adhibet Ecclesia Latina. Ergo utriusque Ecclesiæ consensu impositio manuum essentialis materia est. Sola consuetudo Ecclesiæ Latinæ in caussa est cur Theologi secundæ sententiæ doceant, instrumentorum porrectionem ad materiam pertinere *essentialem*. Mihi autem verisimilius est illam solam materiam essentialem esse quæ in utraque Ecclesia obtinet; accidentalem vero cuius usus in sola Ecclesia Latina viget. Nec video solidam rationem cur dici oppositum debeat. Ex alia parte hæc opinio opportunior est adversus hæreticorum dicacitatem, & sacramentorum dignitati convenien-

nientior. Cum tamen super hac controversia nihil Ecclesia definierit, quisque in suo sensu abundet.

XI. Hinc consequitur, Latinæ Ecclesiæ Clericum valide ordinari sola manuum impositione: e contrario neque Latinum, neque Græcum Clericum valide ordinari sola instrumentorum porrectione. Nec mihi probatur quod docet Cardinalis Gotti *quæst.* II. *dub.* 2. §. 2. nempe probabile esse, Græcum valide ordinari posse sola instrumentorum traditione. Nam impositionem manuum materiam esse a Christo Domino determinatam, fatentur omnes. Quo ergo fundamento asseri potest, omissa hac materia divinitus instituta, validam esse ordinationem? Sit partialis, & non integra materia hæc manuum impositio: est tamen a Christo determinata. E contrario adversæ sententiæ patroni instrumentorum traditionem institutionis esse ecclesiasticæ fatentur. Ergo potior materia & principalior in hoc sacramento est manuum impositio. Ergo, hac omissa, nullum est sacramentum. Quamvis itaque dici posset, validam esse consecrationem sola manuum impositione; nullo tamen modo adffirmari potest, validam esse ordinationem sola instrumentorum porrectione; cum de materia hac dissidium sit, essentialis ne, vel accidentalis reputari debeat. Impositionem vero manuum omnes, ut dixi, fatentur divinitus determinatam esse. Cæterum, cum neutra opinio certa sit, revocanda in memoriam est definitio Innocentii XI. qua statuitur, in sacramentis conferendis tutiorem partem esse eligendam. Quare mortaliter peccaret, ut omnes aiunt, ille qui in sacra ordinatione ritum suæ Ecclesiæ negligeret. Et ad maiorem securitatem teneretur omisso ritui se subiicere, & potissimum, si omissa fuisset impositio manuum. Tunc enim, ut ego quidem arbitror, nulla prorsus ordinatio esset. Verum de hoc plura, cum de singulis sacramentis sermo erit.

XII. Quod de adiecta per Concilium Tridentinum conditione (qua statuitur, contractum clandestinum ad matrimonii valorem minime sufficere) opponi solet, ut probetur, Ecclesiam reipsa variasse istius sacramenti materiam; nullius momenti est. Siquidem conditio hæc haudquaquam sacramenti materiam afficit; sed legitimam, & solemnem contractus celebrationem spectat. Præcipit sacra Synodus ut sacramentum institutum a Christo Domino non clandestine, sed publice, & solemni ritu celebretur.

XIII. Quæst. III. *Verba quibus formæ sacramentorum constant, sunt ne promissionis, & concionalia, an consecrationis?* Resp. Lutherus contendit verba quibus constant sacramentorum formæ, esse *promissoria*; Calvinum vult esse *concionalia*. Quoniam iuxta hæresiarchas istos sacramenta sunt mera sigilla divinarum promissionum a Deo instituta, ut fidem in nobis excitent, qua iustificemur, & Deo coniungamur. Istius autem coniunctionis sacramenta sunt sigillum, & arrha. Hinc inferunt, verba sacramentorum esse tantum *promissoria*, vel *concionalia*. Error de sola fide iustificante supra reiectus est.

XIV. Catholici omnes negant sacramentorum verba esse promissoria. Id ex eo patet quod effectum, divina operante virtute, producunt, non promittunt. Promissio enim non est actualis rerum largitio, sed gratiæ suo tempore conferendæ pollicitatio. Quid, quæso, promissionis in eiusmodi verbis elucet? *Ego te baptizo* &c. Nihil profecto verba ista promittunt; sed exprimant, efficiuntque præsentem animarum ablutionem, & spiritus regenerationem. Non ergo ad hæreticorum sensum promissoria sunt præfata verba. Neque enim promissio gratiæ facta est credentibus tantum, sed illis credentibus qui reapse sacramentum suscipiunt. Nec legitur Marc. cap. XVI. *Qui crediderit, salvus erit*; sed additur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Duo, non unum tantum, ad salutem Christus requirit, fidem nempe, & sacrum lavacrum. Aberrant itaque Lutherani, & novatores, asserentes verbis quibus sacramenta perficiuntur, gratiam promitti, sola fide obtinendam.

XV. Verba sacramentorum non sunt *concionalia*, ut Calvinus blaterat *Lib. IV. Instit. cap.* XIV. §. 4. ubi de more adversus Ecclesiam Romanam debacchatur. *Verbum*, inquit, *intelligere delemus, non quod sine sensu, & fide insusurratum, solo strepitu, velut magica incantatione, consecrandi elementi vim habeat; sed quod prædicatum intelligere nos faciat quid visibile signum sibi velit*. In concione ergo qua catechumeni instruuntur, quæque præmitti sacro lavacro solet, baptismi formam Calvinus collocat. Sed unde eruit hanc præmittendam concionem esse? An ex Evangelio? Nonne Calviniani validum fatentur baptisma infantibus collatum? Numquid ad istos habenda concio est, antequam baptismus conferatur? Hi ne concioni audiendæ apti? Præterea Calviniani fatentur, nullum esse baptisma, si hæc verba, *Ego te baptizo* &c. omittantur, aut substantialiter immutentur. Quid ergo concionem obtrudunt?

Quid

Quid quod concio, seu catechismus, quem præmittunt Catholici, toto cælo distat ab eo quem præmittunt Calviniani? Conciones quas Sociniani, Ariani, Ebionitæ habere solent, dum adultos baptizant, discrepant a concionibus tum Calvinistarum, tum Catholicorum. Nullum ergo baptisma ab hæreticis collatum? Negant hoc Calviniani. Pernegent ergo necessum est, verba quibus baptisma confertur, esse *concionatoria*. Alioquin sicut instructiones Socinianorum, Arianorum, & Catholicorum Calviniani repudiant, ita eorumdem baptisma improbare deberent.

XVI. Iure igitur Catholici Protestantium commentum, verius dixerim, delirium, quo *concionalia* asserunt hæc verba, *Ego te baptizo* &c. explodunt. Verba quippe *concionalia* parere effectum nequeunt, nisi ab auditoribus intelligantur. Infantes autem, ut dixi, intelligere verba concionalia nequeunt. Præterea officia concionandi, & baptizandi, tamquam duo distincta munera, Scriptura sancta perhibet. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Quem sermonem Christus habuit, dum Eucharistiam instituit? Quid concionis præseferunt verba quibus sacramentum istud perficitur?

XVII. Ad hæc omnia reponit Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* XVI. §. 21. baptismum infantibus non prodesse dum confertur, sed profuturum. *Nihil plus in pædobaptismo præsentis efficaciæ requirendum est, quam ut fœdus cum illis a Domino percussum obsirmet, & sanciat. Reliqua eius sacramenti significatio, quo tempore Deus ipse providerit, postea consequetur*. Nullius ergo utilitatis baptisma erit infantibus, qui, antequam usu rationis potiantur, decedunt. Quin, si concio ad essentiam baptismi pertinet, aut suum parere effectum, dum baptismus confertur, debet; aut frustranea omnino est concio illa puero baptizando. Reponit Calvinus, concionem, non infantibus, sed circumstantibus prodesse. Quid, si nemo, ut sæpius evenit, circumstet? Quid quod baptismus non propter circumstantes, sed propter suscipientium utilitatem institutus est? Insistit Calvinus, & obtrudit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Matth. ult. Dubio procul imbuendi christiana Theologia sunt adulti, antequam baptizentur. Verum hanc instructionem esse partem essentialem baptismi, commentum est Calvinianis dignum.

XVIII. Verba igitur sacramentorum non promissoria, non concionatoria, sed consecratoria sunt, ut Catholici omnes docent. Dicuntur autem verba consecratoria, quatenus sacra symbola, sive elementa externa consecrant, evehuntque ad gratiam divina virtute efficiendam. Hoc in sensu Patres omnes verba sacramentalia exponunt. Paulus *I. Cor.* X. vocat benedictionis seu consecrationis verba hæc: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Dicuntur quoque *verbum vitæ* Ephes. V. Verbum invocationis. *Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius*: Act. XXII. Et quamvis hæc divina testimonia ita luculenta non sint, ut ora obstruant hæreticorum; tamen unanimis Patrum traditio, hoc in sensu sacramentalia verba exponens, Calvinianum errorem penitus profligat. S. Ambrosius *Lib. IV. de Sacram. cap.* IV. inquit: *Panis iste, panis est ante verba sacramentorum. Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam in reliquis omnibus quæ in superioribus a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum*.

XIX. Hoc solum testimonium, Calvini dicacitatem reprimit. Perspicue enim declarat Doctor sanctus formam sacramentorum sitam haud esse in instructionibus, deprecationibus, aut concionibus, quæ præmitti, dum baptizantur adulti solent; sed in solis verbis quibus symbola consecrantur. Hoc idem docet S. Augustinus tract. lxxx. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Item *Lib. VI. de baptismo cap.* XXV. hæc habet. *Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus consecrari non potest: & ipse sanctificat sacramentum suum, ut homini, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, id solum valeat ad salutem quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret*. Plura alia SS. PP. testimonia prætereo brevitatis studio.

XX. Obiicies I. S. Ambrosius *Lib. de mysteriis cap.* III. hæc scribit: *Aqua sine prædicatione dominicæ Crucis ad nullos usus futuræ salutis est. Cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, & salutaris poculi temperatur*.

XXI. Respondeo, hæreticos, qui similia Patrum testimonia obtrudunt, ludere verbis; & ut suis erroribus velum aliquod prætendant,

dant, ea exaggerare quæ a Catholicis non negantur. Conciones, instructiones, & benedictiones, antequam sacramenta ministrentur, communiter præmitti, ultro fatentur omnes. Adultorum baptisma præcedunt aquæ, fontisque baptismalis benedictiones. Sacrum lavacrum virtute dominicæ Crucis, seu meritorum Cristi Iesu salubre evadit. Hæc omnia prædicantur, priusquam adulti baptizentur. Hæc constant ex ipsis S. Ambrosii verbis: *Cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, & salutaris poculi temperatur*. Utique non semper, puta urgente necessitate, eiusmodi ritus adhibentur. At S. Ambrosius describit solemnes ritus quos celebrare Ecclesia solet; tametsi, his etiam sublatis, validum baptisma sit. Quam inaniter heterodoxi S. Ambrosii auctoritatem obtrudant, inde patet, quod S. Doctor ibidem sequenti capite conceptis verbis illorum errorem damnet, & Catholicorum doctrinam confirmet, dum asserit, sacrum lavacrum virtute pollere sanctificandi animam. Animadvertant ergo hæretici homines, nos illos haudquaquam arguere, quod doceant, sacramenta esse sigilla, signacula, pignora divinæ gratiæ, & cælestium promissionum; quod doceant, præcedere debere baptisma adultorum conciones, atque instructiones: sed illos iure redarguimus, quod negent evangelica sacramenta esse symbola, & pignora practica, ac efficientia animarum sanctificationem.

XXII. Obiicies 2. S. Augustinus *tract.* lxxx. *in Ioan.* ad illa Christi verba (Ioan. xv.) *Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*, hæc scribit: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? . . . . Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Unde in Actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum . . . . Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & baptismus*.

XXIII. Missis variis Auctorum responsis, mihi arridet germana interpretatio Cl. P. Laurentii Berti *Lib. XXXI. cap.* xi. ubi animadvertit, S. Augustinum perspicue docere, verbis evangelicis baptisma consecrari, non præcedenti concione, aut instructione. En illius luculentum testimonium *Lib. III. de baptismo cap.* xv. ubi inquit: *Integrum est sacramentum, si constet evangelicis verbis*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; *quamvis eius fides, sub eisdem verbis aliud opinantis quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata*. Subdit M. Pater eodem *de baptismo* opere *Lib. VI. cap.* xxv. in his evangelicis verbis, *in nomine Patris* &c. contineri sacrum symbolum, quod tribus partibus constat, triumque personarum, Patris, & Filii, & Spiritus sancti prærogativas indicat. *Ceterum*, inquit, *quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica quibus symbolum constat, illic defuerint*? Baptismum, his verbis evangelicis consecratum, ad salutem æternam regenerare, nullaque hominum perversitate frustrari, demonstrat ibi Augustinus. In commentariis in Evangelium Ioannis Doctor sanctus docet, evangelica verba quibus symbolum constat, fide divina credenda esse. Et his verbis quæ credenda prædicantur, conficitur baptisma. Hæc duo coniungant heterodoxi, & continuo evanescit illorum commentum.

CAPUT VI.

Plures quæstiunculæ resolvuntur circa mutationem materiæ, & formæ sacramentorum.

I. DUplex in materia & forma sacramenti mutatio distinguitur: altera substantialis, accidentalis altera. Rursus altera mutatio physica, altera theologica. Mutatio substantialis physica est substitutio unius substantiæ loco alterius: ut quando aqua ponitur loco vini, aut argentum loco auri. Accidentalis physica mutatio est quando eadem physice substantia remanens, subit aliquam alterationem: ut cum aqua magno frigore congelatur. Hæc mutatio, in genere physico accidentalis, in genere theologico est substantialis. Tum enim mutatio substantialis theologica dicitur, quando inepta est ad significandum id ad quod est instituta: & quia aqua gelu concreta inepta est ad significandam ablutionem interiorem, ideo substantialis mutatio est iuxta communem Theologorum sensum. Accidentalis vero mutatio theologica est, si aqua sit frigida, vel calida, vel odoribus affecta, quia tunc apta remanet ad exteriorem ablutionem peragendam, & interiorem significandam. Similiter verba theologice substantialiter mutantur, quando sensum amittunt; accidentaliter vero, dum sensum retinet, & aliquam levem variationem subeunt; ut mox exemplis constabit. Mutatio accidentalis materiæ in sensu theologico ex diversa etiam materiæ applicatione evenire potest; sicut quando baptismus confertur per aspersionem, infusionem, aut effusionem aquæ. Accidentalis variatio formæ contingit, aut quia verbis quibus Ecclesia utitur, alia substituuntur eiusdem significationis & valoris; aut quia alia verba adduntur, vel detrahuntur, quorum tamen additio, vel detractio nec tollit, nec mutat sensum.

II. Quæst. I. *Quæ mutatio materiæ, aut formæ nullum reddit sacramentum*? Resp. Penes omnes convenit, substantialem solam, secus accidentalem, mutationem materiæ, vel formæ nullum reddere sacramentum. Qui enim substantialiter variat materiam, aut formam a Christo præscriptam, variat ipsam Christi Domini institutionem, & eiusdem sacramenti substantiam: ergo illud destruit.

III. Quæst. II. *Quot modis induci variatio accidentalis, vel substantialis in materia potest*? Resp. Variis modis. Aqua congelata conversa in grandinem, in nivem, ut iam supra indicavi, licet physice substantialiter eadem sit, theologice tamen substantialem mutationem affert respectu baptismi; cum inepta sit ad usum abluendi. Similiter aqua conversa per distillationem in aquam rosaceam, substantialiter mutata est. Chrismatis benedicti in chrisma non benedictum mutatio substantialis est. Vinum naturale in vinum crematum mutatum, non est apta materia Eucharistiæ: quia substantialiter mutatum est. De vino congelato disputant Theologi in utramque partem, sit ne apta materia Eucharistiæ. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* I. *num.* 24. partem adfirmantem ut omnino probabiliorem defendit. Adducit P. Suarez, qui *dis.* xlv. §. I. ait, hanc sententiam esse fere certam. Hodie hæc opinio ad praxim reduci non potest, quia in sacramentis perficiendis ex decreto Ven. Innocentii XI. dum de sacramentorum valore agitur, tutiorem sententiam amplecti debemus. Sacramentum eucharisticum, per modum cibi & potus institutum est. Glacies autem non est materia potus. Plura dicentur suo loco.

IV. Quæst. III. *Quot modis formæ variatio contingere potest*? Resp. P. Dominicus Soto *in* IV. *dist.* I. *quæst.* I. *art.* 8. plures huius variationis modos recenset. Octo potissimum numerantur. 1. fit per diversum idioma. 2. per alicuius verbi additionem. 3. detractione alicuius verbi. 4. verborum corruptione. 5. verborum transpositione. 6. interpolatione verborum. 7. verbis synonymis. 8. verbis æquivocis. Diversitas idiomatis, & diversa synonyma inducunt tantum mutationem accidentalem; dummodo verba synonyma revera iuxta communem sensum efferant eamdem significationem. Similiter verborum transpositio, quæ sensum non tollit, solum inducit mutuationem accidentalem. Additiones verborum solam inferunt mutationem accidentalem, quoties non destruunt sensum quem præferunt evangelica verba. Interruptio pariter verborum, si tanta non sit, ut verborum sensus tollatur, non infert substantialem mutationem; sicuti neque corruptio verborum, nisi sit tanta, quæ sensum destruat, ut communiter destruit, quando corruptio contingit in vocis initio. Hoc patet in voce *Patris*, in qua si litteram P. mutes in M. consurgit vox *Matris*. Corruptio vero in fine vocis, communiter non inducit mutationem substantialem. Substitutiones vocum, aut litterarum, & verba æquivoca, quæ sensum mutant, substantialem inferunt mutationem. Tot sunt mutationes quæ accidere possunt in formis sacramentorum, ut vix recenseri valeant. Plures expendam, dum de sacramentis in particulari sermo erit. Regula generalis esto. Quoties sensus obvius quem præferunt evangelica verba, destruitur, variatio est substantialis. Contra, si sensus verborum consistat, tunc mutatio accidentalis erit. Ut igitur resolvere valeas, an substantialis, vel accidentalis sit mutatio, sensum obvium verborum semper præ oculis habeto. Altera quoque regula semper menti obversetur, nempe, in sacramentis conferendis, dum de valore eorumdem agitur, tutiorem sententiam amplectendam esse. His duabus regulis serio expensis, facile cuiusque mutationis vim percipies. Baptismus, his verbis collatus, *Baptizo te in nomine Patria, Filia, & Spiritu sancta*, validus esset, quod vocum terminatio imperitiæ latinæ linguæ effectus sit, & sensus substantialis remaneat. Invalidus mihi esset sub hac forma administratus, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui alterius sunt a Patre substantiæ*: quia postrema verba pravum sensum affingunt verbis evangelicis. Similiter, si quis Basilidis imbutus errore, & Marcionis, his verbis consecraret azymum: *Hoc est corpus meum, quod aereum & umbraticum est*: nullum esset sacramentum. Considerandum semper est, num minister sacramentorum variet formam ob imperitiam linguæ in qua consecrat, aut ob pravum finem in-

ducendi aliquam hæresim. In hoc posteriori casu variatio substantialis est, & nullum reddit sacramentum.

V. Quæst. IV. *Quodnam peccatum perpetret qui in perficiendis sacramentis aliquid sive in materia, sive in forma mutat?* Resp. Quæcumque deliberata mutatio in materia, vel forma sacramentorum culpabilis est. Maior vero aut minor culpa erit, iuxta minorem aut maiorem variationem. Si mutatio substantialis fiat aut ex prava deliberatione, aut ex crassa negligentia, mortalis, & quidem gravissima, culpa erit sacrilegii. Maxima quippe iniuria irrogatur & Deo sacramentorum auctori, & suscipienti, qui fructu sacramenti privatur. Letale quoque crimen perpetraret qui aut novos induceret ritus in sacramentorum administratione, aut præscriptos ab Ecclesia omitteret; ut ex Concilio Tridentino *sess.* VII. *de Sacram. in gen. can.* XIII. colligitur. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni administratione sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Quamquam ergo mutatio substantialis non sit, non propterea a peccato letali immunis minister ex officio est, si mutatio notabilis fuerit. Quin nec iuris ignorantia suffragatur ministro ex officio: quia scire tenetur ea quæ ad suum munus obeundum necessario requiruntur. Excusari dumtaxat laicus posset a letali culpa, si necessitate urgente baptizans, aliquo modo in materia, vel forma deficeret. Obstetrices tamen instructæ sint oportet in iis quæ ad præscriptam verborum formam in baptismo conferendo necessaria sunt.

VI. Quæst. V. *Quæ mutationes accidentales dicuntur graves, letalem culpam inferentes?* Resp. Plures numerantur ab Auctoribus. Sacerdos latinus mortaliter peccaret, qui Græcorum formam adhiberet, sic baptismum administrans: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Peccaret quoque letaliter Sacerdos latinus qui alieno idiomate in administratione sacramentorum uteretur; quidquid fabulentur Protestantes. Solum matrimonium vernacula lingua confici valet. Obstetrices quoque lingua vernacula administrare baptismum expedit: quoniam sic obtinet Ecclesiæ latinæ usus. Rursus peccaret letaliter Sacerdos latinus, qui more Græcorum consecraret in fermentato. Item qui in consecratione calicis omitteret hæc verba, *novi, & æterni testamenti*. Sed plura dicentur, dum singula sacramenta explicabuntur.

VII. Quæst. VI. *Licitum ne est in perficiendis sacramentis uti materia, vel forma dubia?* Resp. In sacramentis quæ sunt necessaria necessitate medii ad iustificationem, urgente extrema necessitate, licitus est usus materiæ, aut formæ dubiæ; ut defendunt communiter Theologi. S. Augustinus *Lib. I. de adulterinis coniugiis cap.* XXVIII. docet, baptizandum catechumenum, si desperatus iaceat, nec valeat respondere, etiamsi, vivente coniuge, adulterina consortia retinuerit; qui tamen sanus existens ad baptismum non admitteretur. Similiter addit, impertiendam esse pœnitentiæ reconciliationem morituro loquela destituto, tametsi ob pravam vitam actam, dubia sit eiusdem dispositio, seu contritio, inquiens: *Nec ipsos enim sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Nonne, argumentabatur Augustinus, proditori propriis manibus corporis sui *sacramentum* distribuit Christus Dominus, quamquam prohibeat sanctum dare canibus? Sacramenta enim pro hominum salute sunt instituta, non homines propter sacramenta. Ideo Christus Dominus vult ob infinitam suam erga nos caritatem, ut cum periculo etiam sacramentorum, hominum saluti provideatur, quando provideri alia via nequeat. Heinc puero morituro, deficiente aqua limpida, poterit aqua alio liquore vitiata baptismus administrari. Sacri canones præscribunt pœnitentiæ ministris ut fideli animam agenti, & nutu, aliove signo reconciliationem petenti, absolutionis remedium impertiant; quamvis pietatis operibus suam non probaverit contritionem.

VIII. Extra casum necessitatis extremæ illicitum est uti materia, aut forma dubiis, etiam in sacramentis necessitate medii ad salutem requisitis. Hæc communis sententia est Patrum, & Theologorum. S. Augustinus *Lib. I. de baptism. cont. Donatist.* ubi sermonem habet de illo qui certus esset de baptismo Catholicorum, & dubius de baptismo Donatistarum, hanc præscribit regulam. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus vel eo solo quod certis incerta præponeret.* Quam doctrinam confirmavit Innocentius XI. dum thesim proscripsit *cap.* I. relatam.

IX. In aliis sacramentis a baptismo, & pœnitentia illicitus est usus formæ, aut materiæ dubiæ, etiam necessitate urgente: quoniam ratio cur licitus sit usus formæ, aut materiæ dubiæ in baptismo, & pœnitentia, urgente extrema necessitate, est periculum æternæ damnationis. Huic autem periculo anima non subiacet, si cetera sacramenta omittantur. Nequit itaque Sacerdos consecrare in materia dubia, ut morituro sacram communionem præbeat; neque eidem licet uti liquore de quo dubitat sit ne verum oleum, ut ungat fidelem morti proximum. Similiter licitus non est usus materiæ dubiæ sub forma conditionali. Quandoquidem sacri Canones, Patres, & Theologi usum materiæ dubiæ licitum asserunt in solo extremæ necessitatis casu. Ergo qui extra casum necessitatis sub conditione absolutionem impertiret, graviter peccaret, si dubitaret esset ne absolvendus sufficienter contritus.

X. Quæst. VII. *Quo tempore obtinuit usus formæ conditionalis?* Resp. Forma conditionalis hæc est: *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo* &c. Communis Theologorum sententia est hanc conditionalem formam antiquis temporibus, immo usque ad sæculum VIII. fuisse inauditam. Idque adductis monumentis evincunt. Sæculo III. fervente controversia, valeret ne baptismus per aspersionem administratus *clinicis*, seu in lecto decumbentibus, S. Cyprianus *epist.* LXXVI. ad Magnum, se existimare ait, gratiam istos assecutos esse. Subdit vero: *Si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes & vacui sunt; non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur.* Nulla hic conditionalis formæ mentio, opportune alioquin facienda. Item Concilium Arelatense I. anno 314. celebratum statuit ut baptizati ab Arianis, si ignorent an fuerint invocato Trinitatis nomine baptizati, *& interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur*, nulla facta conditionis mentione. Hoc ipso desinente sæculo Concilium Carthaginense V. *can.* VI. præscribit ut sublata omni hæsitatione baptizentur infantes, *si certissimi non inveniantur testes qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere.* Neque hic conditionis commemoratio fit. S. Gregorius Magnus *Lib. XIV. epist.* XVII. in dubitatione de collato baptismo, confirmatione, & Ecclesiæ dedicatione hæc statuit. *Ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canoni dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.* Si usus obtinuisset formæ conditionalis, dubio procul in his, aliisque monumentis aliquod appareret indicium, cum iterandi sacramenti casus narrentur.

XI. Quæ hactenus dicta sunt, luculentius confirmantur. Quia sæculo VIII. usus formæ conditionalis obtinuit, eiusdem expressa habetur mentio. Nam *Lib. VI. Capitul.* Caroli Magni *cap.* CLXXXI. usus formæ conditionalis præscribitur his verbis: *De quibus dubium est utrum sint baptizati, an non, omnimodis, absque omni scrupulo baptizentur, his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo; sed, si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Usus tamen huius conditionis nondum universalis erat vel in ipsis Galliis. Nam *Lib. VII. c.* CCCXCI. hæc leguntur statuta. *Placuit ut infantes, quando non inveniuntur certissimi testes qui eos sine dubitatione baptizatos esse testentur; neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere; absque ullo scrupulo tempore legitimo baptizentur. . . . Quoniam quod non ostenditur gestum, ratio non finit ut dicatur iteratum.* Nulla hic conditionis mentio. Quod argumento est recentem fuisse hoc sæculo usum huius conditionis. Nulla enim consuetudo recenter introducta continuo apud omnes Ecclesias obtinet, sed lento pede dilatatur.

XII. Sæculo XIII. apud omnes Latinorum Ecclesias consuetudo huius formæ conditionalis communis evaserat. Nam eiusdem usus præscriptus habetur in corpore iuris canonici auctoritate Gregorii IX. S. Raymundi O. P. opera promulgato, ubi cap. *De quibus*, de baptismo hæc habentur. *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo* &c. Hæc Decretalis est Alexandri III. qui sæculo circiter præcessit Gregorium IX. Unde solum colligitur, usum ante Gregorium IX. formæ conditionalis amplificatum fuisse; at inde inferri nequit, communem apud omnes Latinorum Ecclesias fuisse, antequam Decretalis iuri canonico inserta promulgaretur. Et hoc magis constat ex Petro Cantore Doctore Parisiensi, qui ante Gregorium vixit, & hunc usum reiecit, inquiens: *In confirmatione, aut in baptismo, de quo dubitatur an sit collatus, non approbamus conditionem appositam sic:* Si non es baptizatus *&c. quia sacramenta non sunt conditionaliter conferenda.* S. Thomas III. *Part. quæst.* LXVIII. *artic.* 7. *ad* 2. hanc formam conditionalem adhibendam suggerit, ut ritum extra controversiam positum. *Si adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebapti-*

ptizandus. Si tamen hoc non constaret, esset dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

XIII. Usus formæ conditionalis primum obtinuit in administratione sacramentorum quæ iterari nequeunt. Hoc colligitur ex indicatis monumentis, in quibus solius baptismatis, aut confirmationis, aut ordinis mentio fit. Vix reperitur vestigium formæ conditionalis ante Tridentinum in aliorum sacramentorum administratione. Post Tridentinum plures Auctores defendunt usum formæ conditionalis etiam in administratione sacramenti pœnitentiæ. Referunt Clementem VIII. hominem labentem e fabrica Vaticani, absolvisse hac conditione: *Si es capax, absolvo te* &c. Hominem inopinato morbo correptum, qui nullum edere signum, animi contritionem manifestans, valet, absolvi posse sub conditione, nec ipse negare audeo. Extra necessitatis extremæ casum istius formæ usum in administratione sacramenti pœnitentiæ ego non probo. Confessarii nonnulli, quoties dubitant de pœnitentis dispositione, sit ne sufficienter contritus, absolvere eum sub conditione solent. Mos iste mihi minime probatur, tum quod nullum in antiquitate vestigium formæ conditionalis in istius sacramenti administratione; tum quod formæ sacramentorum a Deo ipso institutæ, & prædefinitæ nullo modo alterari debent, neque verborum additione, extrema necessitate sublata. Si enim pœnitens compos sui sit, & dubitatio oriatur, impertita ne absolutio sit; novum edat doloris actum, & denuo peccata confiteatur, & absolute absolvatur: quia tum non iteratur idem numero sacramentum, etiamsi data prius absolutio fuisset; sed novum sacramentum administratur. Quoniam licet eadem sint peccata, actus tamen pœnitentis, qui sunt proxima sacramenti materia, iidem non sunt. Si dubia sit dispositio pœnitentis sani, suique compotis; tunc instruatur, & differatur absolutio, donec dispositus prudenter cognoscatur. Plures Confessarii, quorumdam Casuistarum lectione decepti, quoties dubitant, sint ne adolescentes, aut peccatores consuetudine prava devincti, dispositi nec ne, ut sibi caveant, & rem in tuto collocent, continuo conditione adiecta, *si capax es*, eosdem absolvunt. Porro qui sine extrema urgente necessitate alterat formam a Christo institutam, maximam iniuriam institutori, qui absolutas, non conditionales formas instituit, irrogat. Cauti ergo sint sacri ministri, & dum industria, ac labore instruere, & disponere pœnitentes suos possunt, non audeant formæ a Christo Domino præfinitæ quidquam adiicere. Verum plura de his in tractatu de pœnitentia.

CAPUT VII.

De sacramentorum evangelicæ legis numero, & dignitate.

I. SAcramentorum numerum, & dignitatem sacrum Concilium Tridentinum definivit *sess.* VII. & ad numerum quod attinet, hunc formavit canonem I. his verbis conceptum. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie sacramentum; anathema sit.*

II. Adversus hunc septenarium numerum primo Lutherus, post Calvinus, deinde Lutherani, & Calviniani omnes, agmine facto, conclamarunt ad arma, & de more, non modo contra catholicum dogma, verum etiam contra semetipsos bellum excitarunt intestinum. Reiecta quippe firma veritatis regula, Ecclesiæ scilicet auctoritate & iudicio, continuo dispersi & confusi, singuli ex ingenio sacramentorum numerum diminuerunt, auxeruntque. Lutherus primo unum solum, post duo admisit sacramenta; immo *lib. de Captiv. Babylon.* aperte testatur, se non damnare *septem sacramenta*; sed ait, illa ex divinis Scripturis probari non posse. Angli sub Henrico VIII. septem admiserunt sacramenta, ut ipsorum hæreticorum testimoniis Cl. Bossuetus demonstrat *Lib. VII. Hist. variat.* Lutherani in *Apolog. Confess. Augustan. ad art.* 13. tria admittunt sacramenta, *baptismum, confirmationem, absolutionem*. Brentius, & Melanchthon tria, Lucas Lossius quatuor recipiunt. Hugo Grotius *Tom. IV. pag.* 698. inquit: *Sacramentorum vox quamquam per se latius patet, potuit tamen strictius sumpta ad septem illos actus externos interna significantes referri, quorum augustior in Scripturis est mentio, ut Baptismi Matth.* XXVIII. *Marci* XVI. *Confirmationis Act.* VIII. *Eucharistiæ Matth.* XXVI. . . . *Ordinationis I. Timoth.* IV. *Pœnitentiæ Matth.* XXVIII. *I. Cor.* V. . . . *Matrimonium Ephes.* V. *Unctionis infirmorum Marci* VI. *Iacobi* V. *Eminere inter ea quæ veterum more sacramenta dici possunt, illa septem agnoscunt & Lutherus, & Melanchthon.*

III.

III. Communis hodie hæreticorum sententia, tam Lutheranorum, quam Calvinistarum, duo tantum recipit sacramenta, baptismum, & Eucharistiam. Calvinus in *Antidoto* contra I. *can. Trident.* more suo nugatur. *Volunt*, inquit, *septem a Christo instituta esse sacramenta. Cur ergo non ipsum iubebant instituere? Nobis cur succenseant, nihil est caussæ.* Ipsa argutandi ratio, non succensendi Calvino, sed illius cæcitatem lugendi, caussam præbet. Duo ille sacramenta admittit. Cur non iussit ut illa instituerentur? Septem nos numeramus sacramenta, quia totidem Christus instituit. Martinus Chemnitius in *examin. Concil. Tridentini part.* 2. *ad* I. *can.* Calvini vestigia premit, contra hunc septenarium numerum effutiens, Tridentinos Patres statuere *sine omni probatione talia sacramenta in N. Testamento non esse plura, vel pauciora quam septem; cum expressio septenarii numeri nec in Scriptura, nec in tota vera & puriori antiquitate demonstrari possit.* Ostendat Chemnitius cum suis Lutheranis expressionem binarii numeri in Scriptura divina reperiri. Res numeratas septenario numero in Scripturis sanctis perspicue a Deo institutas reperiri ostendimus, & hoc satis nobis est ad obstruenda Lutheranorum, & Calvinistarum ora mendacia. Lutheranus iste, quemadmodum ceteri, mendaciis, & impostures de more contra Catholicos bellum gerit. Congruentias quas Theologi nostri cum S. Thoma assignarunt divinæ institutionis, antequam Lutherana secta e tenebris erumperet, Chemnitius blaterat esse rationum momenta quibus adstruimus sacramenta nec plura, nec pauciora esse quam septem. Hæc autem est putidissima calumnia: nam omnes Theologi catholici ex duplici fonte eruunt hunc sacramentorum numerum, nempe ex divinis Scripturis, & perenni omnium Ecclesiarum traditione. Deinde, demonstrato facto, Christum nempe reipsa septem instituisse sacramenta, quasdam huius divinæ institutionis congruentias explicant.

IV. Obvia autem sunt Scripturarum testimonia, quibus hæc septem sacramenta a Deo instituta esse evincimus. Non est quod rescribam baptismatis, & Eucharistiæ institutionem: cum & ipsi novatores hæc duo sacramenta instituta a Deo confiteantur. Sacramentum confirmationis declarat S. Lucas *Act.* VIII. his verbis. *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Institutum sacramentum pœnitentiæ legimus Ioann. IX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sacramenti extremæ unctionis institutionem exponit S. Iacobus epistol. catholica cap. V. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & allevialit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* S. Paulus I. *ad Timoth.* IV. sacramenti ordinis meminit. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Postremum idem Apostolus matrimonii sacramentum luculenter proponit ad Ephes. V. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

V. Blaterant Lutherani, & Calviniani, ex recensitis divinis Scripturis colligi tantum sacras esse cæremonias, secus sacramenta, quæ ibi describuntur. Sed hæc sunt consueta illorum effugia. Quis iudex sedebit, qui germanum transcriptorum textuum sensum definiat? Apostatæ Lutherus, & Calvinus? Pudeat perduelles homines tribunal erigere adversus universam Ecclesiam. Perennis Ecclesiæ traditio nos certos reddit, vere & proprie sacramenta *loc. cit.* describi: quod brevissime evinco.

VI. Et primum, tempore quo Lutherus, & Calvinus nefariæ secessionis vexillum explicarunt, universa Ecclesia catholica, sive occidentalis, sive orientalis dogma profitebatur septem sacramentorum. Ad occidentalem Ecclesiam quod attinet, vel ipsi hæresiarchæ fatentur, septem sacramenta hanc admisisse, invecta, ut ipsi garriunt, ab otiosis Monachis, antiqua fide reiecta. De orientali res quoque comperta est. Edisserant novatores, quo tempore, in quo Concilio Ecclesia Græca litem super septenario sacramentorum numero Ecclesiæ Latinæ intentaverit. Numquid Græci perpetuum silentium servassent, si in hoc puncto ab illorum Ecclesia Latini discessissent? Quid quod non minus Græci quam Ecclesia occidentalis novatoribus nostris improperant errorem negati septenarii numeri sacramentorum? Nam Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus ad *Confessionem Augustanam* sibi missam a Theologis Vittembergensibus, hoc præbuit responsum, ut habetur *Tom. V. Perp. Trid. Lib. I. cap.* III. his verbis conceptum. *Cæremonias sa-*

sacras, & sacramenta in Ecclesia catholica a Christianis orthodoxis recepta, numero septenario contineri, Baptismo nimirum, unctione divini chrismatis, communione divina, Ordinatione, Matrimonio, Pœnitentia, & oleo sancto: sicut septem sunt dona Spiritus sancti, ut loquitur Isaias; ita septem esse sacramenta, quæ Spiritus sanctus operatur, nec plura, nec pauciora. Hoc responsum, datum anno 1677. Lutheranorum, qui in proprias trahere partes omni adhibita arte pertentaverant dictum Patriarcham, audaciam repressit, eorumque hæresim luculentius declaravit.

VII. Calviniani anno circiter 1625. Cyrillum Lucari Patriarcham Constantinopolitanum, vafrum, & morum corruptione obscuri nominis hominem, propriæ hæresis lue de binario sacramento infecere. Ab eodem fidei confessionem extorserunt, in qua *art.* 15. testatur, *Græcorum perpetuam, & consentientem esse doctrinam, duo tantum sacramenta, Baptisma, & Eucharistiam, a supremo Legislatore Christo sancita.* Continuo ac Clerus Constantinopolitanus rescivit, formulam hanc clanculum a versuto Patriarcha evulgatam, vocem contra eamdem exaltavit, & eiusdem Cleri nomine Gregorius Coressius Chius contrariam catholicæ fidei formulam opposuit; quam postea Gregorius Proto-Syncellus publici iuris fecit anno 1635. In hac declaratum est, septem esse novi testamenti sacramenta, consentiente anno 1635. ipso Cyrillo Lucari, ut universale Græcorum odium declinaret. Demum, Cyrillo e vivis sublato, Concilium Constantinopolitanum anno 1638. congregatum hæc statuit; *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, & credenti non esse ex institutione Iesu Christi, neque ex Apostolorum traditione, praxique perpetua septem Ecclesiæ sacramenta, Baptismum scilicet, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam, Sacerdotium, extremam Unctionem, & Matrimonium; sed falso asserenti duo tantum a Christo in Evangelio data esse, aut instituta, Baptismum, & Eucharistiam.* In altera Synodo Constantinopolitana anno 1642. Cyrilli confessio proscripta est, quod Calvinianorum errorem continebat. *Eo quod* (inquiunt Patres art. 15.) *quinque Ecclesiæ sacramenta repudiet, Sacerdotium, sanctum Chrisma, extremam Unctionem, Confessionem, quæ pœnitentia fit, & honorabile Connubium, quæ ad nos antiqua traditio, tamquam res sacras, transmisit divinæ gratiæ effectrices.* In eumdem Cyrillum anathema dixit Synodus Hierosolymitana, sub Patriarcha Dositheo habita anno 1672. *cap.* V. his verbis. *Cyrillo dogmatizanti, & credenti non esse septem Ecclesiæ sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem, extremam Unctionem, & Matrimonium, iuxta Christi dispositionem, Apostolorumque traditionem, nec non & Ecclesiæ consuetudinem; sed mentienti duo tantum a Christo tradita fuisse, Baptismum scilicet, & Eucharistiam.... anathema.* Huc tandem Lutheranorum, & Calvinistarum artificia reciderunt, ut inde audirent suæ hæresis damnationem, unde suarum fraudum vi approbationem sperabant.

VIII. *Quod apud omnes unum invenitur, non est erratum, sed traditum*, axioma est Tertullianeum. Utraque Ecclesia, orientalis, & occidentalis, septem professa est sacramenta sæculo quo prodierunt Lutherani, & Calviniani. Ab illis percontamur, quando, & ubi innovatio cœperit. Innovarunt Lutherus, & Calvinus dogma istud. Reclamarunt continuo utriusque Ecclesiæ Catholici omnes; & in eosdem anathemata intorserunt. E contrario Catholici Itali, Galli, Germani, Hispani, Angli, Græci, cum catholici, tum schismatici, Copti, Iacobitæ, Nestoriani per universum christianum orbem dispersi, obliterato dogmate binarii sacramenti, quod sæculo IV. iuxta Calvinum obtinebat, unanimi consensu novum septem sacramentorum dogma fabricarunt. In tanta nationum diversitate, in tanta Catholicorum, hæreticorum, schismaticorum multitudine, nemo unus reclamavit? Nullum in universa retro antiquitate tantæ innovationis vestigium? An si Romani Pontifices in Ecclesia Latina hoc sacramentorum numerum ex binario ad septenarium amplificassent, obmutuissent Græci, Latinis insensissimi? An heinc luculenter non constat Lutheranos, & Calvinianos manifeste delirare, dum istius dogmatis variationem nobis exprobrant? Aut ergo designent tempus, auctoresque eiusmodi mutationis, aut tandem insanire adversus catholicam Ecclesiam desinant.

IX. Catholicam veritatem confirmant tum Euchologia Græca, quorum plura edidit P. Iacobus Goar, tum Ritualia Ecclesiæ Latinæ. Accedit perpetua SS. Patrum traditio, quorum testimoniis missis, brevitatis gratia, loca tantum indicabo. Tertullianus *Lib. de resurrectione carnis cap.* VII. Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam; & *Lib. de præscript.* cap. XLI. Ordinis sacramentum recenset. Sed illud est advertendum, Patres non semper enumerare omnia septem sacramenta; sed illa dumtaxat quorum mentio argumento quod tractabant, oportuna erat. Si ergo evincamus, Patres modo unum, modo alterum commemorare, adeo ut nullum sit cuius illi non meminerint; victoriam adversus novatores obtinuimus. S. Cyprianus *epist.* LXX. præter Baptismum & Eucharistiam, sacrum chrisma commemorat. *Origenes, Tertullianus, Pacianus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus*, & ceteri Pœnitentiam esse sacramentum aperte testantur. S. Augustinus Baptismum, & Eucharistiam *epist.* LIV. Confirmationem *Lib. III. contra litteras Petiliani Donatistæ cap.* X. Pœnitentiam *Lib. V. de Baptismo cap.* XX. Ordinem *Lib. II. contra epist. Parmen. cap.* XIII. numerat, & vera sacramenta esse testatur. Et Matrimonium sacramentum esse docet *Lib. de bono coniugali cap.* XVIII. Sacramenti extremæ unctionis meminerunt Innocentius I. *epist. ad Decentium*, & S. Ioannes Chrysostomus *Lib. III. de Sacerdotio cap.* VI. Mentiuntur ergo novatores, dum effutiunt, altum esse septem sacramentorum silentium apud antiquos Patres.

X. Congruentes rationes assignat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXV. *art.* 1. cur nec plura, nec pauciora sint quam septem. Sacramenta duo spectant; hominis perfectionem in his quæ pertinent ad cultum Dei, & eiusdem a peccato curationem. Septem autem homo indiget, ut hæc duoassequatur. 1. ut ad vitam spiritualem regeneretur: & hoc obtinet per *baptismum*. 2. augeri, & roborari debet: & hoc augmentum *confirmatio* adfert. 3. alimento indiget: & *eucharistico epulo* nutritur. 4. si in morbum incidat, sanari debet: & per *pœnitentiam* amissa spiritualis vita restituitur. 5. virium imbecillitas instauranda est: & per *extremam unctionem* virtutes roborantur, sublatis peccatorum reliquiis. 6. dirigi, & imbui debet in via spirituali: & per *ordinem* traditur potestas administrandi sacramenta, & exercendi sacras cæremonias. 7. per *matrimonium* tandem vir & mulier sancte coniunguntur, ut ex hac coniunctione filii Dei propagentur, & conserventur. Ex alio quoque capite septenarii numeri convenientiam colligit. Nam *Baptismus* institutus est contra peccatum originale. *Confirmatio* contra infirmitatem animi. *Eucharistia* contra animi proclivitatem ad peccandum. *Pœnitentia* contra peccatum actuale. *Extrema unctio* contra reliquias peccatorum. *Ordo* contra dissolutionem multitudinis. *Matrimonium* in remedium contra concupiscentiam. Tandem septem sacramenta ad septem virtutes animum præparant. Baptismus est sacramentum fidei, confirmatio spei, Eucharistia caritatis, pœnitentia iustitiæ, extrema unctio perseverantiæ, ordo providentiæ, matrimonium temperantiæ. Ineptissime garrit Chemnitius cum suis Lutheranis adversus harum rationum convenientiam, & de more impudenter mentitur, has rationes a nobis adduci, ut septenarii numeri sacramentorum institutionem probemus, quemadmodum supra indicavi.

XI. Obiiciunt 1. heterodoxi, sacram Scripturam numeri septenarii nullibi meminisse. Sed iam responsum est, divinam Scripturam nobis explicare sacramenta, quæ efficiunt numerum septenarium.

XII. Opponunt 2. Traditio Patrum numero septenario sacramentorum adversatur. Immo pauciora esse definiunt. Primis Ecclesiæ sæculis disciplina arcani obtinebat, occultandi videlicet sacra mysteria religionis nostræ. Porro duo tantum occultata sacramenta legimus, *Baptismum*, & *Eucharistiam*, ut habetur ex S. Augustino in *Psalm.* CIII.

XIII. Responsio patet ex iis quæ dicta sunt. Nam Patres numerum sacramentorum non definierunt, quia nulla tunc controversia de hoc numero habebatur. Quoties hæretici aliquod sacramentum negabant, continuo Ecclesia anathemate illos percutiebat. Nonne sæculo III. damnavit Novatianos, quod neophytos non confirmarent; sæculo IV. Manichæos, quod sacras nuptias improbarent; sæculo XIV. Wicleffistas, reiicientes unctionem extremam; & tandem in Concilio Tridentino numerus septenarius definitus est, quia hæretici Lutherani, & Calviniani hunc numerum insectabantur? Utique disciplina arcani vigebat, occultandi non sacramenta modo, verum etiam alia religionis nostræ mysteria. Sed negamus duo tantum occultata sacramenta fuisse. Idque adductis testimoniis evincit Cl. Emmanuel Schelestrates *de discipl. arcan. contra Tentzelium cap.* II. *art.* 2. S. Basilius *Lib. de Spirit. sanct. cap.* XXVII. enumerat *olei inunctionem* inter arcana Ethnicis occultata. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* XVIII. *in II. Epist. ad Cor.* occultandam Gentilibus sacram ordinationem scribit: *Et acclamant ea quæ nota habent initiati. Neque enim fas est coram profanis cuncta detegere.* S. Augustinus illo ipso *Psalm.* CIII. plura quam duo commemorat sacramenta. *Munus sacramentorum in baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis sacramentis.* Quod alicubi duo commemoret, non excludit alia. Calvinus *Lib. IV. instit. cap.* XVIII. §. 2. exaggerat locum S. Augustini, ex *epist. ad Ianuarium* nunc LIV. olim CXVIII. desumptum

ptum. Sed de more cavillatur homo versutus. Ibi Doctor sanctus duo tantum præcipua sacramenta commemorat, quia ibi controversiam non instituit de numero sacrorum signorum. Numquid Augustinus, & ceteri alii Scriptores ubique omnia numerare sacra symbola debent, dum unius & alterius, prout occasio fert, mentionem faciunt?

XIV. Sapienter more suo S. Thomas *III. Part. quæst.* lxv. *art.* 1. *ad* 3. ad oppositionem, petitam ex Dionysio Areopagita, seu ex Auctore Libri de cælesti Hierarchia, ubi tria tantum numerantur sacramenta, respondet, ibi tantum tractari de iis sacramentis quæ in officiis hierarchicis exercentur, consecratione quadam peculiari. Auctor laudati operis meminit *sacri chrismatis*, seu *sacri unguenti*, quod unum ex tribus esse sacramentis docet. Ergo perperam obtrudunt novatores auctoritatem Dionysii; cum ipsi & confirmationem, & extremam unctionem sacramenta esse negent. Pudere deberet homines qui severi ratiocinii callentissimos se iactant, tam ineptis argutationibus gravissimam caussam agere. Sed hic est illorum perpetuus mos, dum adversus Catholicos disputant.

XV. Opponunt 3. Magister Sententiarum primus omnium numerum septenarium sacramentorum invexit in *IV. distinct.* 11. Durandus a numero sacramentorum matrimonium excludit. Hugo Victorinus *de sacram. part.* 1x. plusquam septem enumerat sacramenta.

XVI. Resp. oppositionem hanc luculentius patefacere novatorum desperatam caussam. Petrus Lombardus primus numerum sacramentorum septenarium asseruit? Antea duo erant, & ille proprio marte quinque sacramenta fabricatus est? Et Ecclesia non reclamavit? Nulla natio, Theologorum nemo vocem extulit? Vah commentum putidissimum, nec anicella dignum. SS. Thomas, Bonaventura, B. Albertus, & ceteri omnes, sive synchroni, sive suppares, sive proximi illius temporis scriptores unanimi consensu, Scripturarum, & apostolicæ traditionis adductis testimoniis, septenarium esse sacramentorum numerum, dissentiente nemine, adfirmant. Ad Durandum quod attinet, falsum est illum negare, matrimonium esse sacramentum; immo conceptis verbis sacramentorum numero matrimonium accenset in IV. dist. xxvi. quæst. III. *Tenendum est absolute quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia extra de hæret. Ad abolendam, ubi enumerat matrimonium inter alia sacramenta.* Ex eo autem quod Durandus adiiciat, matrimonium inferius ceteris sacramentis esse, caussamque gratiæ effectricem non esse, infertur dumtaxat, illum in hoc turpiter errasse. Hugo Victorinus *loc. cit.* asperſionem aquæ benedictæ, sacros cineres, benedictionem palmarum, cereum, agnos benedictos, sacramenta, idest sacras cæremonias, appellat, ad augendam devotionem opportunas; ut ipse ibi *cap.* 1. exponit. *Sunt quædam sacramenta in Ecclesia, in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur.* S. Thomas III. *Par. quæst.* lxv. *art.* 1. *ad* 6. docet, aquam benedictam, & alias consecrationes non esse sacramenta, sed dispositiones quasdam ad sacramenta, quæ aut removent obstacula, aut muniunt contra dæmonum insidias & peccata venialia. Lege ibi plura. Martyrium fide, caritate, & patientia partum sanctitatem martyri confert; at sacramentum non est, quia Christi institutione caret.

XVII. Quæst. I. *Utrum lotio pedum inter sacramenta numeranda sit?* Resp. Fuso calamo rem hanc pertractant Bellarminus, Turnely, Boucart, & alii plures adversus novatores. Paucis ego argumentum istud perstringam. Olim in quibusdam Ecclesiis pedum ablutio præcedebat baptismi administrationem; nullibi tamen loco sacramenti habita est. Est enim in exemplum humilitatis instituta, ut habetur Ioan. xiii. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Aliqui Patres hanc lotionem sacramentum vocant in lata quadam acceptione, ut S. Ambrosius *Lib. de mysteriis cap.* vi. S. Bernardus *serm.* 1. *de cœn. Dom.* Nam hæc sacra ablutio, ut a Christo instituta, non est solius humanitatis officium, quo hospites honorare antiqui solebant; sed est ritus sacer, & mysticus, quo humilitatis obsequia suadentur. Hæc pedum ablutio nos excitat ad continuas preces, ad venialium culparum absterſionem frequentem, & ad vigilantiam contra irrumpentes superbiæ, & concupiscentiæ motus. Sicut enim pedes per terram gradientes pulvere respergunturr, & nisi frequenter mundentur, sordescunt; ita anima nostra quotidie carnalium appetitionum exhalationibus maculatur; & idcirco ablui frequenter indiget. Huc respicientes præfati Patres, in ampla, & minus propria significatione hanc pedum lotionem sacramentum vocant. Audiamus ipsum S. Bernardum *serm. de baptismo*, ubi inquit: *Lavamur igitur in baptismum, quia deletur chirographum damnationis nostræ.* De pedum vero lotione hæc subdit. *Et unde scimus quia ad diluenda peccata quæ non sunt ad mortem, & a quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane quod offerenti manus, & caput ad abluendum, responsum est:* Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. *Lotus enim est qui gravia peccata non habet, cuius caput, idest intentio, & manus, idest operatio, & conversatio munda est. Sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati cedat animus plusquam oportet. In multis enim offendimus omnes . . . Nemo perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis . . . Hinc est quod in oratione quam ipse constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare.* Ipsa ergo lotio non delet vel ipsa venialia peccata; sed ad infirmitatis nostræ agnitionem excitat, ut precum frequentia mundare ab eiusmodi sordibus animam nostram studeamus.

XVIII. Quæst. II. *Quis ordo, & quæ dignitas sit in septem sacramentis spectanda?* Resp. Non omnes eumdem in recensendis sacramentis ordinem servant. Aliqui Eucharistiæ pœnitentiam præmittunt, & ordini matrimonium. Sed ordo præscriptus a Tridentino, quem prius servaverant Petrus Lombarbus, S. Thomas, Concilium Florentinum, optimus est, & rationum congruentia a S. Thoma confirmatus. Duplicem distinguunt Theologi ordinem, generationis, & dignitatis. Priorem ordinem perspicue S. Thomas explicat III. Part. quæst. lxv. art. 2. *Ratio ordinis sacramentorum apparet ex his quæ supra dicta sunt . . . Nam sicut unum est prius quam multitudo; ita sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter præcedunt ea quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis: & ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo, & matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem; matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter sunt priora illa quæ per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitæ, quam illa quæ ordinantur per accidens, scilicet ad removendum accidens nocivum superveniens: cuiusmodi sunt pœnitentia, & extrema unctio; posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quæ consummat sanitatem, pœnitentia, quæ inchoat. Inter alia vero tria manifestum est quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prius; & deinde confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; & postmodum Eucharistia, quæ ordinatur ad consecutionem finis.*

XIX. Ad dignitatem sacramentorum quod attinet, Concilium Tridentinum contra novatores, præsertim Calvinistas, *sess.* vii. *an.* iii. constituit. *Si quis dixerit, hæc septem sacramenta esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.* Lutherani, & Calviniani paria omnia asserunt sacramenta, quod eodem modo fidem excitent, & nullum sacramentum in anima sanctitatem reipsa operetur. Omnium sacramentorum excellentissimum Eucharistiam esse testatur Tridentinum *sess.* xiii. *cap.* iii. his verbis. *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem; verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.*

XX. Rationes valde congruentes istius dignitatis unius sacramenti præ alio assignat S. Thomas III. *Part. q.* lxv. *art.* 3. quas isthuc transcribere operæ pretium existimavi. *Dicendum, quod simpliciter loquendo sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem triplicitèr apparet. Primo quidem ex eo quod in eo continetur: nam in sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata a Christo.... Semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem. Secundo hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem. Nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem. Manifestum est enim quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem: sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistiæ susceptionem: in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento: per pœnitentiam etiam, & extremam unctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi: matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ, cuius unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur. Unde & Apostolus dicit Ephes.* v. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. *Tertio hoc apparet ex ritu sacramentorum; nam fere omnia sacramenta in Eu-*

Eucharistia consummantur, ut Dion. dicit c. III. eccl. hier. sicut patet quod ordinati communicant, & etiam baptizati, si sint adulti.

Aliorum autem sacramentorum comparatio ad invicem potest esse multiplex. Nam in via necessitatis baptismus est potissimum sacramentorum: in via autem perfectionis sacramentum ordinis: medio autem modo se habet sacramentum confirmationis: sacramentum vero pœnitentiæ, & extremæ unctionis sunt inferioris gradus a prædictis sacramentis: quia ordinantur ad vitam christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus. Inter quæ tamen extrema unctio comparatur ad pœnitentiam, sicut confirmatio ad baptismum; ita scilicet quod pœnitentia est maioris necessitatis, sed extrema unctio est maioris perfectionis.

XXI. Quæ contra hanc angelicam doctrinam opponi possunt, confutat S. Thomas in argumentorum, quæ ibi videri possunt, solutione.

CAPUT VIII.

De sacramentorum efficacia in producenda gratia. Variæ quæstiunculæ resolvuntur.

I. Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* 8. hæc definivit. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Quoniam novatores Lutherus, & Calvinus docent, sacramenta non aliud operari, nisi sensibili repræsentatione excitare divinarum promissionum fidem, qua homines apprehendunt sanctificationem; ut sibi constent, præfatum canonem cavillari, deridere, & improbare coguntur. Error enim errorem parit, & qui semel a recta aberravit semita, quo longius progreditur, eo in maiores se detrudit anfractus.

II. Calvinus in *Antidoto* ad hunc Tridentinum canonem hæc evomit. *Hic vero non modo clarius, sed etiam crassius impietatem suam detegunt. Commentum de opere operato & recens est, & ab indoctis Monachis excusum, qui de sacramentorum natura nihil umquam didicerant: nam in sacramentis proprie solus Deus agit: quia nihil illuc homines suum afferunt, sed accedunt oblatam sibi gratiam recepturi.... Pecudes autem istæ* (tanta comitate excipit Tridentinos Patres) *in gratuitis Dei donis reperiunt aliquod hominis meritum .... Si concedatur illis quod postulant, opere operato comparari gratiam in sacramentis; separatur a fide pars meriti, ut per se valeat sacramenti usus ad salutem. Atqui si de sacramento idem quod de verbo prædicandum est; nihil prodesse, nisi fide percepta, testis est Apostolus.* Planum est Calvinum hoc loci docere, sacramenta nihil operari, meraque esse externa symbola, quæ fidem excitant, vi cuius homines iusti fiunt. Hanc fidem verbum quoque divinum prædicatum excitat. Nullum ergo, ad effectum quod attinet, inter verbum divinum & sacramenta discrimen.

III. Commiseratione quadam digni essent cæci homines, si suis erroribus contenti, a calumniis contra Catholicos abstinerent. At doctrinam in sacro Concilio definitam, manifestis mendaciis corrumpunt. Nam Philippus Melanchthon in Confessione Augustana *art.* 13. hæc Catholicis impingit. *Damnat igitur pharisaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in sacramentis requiri, quæ credat propter Christum nobis gratiam dari; sed fingit homines iustos esse propter usum sacramentorum ex opere operato, & quidem sine bono motu utentium.* Effrenatam calumniam, honesto homine indignam, refellit vel ipse *Hugo Grotius*, doctus, gravis, prudens, & honestus Auctor, in adnotatis ad Cassandrum *pag.* 621. ut prius animadvertit Cl. Magister Laurentius Berti *Lib. XXX. cap.* XIX. Hæc sunt Grotii verba. *Opus operatum intelligitur de efficacia ad honorandam Ecclesiam, & eius unitatem nobis communicandam, sacramentis attributa. Ceterum non negant Catholici requiri ad salutarem usum in adultis fidem, & Dei amorem: & hæc ita aiunt requiri, ut efficaciæ bonos Deo salvus sit. In his omnibus nihil est controversiæ, si dextera interpretatio accedat.*

IV. Martinus Chemnitius in 2. *part. Exam. ad can.* 8. *Concil. Trid. cap. de opere operato*, putidissimam adversus Catholicorum doctrinam confirmat incredibili procacitate calumniam his verbis. *Hæc est tandem illa Helena, cuius introducendæ, ornandæ, & stabiliendæ gratia, præcedentes canones omnes constituti sunt, ut scilicet commentum Scholasticorum, & quidem ipsorum verbis, stabiliatur, & retineatur: sacramenta novi testamenti utentibus conferre gratiam ex opere operato, etiamsi in suscipiente non adsit bonus interior motus, modo non ponat obicem.* Si vel unus Catholicorum tantum errorem impune sustineret, aliquid impudenti detrahendum calumniæ esset; at cum nec unus id asserat, omni ex parte mendacissimum se prodit Chemnitius. Paullo post hæc subdit. *Sed dicunt, nihil aliud ipsas disputationes de opere operato, & opere operante voluisse, quam sacramentorum virtutem non esse ex ministri operantis dignitate, seu merito æstimandam, sed ex Dei auctoris institutione, potentia, & operatione. Ipse enim est qui per externum ministerium baptizat, ut sacramenta dicantur valere non ex opere operantis ministri, sed ex opere operato .... Si enim hoc vellent Pontificii, quando de opere operato disputant, quia sententia vera est, nulla esset controversia.* Deinde post plura audacius mendacia sua multiplicat inquiens: *Et vulgi opiniones testantur, quomodo doctrina illa de opere operato, in Papatu tradita, accepta, & intellecta fuerit. Existimant enim abunde sibi de salute prospectum externa exhibitione, & susceptione sacramentorum, quidquid fiat de pœnitentia, & fide.* Ita sane est. Vulgus, talium impostorum præstigiis deceptum, tam horrenda errorum portenta a Catholicis doceri credit. Sed ipsum Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* IV. calumniam istam refellit. *Falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint, sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod numquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit.*

V. Hæc referre pretium operæ existimavi, ut confirmarem quæ alias dixi, Lutheranos, & Calvinianos solis mendaciis contra Catholicos bellum agere. Adeo enim luculenta sunt dogmata nostra, ut calumniis opus sit ad ea obscuranda.

VI. Paucis exponenda est Tridentini Concilii doctrina, ut hæreticorum calumniæ seipsis dispereant. Duplex producendæ gratiæ modus, videlicet ex opere operantis, & ex opere operato. Gratia ex opere operantis producitur, quando illam Deus confert intuitu fidei, pietatis, seu meriti illius qui suscipit, aut administrat sacramentum. Ex opere operato gratiam produci dicimus, cum vi, & efficacitate ipsius externi signi sacramentalis, a Christo Domino instituti, & congruo modo homini applicati, præter istius meritum, reipsa producitur. Necessario tamen requiritur ut homo sacramenta percepturus, fidei, & pietatis dispositionibus animam suam præparet. Quæ dispositiones neque vim, neque efficacitatem tribuunt sacramentis, quæ a Christo Domino omnem virtutem habent; sed removent dumtaxat obstacula quæ efficaciam impediunt sacramentorum. Ad tam excelsum opus producendum concurrunt Deus ut caussa primaria; Christi passio ut caussa meritoria; minister ut caussa ministerialis, coniungens materiam & formam; sacramentum ut caussa instrumentalis: fidei vero, spei, pietatis officia hominis suscipientis sacramentum, tamquam conditiones, dispositionesve apprime necessariæ sunt. Quid carpere in hac doctrina novatores possunt? His paucis delibatis, sequentem evinco propositionem.

VII. *Sacramenta novæ legis* ex opere operato *producunt gratiam*. Quam propositionem definivit Concilium Tridentinum *can.* VIII. supra rescripto; eamque fusius declaravit *can.* VI. his verbis. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.*

VIII. Sacramenta novæ legis non sunt tantum signa externa, sed signa efficacia, quæ subiectam materiam consecrant, quorum virtute, a merito passionis Christi derivata, fideles exuto vetere homine remissionem obtinent peccatorum, innovantur spiritu, regenerantur ad vitam spiritualem, & divinis exornantur charismatibus: quæ omnia ex Scripturis sanctis uberrime declarantur. De baptismo Ioan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Item Apostolus ad Titum III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* Rursus ad Galatas III. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Denuo Ephes. V. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hæc profecto testimonia luculenter evincunt, baptismum reipsa gratiam conferre. De confirmatione *Act.* VIII. dicitur: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* De Eucharistia Ioan. VI. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et de pœnitentia idem Ioannes cap. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De extrema unctione Iacobi V. *Si in peccatis sit, remittentur ei.* De ordine S. Paulus ad Timoth. IV. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Matrimonium sua præsentia Christus consecravit, ut gratiam conferre ostenderet.

IX. Accedit SS. Patrum traditio. Origines *hom.* XIV. *in Luc.* II. ubi asserit, *parvulos bapti-*

baptizari in remissionem peccatorum, & per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponi.

X. Tertullianus Lib. de resur. carn. cap. VIII. *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur; caro corpore Christi, & sanguine vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Plura similia scribit *Lib. de baptismo cap.* I. II. & III.

XI. S. Cyprianus *epis. ad Donatum de baptismo* scribit. *Postquam undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper lumen infudit; postquam cælitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit: mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, faciltatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur: ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse quod iam Spiritus sanctus animaret.*

XII. S. Basilius *Lib. de Spiritu sancto cap.* XV. efficacitatem baptismi sic describit. *Cum duo scopi propositi sint in baptismo, videlicet, ut aboleat corpus peccati, postea sanctificet mortem, tum ut vivat spiritu, & fructum habeat in sanctificatione..... Hoc igitur est desuper nasci ex aqua, & spiritu, quasi mortificatio perficiatur in aqua, vitam vero nostram operetur spiritus. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex spiritus præsentia.*

XIII. S. Gregorius Nyssenus in *orat. de bapt. Christi* hæc habet. *Quare ne contemnas divinum lavacrum, neque id tamquam commune propter usum aquæ parvi facias. Nam id quod operatur, magnum est, & ab illo mirabiles existunt effectus.* Plura ibidem habet de sacramentis aliis, quæ videri possunt.

XIV. Optatus Milevitanus Lib. V. adverſ. Parmenian. *Baptisma Christianorum, Trinitate confectum, confert gratiam: si repetatur, facit vitæ iacturam.*

XV. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. XI. in Ioan. *Quemadmodum infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim eius concipit; ita spiritus efficacitate sensibilis aqua ad divinam quamdam, & ineffabilem vim transformatur, omnesque demum in quibus fuerit, sanctificat.*

XVI. S. Leo serm. v. de nat. Dom. *Dominus Iesus originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.*

XVII. S. Augustinus Lib. IV. contra Cresconium Donatistam cap. XVI. *Non eorum meritis a quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.*

XVIII. Recensita testimonia, pluribus aliis missis, quæ referunt Bellarminus, Natalis ab Alexandro, aliique Theologi nostri, perspicue evincunt, sacra symbola gratiam continere, & producere merito passionis Christi, non fidem tantum excitando, sed divina virtute operando. Porro dum Catholici docent, sacramenta producere gratiam *ex opere operato*, non aliud intendunt quam sacramentis vim inesse, & efficacitatem remittendi peccata, ac sanctificandi animam ex Christi institutione.

XIX. Ratione theologica, præfata doctrina confirmatur. Sacramenta conferunt gratiam, non per fidem sive ministrantium, sive suscipientium sacramenta, sed seipsis. Ergo ex opere operato. Prima propositio adeo certa est, ut neque ipsi novatores negare eam valeant. Nonne ipsi cum Catholicis adversus Anabaptistas infantes baptizandos docent, ut regnum cælorum assequantur? Confert ne his baptisma gratiam? Si aiunt; ergo ex opere operato. Si negant; signum ergo mere externum baptisma est, distinguens populum fidelem ab infideli. Et sic Lutherani, & Calviniani evadunt Sociniani. Numquid actualem fidem in infantibus admittent novatores isti? An dicent, infantes baptizari in fidem Ecclesiæ, supplentis illorum impotentiam? Sed fides Ecclesiæ communis, & universalis est, quæ applicari debet. A quo? A ministro? Finge, ministrum fide carere. Fatentur quippe heterodoxi validum esse baptisma collatum ab hæretico, a pagano, a mimo. A quo ergo fides ista applicatur? Ergo firmum manet, ipsum baptisma ex opere operato, seu vi quæ virtute, & merito passionis Christi ei inest, gratiam producere. In adultis vero, ut sacramenta gratiam conferant, removenda sunt obstacula, & fides, spes, ac cetera pietatis officia præcedant oportet, quibus anima sese præparet ad tantum donum suscipiendum.

XX. Opponunt I. *Iustus ex fide vivit*: Rom. I. & rursus cap. IV. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Resp. Nugantur, dum hæc obtrudunt. Fidem ad iustificationem adultorum necessariam esse, Catholici omnes docent. Quid heinc? Ipsa ne *sola* iustificat? Ubinam Scripturarum hoc reperitur? Adducant, si valent, novatores testimonium aliquod. Si fides sola sufficeret, superflua sacramenta essent, cum excitari fides possit per solam verbi prædicationem. Fidem asserimus necessariam. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ambo requiruntur, & fides ut dispositio, & baptisma ut caussa instrumentalis, quæ virtute passionis Christi animam sanctificet. Insistunt, solum Deum esse caussam gratiæ; cum dicat Ioannes c. I. *Hic est qui baptizat.* Resp. Solus Deus est caussa primaria; sacramenta caussa secundaria. Deus, sublatis sacramentis, infundere gratiam potest; at Deus sua infinita clementia adhibere sacra symbola, sensibus nostris accommodata, voluit, eaque virtute, & merito passionis Christi elevare ad gratiæ suæ productionem, animæque sanctificationem. Minister in sacramentis conferendis absolute dicit: *Ego te baptizo: Ego te absolvo*: quæ loquendi formulæ mendaces essent, nisi aliquid operarentur. Insistunt, Pharisæos clamasse Matth. XI. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Utique solus Deus peccata dimittit, quia ipse solus est caussa prima & princeps gratiæ, & sanctitatis; ipse tamen utitur sacramentis, & ministris, tamquam caussis instrumentalibus, ad eumdem effectum producendum. *Quorum remiseritis peccata, remituntur eis.* Solus Deus sibi delegit hunc modum sanctificandi animas nostras. Quid ergo obganniunt?

XXI. Oppones 2. Plures sanctorum Patrum sacramenta vocant sigilla, & pignora gratiæ. S. Bernardus *serm. de cœn. Dom.* inquit: *Qua ratione investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversis traditas esse sacramentis.* Ergo iuxta S. Bernardum, quemadmodum liber, baculus, & annulus Episcopi signa sunt speculativa, sic quoque & sacramenta. S. Augustinus *Lib. XIX. cont. Faust. cap.* XVI. scribit: *Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia, & temporalia?* Ergo, Augustino teste, sacramenta non aliter concurrunt ad animæ sanctificationem quam verbum concionatorium.

XXII. Resp. Iam supra dictum est, sacramenta reipsa esse pignora, signa, sigilla cælestium gratiarum; sed simul caussas instrumentales gratiæ, & sanctificationis. Allatum S. Bernardi testimonum exponit S. Thomas *III. Part. quæst.* LXII. *art.* I. sicut & testimonium Augustini. S. Bernardus comparat sacramenta baculo, annuloque Episcopi, quatenus in ratione signi conveniunt; & ut ostendat diversas esse sacramentorum gratias, sicuti diversæ sunt in Ecclesia dignitates. Quare S. Thomas post allatam S. Bernardi auctoritatem, hæc scribit. *Dicendum quod duplex est caussa agens, principalis, & instrumentalis. Principalis quidem per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus.... Caussa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente.... Et hoc modo sacramenta novæ legis gratiam caussant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis caussandam. Unde Augustinus dicit XIX. contra Faustum: Hæc omnia (scilicet sacramentalia) fiunt, & transeunt; virtus tamen (scilicet Dei) quæ per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur: unde & Tit.* III. *dicitur: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* S. Augustinus *loc. cit.* sacramenta spectat, quatenus signa sunt quæ significant aut Christum venturum, aut Christum natum, passum, & mortuum. Sacramenta veteris legis Christum futurum portendebant. Christo nato; mutata sunt: quia non venturum, sed iam advenisse repræsentant. Hæc est tota mutatio quam in adducto testimonio S. Augustinus tradit: scribit enim ibi contra Manichæos, veterem legem damnantes; ostenditque, Christum non venisse legem solvere, sed adimplere; quamvis eiusdem legis sacramenta, & cæremonias mutaverit iuxta temporis diversitatem.

XXIII. Quæst. I. *An sacramenta novæ legis physice, vel moraliter gratiam ex opere operato producant?* Resp. Sacramenta novæ legis & continere gratiam, & eam ex opere operato producere, definivit Concilium Tridentinum: idque hactenus breviter ostensum est adversus novatores. Disputant autem Theologi catholici, utrum physice, an moraliter divinam gratiam hæc sacramenta producant. Quæstionem hanc, utpote mere scholasticam, & instituto meo parum utilem, paucis perstringam. Caussa generatim accepta ea est quam effectus consequitur. Altera per accidens, quæ non influit in effectum, sed absque ea effectus non ponitur. Altera per se, quæ reipsa effectum parit. Hæc rursus duplex: una physica, quæ reali actione effectum producit; altera moralis, quæ caussam effectricem movet, & allicit ad effectum producendum. Tandem utraque in principalem, & instrumentalem tribuitur. Principalis physica

ſica vi propria ; inſtrumentalis vi aliunde accepta, effectum producit. Cauſſa moralis principalis intentione propria; inſtrumentalis alterius intentione cauſſam effectricem allicit ad opus.

XXIV. Thomiſtæ communiter cum S. Thoma propugnant, ſacramenta novæ legis phyſice concurrere ad gratiam producendam. Thomiſtis accedunt plures Auguſtiniani. Cl. Magiſter Berti cum Ægidio, & Argentina *Lib. XXX. cap.* xx. diſtinguit duplicem cauſſam phyſicam inſtrumentalem, directam unam, indirectam alteram. Sacramenta inſtrumenta phyſica indirecta gratiæ aſſerit.

XXV. Sententiam S. Thomæ, eiuſque diſcipulorum probabiliorem exiſtimo. Hæc ſunt illius præcipua argumenta. Deus hanc virtutem ſacris ſymbolis communicare potuit; quemadmodum potuit humanitatem hypoſtatice Verbo unire, eaque ut phyſico inſtrumento uti ad gratiam elargiendam, & miracula patranda: quemadmodum lutum ut phyſicum inſtrumentum adhibuit ad cæcum illuminandum, quemadmodum igne materiali animas ſpirituales damnatorum phyſice torquet. Quidni ergo Deus potuit ſacramentis virtutem communicare, vi cuius tamquam inſtrumenta phyſica, divinæ ſuæ omnipotentiæ effectus producant? Potuit: ergo fecit; cum ſacramentorum dignitatem maxime deceat nobilior producendi modus. Hanc doctrinam confirmat Catechiſmus Concilii Tridentini *Part. II. de ſacramentis* §. 27. his verbis: *Quo pacto tanta res, & tam admirabilis per ſacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Auguſtini ſententia celebratum eſt, aqua corpus tangat, & cor abluat, id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendi non poteſt. Conſtitutum enim eſſe debet, nullam rem ſenſibilem, ſuapte natura, ea vi præditam eſſe, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoſcimus, omnipotentis Dei virtutem in ſacramentis ineſſe, qua id efficiant quod ſua vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt.* Quæ doctrina hauſta eſt ex Concilio Tridentino can. VI. *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; anathema ſit.* Et can. VIII. ſtatuitur, hanc gratiam ſacramenta producere ex *opere operato*. Hæc ſane teſtimonia probabilius phyſicam quam moralem productionem præferunt. Cauſſa enim moralis, ſi proprie loqui velimus, nec continet, nec operatur, ſed movet cauſſam effectricem ad opus producendum. Hanc ſententiam Sanctus Thomas conceptis verbis tradit *III. Part. quæſt.* lxii. *art.* 1. Cetera argumenta prætereo, cum obvia ſint; quemadmodum & contraria Scotiſtarum, & aliorum obiecta.

XXVI. Quæſt. II. *Quænam ſit gratia quam novæ legis ſacramenta conferunt?* Reſp. Duplex a Theologis gratia diſtinguitur: habitualis una, actualis altera. Hæc motio tranſiens dicitur, qua anima ad pium opus excitatur: illa eſt quid permanens, & intrinſecus inhærens animæ, quam ſanctificat. Gratia quæ ſacramentorum vi confertur, eſt quid internum animæ, intrinſecus inhærens, diſtinctum a motione fluente, & tranſitoria. Hoc definitum eſt in Concilio Tridentino contra novatores, qui ſola exteriori imputatione iuſtificari impios effutiunt: quem errorem Concilium damnat ſeſs. VI. can. XI. *Si quis dixerit, homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum diffunditur, atque illis inhæret; anathema ſit.* Item *cap.* VII. fuſius hæc doctrina explicatur. *In hac impii iuſtificatione per Spiritum ſanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret* &c. Definitum tamen non eſt, ut advertit Dominicus Soto *Lib. II. de grat. cap.* XVIII. ab Eccleſia, gratiam hanc ſanctificantem eſſe verum habitum, & veram qualitatem. *Concilium*, inquit, *conſulto abſtinuit a vocabulo habitus, ut rem expreſſe non definiret.* Idem aſſerit Melchior Cano *Lib. VII. de loc. Theol. cap.* II. De fide ergo eſt caritatem, & gratiam ſanctificantem eſſe quid intrinſecum inhærens; non autem eſſe in Philoſophorum ſenſu verum habitum, & veram qualitatem.

XXVII. Quæſt. III. *An ſacramenta, præter gratiam ſanctificantem, peculiarem aliquam gratiam, quæ ſacramentalis dicitur, conferant?* Reſp. Duplicem diſtinguunt Theologi gratiam ſanctificantem: unam omnibus ſacramentis communem, alteram cuique propriam. Communis omnium ſententia eſt, ſingula ſacramenta præter gratiam ſanctificantem, omnibus ſacramentis communem, & dona eidem annexa, peculiarem aliquam gratiam ſacramentalem conferre. Nam quodlibet ſacramentum confert gratiam convenientem fini ad quem inſtitutum eſt. Hæc vero gratia ſacramentalis non eſt habitus diſtinctus a gratia ſanctificante; ſed eſt ius quoddam ad nova ſpecialia auxilia obtinenda. Quod ius gratuitum eſt, utpote non in meritis noſtris, ſed in liberali, & omnino gratuita divina benevolentia, & miſericordia fundatum. Notio iſtius gratiæ ſacramentalis, additæ gratiæ ſanctificanti, doniſque eidem annexis vix explicari poteſt. Gratia baptiſmalis regenerat hominem ad vitam novam, & ſpiritualem, ut vitiis, mundo, ſatanæ, & pompis, quibus renuntiat baptizatus, moriatur. Ideo gratia hæc ius præbet ad obtinenda auxilia huic fini aſſequendo conſentanea. Gratia itaque ſacramentalis baptiſmi hominem illuminat ad vanas pompas, oblectamenta, illecebraſque mundi contemnendas, & ſatanæ inſidias repellendas. Gratia hæc chriſtianæ profeſſionis dignitatem, & vitæ noſtræ ad Chriſti Domini exemplar conformandæ debitum ob oculos ponit, vireſque ad id præſtandum porrigit. Confirmatio ius præbet ad auxilia obtinenda quibus Chriſti fides, occaſione data, coram tyranno propugnetur. Renatus, & roboratus chriſtianus homo divinæ Euchariſtiæ epulo nutritur, & ad augmentum iſtius vitæ conſequendum auxilia obtinet. Pœnitentia animæ ægritudines ſanat, ſubſidia ad ſatisfactionem pro patratis culpis Deo reddendam, & futura præcavenda mala ſuppeditat. Extrema unctio in agone contra hoſtis tentationes fortes efficit; & corporis vires, prout animæ expedit, inſtaurat. Ordinis gratia inſtruit ad ſacra munia peragenda, divinumque cultum propagandum. Matrimonii gratia eo pertinet ut coniugum benevolentiam mutuam foveat, concupiſcentiam frenet, temperetque, ut filii in Dei timore educentur. Gratia hæc ſacramentalis dicitur conferre ius ad auxilia obtinenda tempore ſucceſſivo, cum videlicet iis opus fuerit ad finem comparandum, ſeu effectus producendos: idcirco tota ſimul non confertur, ſed ſucceſſive.

XXVIII. Quæſt. IV. *Sacramenta novæ legis conferunt ne eamdem omnino æqualem gratiam omnibus?* Reſp. Communis ſententia eſt adfirmans, æqualem ſacramenta conferre gratiam, quando eadem omnino eſt ex parte ſuſcipientium diſpoſitio. Ratio patet: quia quando cauſſa eadem eſt, & eodem prorſus modo diſpoſita, & applicata, eumdem parit effectum. Si diverſæ ſint ſuſcipientium diſpoſitiones; tum ſacramenta ex opere operato diverſam, maiorem nempe, vel minorem, gratiam conferunt. Id aperte colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſs.* VI. *cap.* VII. ubi declaratur *in baptizatis iuſtitiam recipi ſecundum menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, ſecundum propriam cuiuſcumque diſpoſitionem, & cooperationem.* Sacramenta agunt ut cauſſæ neceſſariæ; quæ quantum ad ſpeciem determinatum effectum habent, at maior, aut minor gratiæ producendæ perfectio ex maiori, aut minori diſpoſitione illius qui ſacramentum ſuſcipit, pendet.

XIX. Quæſt. V. *An ſacramenta vivorum per accidens producere gratiam primam valeant?* Reſp. Alia ſunt ſacramenta mortuorum, ut baptiſmus, & pœnitentia, quæ per ſe primam; alia vivorum, quæ per ſe ſecundam gratiam conferunt. Prima gratia dicitur quæ homini, eadem deſtituto, & peccatis inquinato, confertur: ſecunda eſt quæ datur homini iuſto. Sacramenta vivorum per ſe hanc ſecundam gratiam conferunt. Diſputant Theologi, utrum hæc vivorum ſacramenta *per accidens* conferre gratiam primam valeant. Negat P. Vaſquez *in III. Part. diſp.* ccx. cum pluribus aliis; ſed adfirmat communis, & vera ſententia, quam docet S. Thomas III. Part. quæſt. lxxix. art. 3. *Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati . . . . etiam perceptum ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus; ſed devote, & reverenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.* Ratio ipſa patet. Sacramenta ſuapte natura gratiam conferunt illis qui obicem non ponunt. At ſi quis ad Euchariſtiam aliqua gravi culpa infectus, cuius poſt diligens examen ſe reum invincibiliter ignorat, accedat pietatis, & religionis affectu, nullum obicem ponit. Ergo hoc ſacramentum producere gratiam in illo debet: non ſecundam, quia nullam in eo ſupponit: ergo primam, per accidens quidem, & indirecte. Similiter duo ſacramenta mortuorum per accidens conferre ſecundam gratiam valent: quandoquidem ſi quis perfecta contritione iuſtificatus accederet ad baptiſmum, aut pœnitentiam, hac in hypotheſi ſacramenta iſta gratiam primam, quam ſupponunt, non conferrent, ſed dumtaxat eamdem augerent. Prima tamen gratia non daretur eo in caſu ſine voto baptiſmi, aut pœnitentiæ, ut clarius explicabitur ſuo loco.

CAPUT IX.

De charactere, quem imprimunt aliqua novæ legis ſacramenta, & de diſcrimine ſacramentorum novæ a ſacramentis veteris legis.

I. PRæter effectum gratiæ, quam omnia ſacramenta evangelica, niſi ponatur obex, conferunt, tria, nempe baptiſmus, confirmatio, ordo imprimunt characterem. Wi-

Wicleffus, Lutherus, Calvinus, & ceteri novatores contendunt, nullum novæ legis sacramentum imprimere characterem. Fabulantur Innocentium III. inventorem esse istius dogmatis. Quem errorem damnavit Concilium Tridentinum sess. VII. can. IX. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

II. Catholici omnes, tamquam fidei dogma, propugnant, tria præfata sacramenta characterem imprimere; & ideo hæc sacramenta iterari non posse. Veritas hæc, in Tridentina Synodo definita, ex divinis Scripturis eruitur. S. Paulus II. ad Cor. I. *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Rursus Ephes. cap. I. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.* Et tandem cap. IV. *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Perennis Patrum traditio eamdem confirmat veritatem. S. Cyrillus in præfat. ad cateches. *Magnum sane est propositum hoc baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile.* Idem catechesi IV. *Spiritus sanctus tempore baptismatis animam obsignat.* Gratia autem non est signaculum indelebile.

III. S. Augustinus tract. VI. in Ioan. *Tene quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur: character est Regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non muto characterem.* Item epist. CLXXXV. alias I. *Quare ergo me non baptizas, ut abluas me a peccatis? Respondeo, quia non facio iniuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.* Tandem Lib. VI. contra Donatistas cap. I. *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam novem quæ foris errabat, & dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari; characterem tamen dominicum in ea agnosci potius quam improbari.* Similia docent S. Basilius *hom.* XIII. S. Ioannes Chrysostomus *orat.* II. *in Epist. ad Ephes.* S. Epiphanius *hæres.* VIII. & ceteri Patres.

IV. S. Thomas III. *Part. quæst.* LXIII. sex articulis rem hanc illustrat. *Artic.* I. congruentem rationem cur imprimi character iste debeat, assignat inquiens: *Quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites qui adscribebantur ad militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquod corporale.* Porro christiani homines ad militiam spiritualem agendam, ad Dei cultum propagandum destinati sunt. Ergo spirituali signo distinguantur oportet. Signum autem istud indelebile esse, ex eo colligitur quod sacramenta quæ illud imprimunt, iterari nequeant.

V. Quæst. I. *Quid sit character, & quænam illius proprietates?* Resp. Quæstiones non minus curiosas quam inutiles fuso calamo versant Theologi non pauci, ut characteris istius notionem exponant. Salmanticenses *tractat.* I. *cap.* VI. septem instituunt quæstiones. 1. quærunt, num sit ens reale. 2. utrum sit in prædicamento relationis, an reducatur ad prædicamentum qualitatis. 3. an pertineat ad tertiam speciem qualitatis. 4. pertineat ne ad quartam qualitatis speciem, seu ad figuram. 5. utrum collocandus sit in prima specie qualitatis. 6. utrum reduci possit ad secundam qualitatis speciem per modum potentiæ activæ, vel passivæ. 7. hæreat ne animæ, an eiusdem potentiis. Hæc omnia fuso calamo per distinctos §§. disputant. Durandus in *IV. dist.* IV. *quæst.* I. existimat characterem esse ens rationis, seu relationem rationis.

VI. Paucis dico, characterem non esse relationem, sive rationis, ut vult Durandus, sive realem, ut vult Scotus; sed quid reale absolutum, intellectui proxime hærens. Prima pars seipsa patet. Character est signum indelebile animæ impressum. Hoc autem relationi rationis minime congruit. Quare opinio Durandi ut falsa communiter reiicitur. Similiter Scoti sententia falsa est. Character enim producitur, & imprimitur. Relatio autem ex fundamento, & termino resultat. Est itaque character aliquid reale absolutum, permanens indelebiliter in anima. Si autem quæras, in qua categoria constituendum character sit; respondet S. Thomas loc. cit. art. 2. *Sicut virtus quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens, & incompletum; ita etiam character non proprie est in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.* Docet vero *ibidem art.* 4. S. Doctor, characterem proxime & immediate hærere intellectui. *Character*, inquit, *est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quæ sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est, sicut in subiecto, in essentia animæ, sed in eius potentia.* Si plura cupis, lege ipsum S. Doctorem, qui omnia quæ desiderari possunt hac de re, perspicue exponit.

VII. Quæst. II. *Quomodo differant sacramenta novæ a sacramentis legis veteris?* Resp. Omnes fatentur, sacramenta evangelica discrepare pluribus titulis a sacramentis mosaicis, ut in ritibus, in cæremoniis externis, in numero, aliisque pluribus. Id quod in disputationem potissimum vocatur, est, utrum hæc duo sacramentorum genera differant in gratiæ productione: & in hoc puncto dissident Theologi. Alii censent, sacramenta mosaica gratiam produxisse ex opere operato; alii contendunt, neque ex opere operantis illam contulisse.

VIII. Communis, & vera sententia hæc est. Vetera sacramenta non ex opere operato, sed ex opere operantis gratiam producebant. Plurima sunt Scripturarum oracula ex quibus hæc veritas hauritur. S. Ioannes cap. I. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.* S. Paulus ad Hebræos X. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Rursus ad Galatas IV. *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* Et tandem de sacrificiis, & sacramentis generatim ad *Hebr.* IX. hæc scribit: *Munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis . . . . Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Et cap. X. *Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.*

IX. Heinc constat quam impudenter more suo blateret Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* XXIV. §. 23. ubi in Scholasticos invehitur, effutiens, *penitus explodendum esse scholasticum illud dogma quo tam longum discrimen inter veteris, ac novæ legis sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud quam Dei gratiam adumbrarent, hæc vero præsentem conferant.* Paria ergo cum novis vetera sacramenta efficere Calvinus audet? Scholasticum dogma vocat doctrinam Apostoli Pauli, qua luculenter sacramenta evangelica excellentiora mosaicis declarantur? Innumera sunt Patrum testimonia quibus significatur, sacramenta vetera non produxisse gratiam ex opere operato. S. Thomas *III. Part. quæst.* LXII. *art.* 6. propositam sententiam perspicue tradit. *Sic ergo patet quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem; sed solum significabant fidem, per quam iustificabantur.*

X. Nulla vera ratio istius discriminis præter divinam voluntatem assignari potest. Congruentiam dumtaxat *loc. cit.* assignat S. Thomas. Omnis iustificatio est, fuitque per Christum. Consentaneum autem est ut nobiliori modo sanctificet animas Christus præsens, ac sanctificaret Christus futurus; cum res præsentes efficacius agant quam futuræ: res quippe futuræ non agunt nisi quatenus intentionaliter per actum animæ apprehenduntur, eo modo quo finis per cognitionem movet; res vero præsentes physice operari valent. Igitur in veteri lege Christus Dominus sanctificabat, quatenus apprehensus per fidem futurus. Quare sacramenta vetera erant protestationes fidei, qua fideles in Christum futurum credebant. Hæc est mera congruentia, cum Deus potuisset intuitu passionis futuræ Christi illorum sacramentorum usu reipsa gratiam conferre. Vetera itaque sacramenta non ex opere operato, sed ex opere operantis, seu ex fide, & pietate aut ministrantis, aut percipientis sacramentum, gratiam conferebant.

XI. Quæst. III. *Utrum circumcisio ex opere operato remitteret peccatum originale?* Resp. Peculiarem de circumcisione Theologi controversiam instituunt. Plures non improbabiliter contendunt, circumcisionem haudquaquam institutam fuisse in peccati originalis remedium. Quoniam *Gen. cap.* XVII. hæc habentur. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos.* Nulla hic peccati originalis delendi mentio. Contrariam sententiam probabiliorem existimo, quam aperte docent S. Augustinus, S. Thomas, & communiter Thomistæ. S. Augustinus *Lib. II. de nupt. & concupisc. cap.* XI. hæc scribit: *Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ita ad significationem purgationis valebat & in parvulis originalis, veterisque peccati; sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus: non quod ante circumcisionem iustitia*

ſtitia fidei nulla erat . . . ſed ſuperioribus temporibus omni modo latuit ſacramentum iuſtificationis ex fide. Vide plura *Lib. XVI. de Civit. Dei cap.* XXVI. & XXVII. S. Thomas III. *Part. quæſt.* lxx. *art.* 4. inquit : *Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumciſione peccatum originale remittebatur.*

XII. Circa modum quo circumciſio remittebat peccatum originale, Scotus docet id præſtitiſſe ex opere operato. Contrariam ſententiam docet S. Thomas *loc. cit.* his verbis : *In circumciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute paſſionis Chriſti cuius ſignum erat circumciſio; ita ſcilicet quod homo qui accipiebat circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel adultus pro aliis.* Plura ſunt & Scripturarum, & Patrum teſtimonia quæ doctrinam hanc confirmant, quæque brevitatis ſtudio prætereo.

CAPUT X.

De auctore, & inſtitutore ſacramentorum.

I. ANtiquorum Scholaſticorum aliqui docuerunt, Apoſtolos ex Chriſti conceſſione aliqua inſtituiſſe ſacramenta præſertim confirmationem, & extremam unctionem. Plures nunc, & quidem graves Theologi, ut Bellarminus, Vaſquez, Becanus, & alii, docent, de fide eſſe, omnia ſacramenta Chriſtum Dominum immediate per ſeipſum inſtituiſſe. Alii negant id eſſe de fide; quamvis adfirment ipſum reapſe omnia ſacramenta immediate inſtituiſſe; & qui oppoſitum ſentiret, fortaſſis temeritate non vacaret. Ita docent Soto, Eſtius, Suarez, & hodie communis ſententia eſt.

II. Dicendum igitur, Chriſtum Dominum omnia & ſingula ſacramenta novæ legis immediate per ſeipſum inſtituiſſe. Hoc aperte docent Scripturæ divinæ, quarum teſtimonia ſupra recenſui, dum ſacramenta novæ legis ſeptem eſſe declaravi. Apoſtoli ipſi miniſtros ſe, non inſtitutores ſacramentorum appellant. S. Paulus inquit I. Cor. III. *Quid eſt Apollo? Quid vero Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis.* Et rurſus cap. IV. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et S. Petrus *Epiſt. I. cap.* IV. omnes Apoſtolos vocat *diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Accedit traditio Patrum. S. Ambroſius *Lib. IV. de ſacram. cap.* IV. inquit? *Ergo auctor ſacramentorum quis eſt niſi Dominus Ieſus? De cælo iſta ſacramenta venerunt.* S. Auguſtinus de vera Religione cap. XVII. *Ab ipſa Dei ſapientia, homine aſſumpto, a quo in libertatem vocati ſumus, pauca ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem chriſtiani populi, hoc eſt ſub uno Deo liberæ multitudinis, continerent.* Tandem Concilium Tridentinum ſeſs. VII. can. I. *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta &c. anthema ſit.* Et de extrema unctione *ſeſs.* XIV. can. I. hæc decernit. *Si quis dixerit, extremam unctionem non eſſe vere & proprie ſacramentum, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a Beato Iacobo Apoſtolo promulgatum... anathema ſit.* Adeo luculenti ſunt canones iſti, ut vix percipere valeam, quomodo, ſalva fide, defendi poſſit, ſacramentorum aliquod ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe. Id circo mihi probabilior eſt ſententia Bellarmini, & aliorum, de fide nempe eſſe, omnia ſacramenta novæ legis inſtituta fuiſſe *immediate* a Chriſto Domino. Nam ſi Apoſtoli aliquod ſacramentorum inſtituiſſent, revera Chriſtus non eſſet omnium ſacramentorum conditor. Concilium autem definit, omnia ſacramenta condita eſse a Chriſto Domino. Nec eſt quod reponatur, Chriſtum dici omnium ſacramentorum inſtitutorem, quatenus ipſe poteſtatem tradidit Apoſtolis aliqua inſtituendi ſacramenta. Nam heinc infertur, Chriſtum reipſa non eſse inſtitutorem. An quiſquam umquam docuit, Apoſtolos propria poteſtate inſtituiſse ſacramentum aliquod? Omnes illi qui aſserebant, Apoſtolos aliquod inſtituiſse ſacramentum, docebant id præſtitiſse poteſtate ſibi a Chriſto communicata. Cum ergo Concilium definiat, omnia ſacramenta Chriſtum Dominum inſtituiſſe, perſpicue excludit ab hac inſtitutione Apoſtolos, & Chriſtum Dominum illa immediate condidiſse conſtituit.

III. Ratione eadem veritas confirmatur. Deus per ſe & immediate inſtituit ſacramenta veteris legis, quæ erant egena elementa. Ergo potiori iure inſtituit omnia ſacramenta novæ legis; cum ſint perfectiora, & abundantiora dona efficiant. Præterea quis elemento ſenſibili vim animam ſanctificandi, quis aquam, oleum, panem ad gratiam conferendam elevare, niſi ſolus Deus, valet? Tandem ſolus Deus ædificator Eccleſiæ eſt: ſolus Deus fidei articulorum conditor eſt. Ergo ſolus Deus inſtitutor eſt ſacramentorum, quæ ſunt ſacra illa ſymbola quibus divinum ædificium munitur, obſignatur, atque perficitur.

IV. Non contenti Scholaſtici plures ea explanare quæ Deus fecit, ultra ad diſputandum pergunt, num communicare ſaltem Deus poſſit

poſſit ſimplici creaturæ inſtituendi ſacramenta poteſtatem. Sententiam negantem Scotus, Gabriel, Durandus, Vaſquez, & alii; adfirmantem Thomiſtæ, Suarez, Valentia, Ægidiani omnes, plureſque alii defendunt. Otio abuterer, ſi controverſiam hanc diſpiciendam ſuſciperem. Triplicem diſtinguunt poteſtatem : *auctoritatis*, quæ ſoli Deo convenit : *excellentiæ*, quæ humanitatis Chriſti propria eſt : *miniſterii*, ſeu delegata Eccleſiæ miniſtris, qui eadem inſtructi, ſacramenta a Chriſto inſtituta perficiunt, & diſpenſant. Poteſtatem *auctoritatis* non poſſe creaturæ impertiri, docent omnes, cum hæc ſolius Dei propria ſit. At quod Deus poſſit excellentiæ poteſtatem creaturis communicare, docet S. Thomas III. Part. quæſt. lxvi. art. 4. *Potuit miniſtris communicare, dando ſcilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad ſacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipſorum ſanctificarentur ſacramenta, & ipſi poſſent ſacramenta inſtituere, & ſine ritu ſacramentorum effectum ſacramentorum conferre ſolo imperio.* Subdit tamen ad I. reipſa hanc Deum poteſtatem *excellentiæ* non communicaſſe Eccleſiæ miniſtris *propter fidelium utilitatem, ne in homine ſpem ponerent, & ne eſſent diverſa ſacramenta, ex quibus diviſio in Eccleſia oriretur; ſicut apud illos qui dicebant : Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Quæ contra hactenus dicta opponi ſolent, prætereo; cum non ſit pretium operæ ea expendere.

CAPUT XI.

De ſacramentorum miniſtris.

PLura ſcitu neceſſaria de ſacramentorum miniſtris dicenda occurrunt : idcirco caput iſtud in ſequentes §§. tribuo, ut quæ diſputari a Theologis de miniſtrorum influxu ad gratiæ productionem, de illorum intentione, fide, & probitate ſolent, exponere clarius valeam.

§. I.

Sacramentorum miniſtri, ut cauſſæ inſtrumentales, active cum ipſis ſacramentis concurrunt ad ſanctificationem. Soli homines viatores ſunt ſacramentorum miniſtri.

I. SI ipſa ſacra ſymbola divina virtute elevantur ad gratiam producendam, non eſt cur hæc prærogativa ipſis miniſtris denegetur. Sed factum divinis Scripturis evincendum eſt. Miniſter ſacramenti pœnitentiæ vere abſolvit a peccatis, ut habetur Ioan. XX. *Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Rationem congruam præbet S. Thomas *III. Part. qu.* lxiv. *art.* I. ubi inquit : *Homo poteſt operari ad interiorem effectum ſacramenti, inquantum operatur per modum miniſtri. Nam eadem ratio eſt miniſtri, & inſtrumenti : utriuſque enim actio exterius adhibetur, ſed ſortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod eſt Deus.* Porro ſacramenta ſunt cauſſæ inſtrumentales effectrices ſanctificationis noſtræ. Ergo etiam miniſtri eadem ſacramenta miniſtrantes. Excipitur tamen Euchariſtiæ ſacramentum, quod non conſiſtit in uſu. Elapſa enim miniſtri actione, conſiſtunt ſacra ſymbola, ſeu ſpecies, ſub quibus vere, & realiter corpus Chriſti continetur : & iſtius ſacramenti ſumptio gratiam confert poſt elapſam miniſtri actionem. Cetera ſacramenta, quæ in actione conſtituta ſunt, ſimul cum actione miniſtri unam conſtant cauſſam inſtrumentalem ad ſanctificationem producendam.

II. Solus homo viator, ſed non omnis, eſt ordinarius, & idoneus miniſter ſacramentorum. Id evincitur ex divinis Scripturis. *Accipite Spiritum ſanctum : quorum* &c. Ioan. XX. Et Paulus I. Cor. IV. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti* &c. Item II. Cor. III. *Qui nos idoneos miniſtros novi teſtamenti fecit.* Rurſus Hebr. V. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis : qui condolere poſſit iis qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate* &c.

III. Quid ſi Angeli, aſſumpto viſibili corpore, ſacramenta miniſtrarent? S. Thomas *III. Part. quæſt.* lxiv. *art.* 4. reſpondet. *Sciendum tamen, quod ſicut Deus virtutem ſuam non alligavit ſacramentis, quin poſſit ſine ſacramentis effectum ſacramentorum conferre; ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in ſacramentis. Et quia boni Angeli ſunt nuntii veritatis, ſi aliquod ſacramentale miniſterium a bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum : quia deberet conſtare hoc fieri voluntate divina; ſicut quædam templa dicuntur angelico miniſterio conſecrata. Si vero dæmones, qui ſunt ſpiritus mendacii, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum.* Si ſancti comprehenſores, corpore per miraculum aſſumpto, ſe viſibiles præberent, miniſtrare hi ſacramenta poſſent; ut indicare

S. Thomas *loc. cit. ad* 2. videtur. Sed hæc omnia extraordinaria sunt, quæ humanæ mentis aciem fugiunt.

IV. Solus, sed non omnis, homo idoneus est sacramentorum minister. Oppositum docuit Lutherus, qui potestatem ab usu distinguit. Potestatem administrandi sacramenta cuilibet Christiano per baptismum tributam asserit. Usum autem istius potestatis usurpare neminem sibi debere contendit; nisi qui legitime vocatus fuerit. Sic enim scribit in Libro ad Pragenses. *Sacerdos, in novo præsertim testamento, non fit, sed nascitur; non ordinatur, sed creatur. Nascitur autem in baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes.* Immo pueris, & feminis administrandi sacramenta potestatem concedit. Hanc quippe illius propositionem damnavit Leo X. *Ubi non est Sacerdos, æque potest quilibet Christianus sacramenta administrare, etiamsi mulier, aut puer esset.* Quid quod ipsi dæmoni hanc potestatem tribuit *Lib. de Missis privatis, & unct. Sacerd.*? ubi hæc scribillat. *Si diabolus ipse veniret, & ego postea rescirem, diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, specie hominis vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, celebravisse Missam, & absolvisse a peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi: tunc cogeremur fateri, sacramenta ideo non esse inefficacia; sed verum baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis, & sanguinis Christi accepisse.* Accipere Lutherus cum suis Lutheranis a diabolo sacramenta potest, quicum modium salis se comedisse, familiaremque habuisse consuetudinem, iactabundus testatur, quin eius consilio se quoque motum asserit ad Missam abrogandam. Calvinus e contrario solis ministris, a Deo vocatis, munus ministrandi sacramenta ita adiudicat, ut exprobret Tridentinis Patribus, quod, urgente necessitate, feminis facultatem baptizandi faciant. Hæc enim scribit in *Antidoto* ad sess. VII. & can. X. *Ergo cum peculiaris requiratur vocatio, nemo, nisi vocatus, honorem sibi usurpet. Porro munus baptizandi ubi mulierculis iniunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?* Per errorum extrema gradiuntur frequenter hi duo hæresiarchæ.

V. Non quilibet homo christianus, sed illi tantum qui in Ecclesia legitime ordinati sunt, potestatem habent sacramenta ministrandi. Hanc veritatem Catholici omnes docent adversus Lutheranos. Eam tradunt Scripturæ sanctæ. S. Paulus *Ephes.* IV. inquit: *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi . . . Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Quam doctrinam familiari illustrat similitudine membrorum humani corporis *Epist. I. ad Cor. cap.* XII. ubi fuse ministerii diversitatem explicat. *Et divisiones ministrationum sunt, idem autem spiritus . . . . Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ .... alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum... Nam & corpus non unum est membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore?. . . . Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?*

VI. Nec est quod Lutherus reponat, Apostolum non de potestate, sed de potestatis usu loqui. Nam de ea loquitur Paulus potestate quam Apostoli a Christo, & Aaron a Deo acceperunt. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron:* Hebr. V. Sed hi potestatem, unde usus manat, a Deo acceperunt. Et profecto si in ipsa lege veteri cuilibet licitum minime fuit, sed iis tantum qui abs stirpe Aaron descendebant, sacra peragere; quanto magis in lege nova a sacro ministerio arcendi illi sunt qui legitimam potestatem media sacra ordinatione non acceperunt?

VII. Tandem Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* X. hunc articulum definivit. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

VIII. Opponit Lutherus, Petrum *Epist. I. cap.* II. omnes Christianos vocare *genus electum, regale Sacerdotium.* Et S. Ioannes *Apocal.* I. inquit: *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo patri suo.* Resp. Omnes Christiani sunt Sacerdotes metaphorice, & improprie, quatenus precum hostias, & bonorum operum sacrificia Deo immolant, ut ibidem S. Petrus declarat. *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, & acceptabiles Deo per Iesum Christum . . . . Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius* &c. Eo modo Christiani Sacerdotes vocantur, quo dicuntur lapides vivi, domus spiritualis, Reges &c. Dignitatem, & prærogativas christianæ professionis ibi describit S. Petrus. Plura eiusmodi quæ opponi solent, prætereo.

§. II.

De intentione ministri in perficiendis sacramentis. Novatorum sententia. Doctrina Catharini a censura vindicatur.

I. Ministri intentio propositum voluntatis est quo minister sacramentum conferre deliberat. Triplicem distinguunt Theologi intentionem, habitualem, actualem, virtualem. *Habitualis* prompta quædam facilitas est operandi, seu prona voluntas, & dispositio ad opus præstandum; nullo tamen modo in actum erumpit, de quo sæpe nec cogitatur quidem. Sic vino recocti, aut somno capti ea interdum agunt quæ usu antea frequentabant. *Actualis* intentio est præsens animi applicatio, & attentio ad opus quod reipsa agitur. Sacerdos, dum confert sacramentum, actu cogitat de eo conferendo, & actu intendit illud ministrare. Hanc rursus distinguunt in *directam*, qua agens rem vult; & in *reflexam*, quæ tendit in ipsum actum quo voluntas rem vult. *Virtualis* illa dicitur quæ ex actuali intentione præcedente manat, quæque nec per contrariam intentionem, nec per longam temporis moram interrumpitur. Hinc minister qui, dum confert sacramentum, alio distractus, actu non cogitat de sacramenti administratione, non habet intentionem actualem: quia tamen prius illam habuit, nec eam retractavit, nec fluxit notabile tempus, sufficiens ad illam interrumpendam, dicitur habere intentionem virtualem: quia prior actualis virtute permanet, & vi prioris actus ad agendum ille se applicat. Verbo, intentio actualis transit quidem, prout est actualis, at virtute remanet.

II. Convenit penes omnes Catholicos, intentionem habitualem nequaquam sufficere ad sacramentum perficiendum; sicut actualem non esse necessariam, sed sufficere virtualem. De hac virtualis intentionis qualitate acriter disputant mutuo Theologi catholici, quorum placita infra expendam. In præsens intentionem quam Catholici omnes contra novatores propugnant, ob oculos pono.

III. Lutherus non modo plura sacramenta a Christo instituta de medio sustulit; verum etiam ministros valide perficere duo illa sua sacramenta contendit, tametsi scurras, & mimos se prodant, atque iocantes, & ludentes baptizent. Hic est enim illius articulus quem *num.* 12. proscripsit Leo X. *Si Sacerdos non serio, sed ioco absolverit, si tamen credat se esse absolutum, verissime absolutus est.* Quem errorem fusius explicat *Lib. de captivit. Babylonica.*

IV. Calvinus in *Antidoto* ad *can.* XI. *sess.* VII. *Concil. Trid.* hæc scribit: *Parvi se facere anathemata sua ostendunt, in quibus fundendis adeo sunt prodigi. Quod de intentione consecrandi garriunt, a sophistis nulla probabili ratione fuit proditum . . . Nam si necessaria est ministri intentio, nemo est nostrum qui certam baptismi sui fidem facere sibi ausit. . . . Qualis erit fides quæ pendebit a secreta alterius voluntate? Et adhuc sua anathemata, hoc est suos crepitus, nobis minari porci isti non verentur, nisi mox subscribamus talibus blasphemiis. Ego vero sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitem panem, & calicem illius manu porrectum, revera mihi esse corporis, & sanguinis Christi pignora. Putidas istas nænias piget excutere, ubi dicunt: Saltem faciendi quod facit Ecclesia.* Qualis fuerit Calvini spiritus, ex eiusdem gravi, modesta, ac prudenti locutione colligere quisque valet. Lutheri errorem temperat Calvinus, qui exteriorem Lutheri irrisionem, & subsannationem, interiorem in Epicureo facit. Requirit ipse exteriorem administrationem, serio, & legitimo ritu peractam. Improbat ergo & ipse Lutheri errorem: ergo probet necessum est anathema in illum a Tridentino latum. Prætereo nunc quod Calvinus Epicureum instituat sacramenti eucharistici idoneum ministrum.

V. Martinus Chemnitius *part.* II. *exam.* in præfatum canonem plura consarcinat mendacia, ut invidiam Catholicorum doctrinæ conflet. Ab errore magistri sui Lutheri recedere videtur, inquiens: *Non hoc vult institutio baptismi, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil aliud sit quam vel ridiculus lusus, vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum; sed requirit ut peculiaris instituatur actio, & quidem illa actio quam Christus instituit. Et hoc sufficit ad servandam institutionem.* Viden', quam presse, & perspicue loquantur thrasones isti, qui continenter blaterant adversus implicatam quorumdam Scholasticorum locutionem? Reiicere hic videtur Chemnitius exteriorem lusum, & mimicam actionem. Fateatur ergo oportet, iure errorem Lutheri sui, qui baptismum ioculari admi-

administratione collatum, validum docuit, damnatum esse. Calumnia vero quam Scholasticis impingit Chemnitius ibidem, hæc est. *Scholastici . . . docuerunt ad veritatem baptismi requiri non tantum formam institutionis, verum etiam intentionem ministri, eamque non tantum respectu actus baptizandi, ut obiecti, sed etiam respectu baptismi, qui est finis & terminus*. His mendaciis opus erat ut invidiosam efficeret Catholicorum doctrinam. Catholici omnes docent, non requiri intentionem producendi effectum qui sacramentum consequitur; requirunt vero ministrum serio intendentem facere quod facit Ecclesia. Lutheranorum autem consolationem, & securitatem interturbare haud debet sive ebrietas, sive insania, sive scurrilitas ministri. Hæc sunt cæcitatis Lutheranæ, & Calvinianæ portenta. Si ita res se haberet; cur Deus hominum ministerio sacramentorum dispensationem commisit? Reiicienda est ministri intentio, ne fideles, incerti de hac occulta intentione, angustiis vexentur? Si hæc ratio urget, reiiciendum erit absolute hominum ministerium, ne fideles ambigentes, num forma, aut materia vitiata sint, perpetuis conscientiarum aculeis torqueantur. O lepidum hominum genus! Utique non adeo facile est res, & verba immutare; tamen frequentissime tum formam, tum materiam depravare, mutilare, invertere pro arbitrio ministri iniqui valent. Quid tum de consolatione, de gaudio Lutheranorum, & Calvinistarum? In hoc errorum chaos se coniecerunt miseri homines, ex quo Dei præsidium Ecclesiæ, ne deficiat in necessariis, denegare ausi sunt. Divina providentia, quæ hominum ministerio sua concredidit sacramenta, illa ipsa est quæ ministros idoneos cœtui suo donat, donabitque usque ad consummationem sæculi, ut sacrosancta symbola recte & rite administrent fideli populo.

VI. Ambrosius Catharinus Politi Episcopus Minorensis tempore quo Concilium Tridentinum, cui interfuit & ipse, celebrabatur, opusculum de ministri intentione edidit. Hæc ille proponit discutienda. *Dicendum, quod intentio ministri dicitur esse in hoc ut intendat facere quod Christus, & Ecclesia facit, etiamsi ipse nihil credat fieri . . . Ponamus ministrum omnia exterius facere quæ iubet Ecclesia, intus autem aliud servare in animo, ita ut intendat derisorie baptizare*. Hoc est quæsitum quod ille proponit resolvendum. Et his verbis respondet. *Non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia; quamvis ipse neque credat Ecclesiam, neque ullum baptismi spiritualem effectum: sed satis est ut intendat facere quod Ecclesia iubet per ministros fieri: namque quod illa per ministros facit, ipsa facere intelligitur. Quid ergo fecit Ecclesia per ministros baptizando? Nisi quod legitime utitur materia, adhibens suam verborum formam. Hoc igitur si facit minister, profecto illud facere intendit; si sit mente sanus. Quis enim vigilans faciat aliquid quod facere non intendit?*

VII. Bellarminus *Lib. I. de sacram. in gen. cap.* XXVII. contendit, hanc Catharini opinionem non in alio ab hæreticorum errore discrepare, *nisi quia Catharinus in fine opusculi subiicit se Apostolicæ Sedi, & Concilio; novatores autem rident utrumque*. Cardinalis de Lugo *disp.* VII. *de sacram. sect.* 2. eamdem fere in Catharini sententiam censuram intorquet. *Merito*, inquit, *censetur ab errore damnato non multum distare; & ideo meritissime ab omnibus Theologis reiecta sit* &c. Excipere saltem debuisset Eminentissimus Cardinalis Cl. Salmeronem, qui non modo Catharini sententiam defendit, verum etiam amplificat, & ultra metas a Catharino præscriptas extendit *Lib. I. part.* III. *disp.* II. in D. Pauli Epistolas, ubi hæc habet. *Advertendum, duplicem esse intentionem ministri conferentis sacramentum. Alteram quidem publicam, & Ecclesiæ ipsius, cuius ministerio perfungitur, quicumque ille sit, qui sacramentum dispensat. Hæc autem intentio satis exprimitur in ipsis sacramentorum formis: ut* Ego te baptizo: Ego te absolvo: Hoc est corpus meum. *Intendit enim Ecclesia catholica, sicut Christus sacramentorum auctor, per huiusmodi verba baptizare, absolvere, & panem in Christi corpus convertere. Hæc autem intentio inseparabilis est ab ipsis verbis, si integre, ut debent, proferantur. Et ideo ministri solliciti esse debent ut formam ipsam integre pronuntient, nec illam aliquo verbo contrario vitient, quo sic perficiant sacramentum, & sacramenti effectum digne accedentibus conferant. Altera vero intentio privata est, & particularis ipsius ministri, qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut occulta secretaque DERISIONE facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi sacramenta, aut eorum effectus, etiamsi sacramentum in forma Ecclesiæ consueta administret. Hæc intentio privata, etsi necessaria sit ne minister peccet, utque conformetur intentioni Ecclesiæ, tamen tam fortis, & efficax non est, ut vitiare sacramentum possit*. Et post plura rationum momenta, opponit sibi canonem Concilii Tridentini, quo statuitur necessaria intentio faciendi quod

quod facit Ecclesia: & hoc præbet responsum. *Dicendum, quod si intentio illa saltem faciendi quod facit Ecclesia, debet esse pars sacramenti, non debet esse illa cordis interna, & privata ipsius ministri; sed publica, quæ verbis ipsis exprimitur, ut* Ego te baptizo *&c.*

VIII. Cautius profecto suam circumscripsit Ambrosius Catharinus sententiam. Idcirco Cardinalis Pallavicinus *Lib. IX. cap.* VI. Hist. Conc. Trid. testatur, *Catharini sententiam Patribus suspectam non fuisse, nec illis fuisse in animo eam proscribendi*. Censura itaque Bellarmini, & de Lugo in doctrinam Catharini omnino abludit a vero, ut fatetur vel ipse D. Honoratus Turnely *de sacram. in gen. quæst.* VII. *art.* I. Ego opusculo Catharini careo: ideo eiusdem doctrinam expendere pro meritis nequeo. Ex rescripto testimonio, relato a præfato Turnely, perspicue colligitur, Catharinum requirere in ministro intentionem, & quidem interiorem faciendi quod facit Ecclesia. Excludit vero intentionem quæ respiciat aut effectum sacramenti, aut ritum externum sub ratione formali sacramenti; ut ipse Catharinus declarat his verbis, relatis a Cl. Turnely. *Non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia; quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum baptismi spiritualem effectum*. Doctrina Catharini, ut ex utriusque testimoniis allatis constat, huc pertinet. Minister qui serio, & deliberate baptizat, legitimum ritum servando, intendit facere id quod facit Ecclesia. *Quis enim*, inquit *vigilans facit aliquid quod facere non intendit?* Et hanc esse Catharini mentem fatetur ipse Bellarminus, ut advertit præfatus Turnely. Catharinus, inquit Bellarminus loc. cit. *duplicem distinguit intentionem, unam faciendi simpliciter actum externum quem facit Ecclesia; alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed ut sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium quod Christus instituit, & Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat*. Intentio itaque Bellarmino fatente, quam Catharinus negat, ea est quæ effectum sacramenti, aut ritum, quatenus formaliter sacramentum est, spectat: eam vero requirit quæ externum Ecclesiæ ritum respicit, quemque minister serio, non simulate celebrare vult. Hoc in sensu Gabriel Vasquez in III. *Part. S. Thomæ disp.* XXXVIII. *cap.* II. interpretatur. An hoc in sensu exponi sententia Salmeronis possit, ceteri videant. Ex allatis testimoniis inferri videtur, Salmeronis doctrinam huc pertinere, nempe nullam in ministro privatam intentionem necessariam esse, præter illam *quæ verbis ipsis exprimitur; ut* Ego te baptizo *&c.* An autem hæc satis sit, mox palam fiet. Illud est certum, liberius Salmeronem quam Catharinum scribere.

IX. Sententiam Catharini propugnandam integro opusculo suscipit P. Serry, sed ut mea præferet opinio, desiderandum erat ut Catharini systema propriis eiusdem Catharini verbis exponeret: quod neglexit. Si enim Catharini sententia talis est qualis a P. Serry, & ab Auctore *de re sacramentaria* exponitur, mihi falsa est, & a censura Bellarmini eam non absolverem; ut omnibus pateat, me non pro domo, sed pro veritate scribere. Et ut id quod sentio, candide prodam, P. Serry, & P. Le Druin Catharini systema plus iusto amplificarunt, & odiosum effecerunt; aut saltem quod Catharinus implicate, circumscripte, & adiectis clausulis docuit, isti sublatis terminis amplificarunt. Heinc est quod P. Serry in *Vin. Vind. cap.* VI. *pag.* 39. scribat, P. Salmeronem meliori quam Catharinum in luce posuisse sententiam de externa intentione. Idque verum habet, quia clarius, & apertius Salmeron quam Catharinus negat internam intentionem.

§. III.

Necessaria est ad substantialem sacramenti integritatem interna ministri intentio, qua serio, & vere facere velit quod facit Ecclesia.

I. PRimum omnium, ut propositam sententiam clare exponam, rescribo *can.* XI. *sess.* VII. Concilii Tridentini. *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit*. Aut reiicienda est definitio ista, aut admittenda interna aliqua intentio in ministro conficiente, & ministrante sacramenta. Non primum: ergo secundum. Quod sic evinco. Aut exterior administratio sacramenti, secundum ritum institutum a Christo Domino serio peracta, natura sua, seclusa omni prorsus ministri intentione interna, validum efficit sacramentum; aut secus. Si primum: ergo nullo modo administratio sacramentorum ab interiore intentione ministri pendet: quod est damnatum a Tridentino. Si secundum: ergo necessaria est ministri intentio interna. Rursus. Aut minister serio pronuntians formam

mam sacramentalem, & materiam applicans iuxta legitimum ritum, potest intendere oppositum facere ab eo quod facit Ecclesia; aut non potest. Si non potest; sed necessario, posita administratione seria externa, cogitur intendere, & velle id quod facit Ecclesia: superfluus omnino est Tridentinus canon. Frustra quippe definitur ponendum quod necessarium est, seu quod omittere minister nequit. Iuxta oppositum systema, eo ipso quod minister serio applicet materiam, & formam iuxta legitimum ritum, necessario intendit facere id quod facit Ecclesia; ita ut hæc voluntas exterior seriæ administrationis collidat profligetque contrariam voluntatem interiorem. Ergo frustra Tridentinum requirit ministri intentionem. Clarius rem explico. Intentio externa separari, iuxta contrariam sententiam, a seria applicatione materiæ & formæ nullo modo potest. Ergo frustra Concilium, præter seriam materiæ & formæ iuxta præscriptum ritum applicationem, requirit intentionem. Sed illam requirit. Ergo falsa contraria sententia. In hypothesi adversariorum canon Tridentinus sic formandus fuisset. *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, satis esse iocosam, & non requiri seriam administrationem; anathema sit*. Sic enim, damnata Lutheri ioculari administratione, sublatum esset omne diffidium. At damnatus non fuisset error Calvini, aliorumque novatorum, qui seriam reipsa requirunt administrationem, exclusa omni interiori intentione faciendi quod facit Ecclesia. Hanc ipsi intentionem faciendi quod facit Ecclesia, derident ut superfluam. Quoniam, posita reipsa materia, & forma a ministro, Christus est, inquiunt, qui baptizat; nec in ministri potestate est nolle baptizare.

II. Quid quod Concilium Tridentinum & intentionem requirit, & seriam administrationem? Siquidem distincto canone damnat iocularem administrationem. Hæc quippe *sess.* XIV. *can.* IX. definivit: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed ioco absolvat ... anathema sit*. Duo ergo Tridentinum necessaria asserit, nempe & seriam administrationem exteriorem, & intentionem interiorem ipsius ministri: quod confirmat ibidem *cap.* VI. ubi damnat primum Lutheri errorem, asserentis Sacerdotem posse iocose absolvere; præscribitque seriam exteriorem administrationem, a qua contendunt adversarii inseparabilem interiorem ministri intentionem: & præterea animum vere absolvendi necessarium decernit. Quæ duo si desint, nullum esse sacramentum definit. *Atque adeo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit* &c. Si ab animo serio agendi inseparabilis foret animus absolvendi; frustra, & inepte addidisset Concilium *& vere absolvendi*.

III. Confirmo hanc doctrinam sub alio aspectu. Aut sufficit iocularis administratio: aut non sufficit, seria sublata interiore ministri intentione. Quandoquidem quæro: ex ministri voluntaria & deliberata exteriori materiæ & formæ applicatione iuxta Ecclesiæ ritum, coalescit ne eo ipso sacramentum, tametsi interius minister fingat, derideat, & formaliter nolit ritum illum sacramentalem? Ais? Hoc est enim systema tuum. Ergo quod ioco, aut serio applicatio hæc fiat, dummodo sit iuxta legitimum Ecclesiæ ritum, perinde est. Quoniam, inquis, posita materiæ, & formæ, iuxta præscriptum ritum, exteriori applicatione, Christus est qui baptizat. Ergo neque iocus impedire, nec gravitas exterior efficere sacramentum potest; sicuti, ut a caussis naturalibus exempla arcessam, posita applicatione ignis ad materiam, & propinato homini veneno, sive ioco, sive serio id fiat, ad effectum quod attinet, perinde est. Finge, mimum reipsa applicare materiam, & formam baptismi iocular i actione; voluntarie tamen & deliberate, licet iocular iter, res & verba applicat iuxta Ecclesiæ ritum. Minister, non secus ac mimus, interius deridet, & improbat ritum illum; serio tamen exterius rem peragit, ut gravia mala declinet, quæ subire, si eius occulta derisio innotesceret, deberet. Quodnam inter utrumque discrimen? Ambo voluntarie & deliberate rem agunt. Ambo ea omnia servant quæ servanda Ecclesia iubet. Non sane aliud discrimen, nisi quod ille manifestus, hic occultus derisor sit. Nullum est sacramentum in primo casu. Ergo nullum quoque in secundo. Id solum discrimen esset, quod in primo casu nobis constaret, nullum reipsa esse sacramentum, secus in secundo. Ceterum, si minister patefaceret suam voluntatem contrariam interiorem, occultamque derisionem, vix esset qui iterandum sacramentum non iudicaret; ut quidem mihi videtur, admisso quod fides adhibenda ministro esset.

IV.

IV. Præterea Concilium definit, nullam esse sacramenti administrationem iocose peractam. Numquid Concilium restringit suam definitionem ad exteriorem irrisionem & iocularem administrationem? Minime gentium. Sed absolute pronuntiat: *Si desit animus serio agendi*. Quo fundamento coarctant adversarii hæc verba ad exteriorem dumtaxat ritum. An non deest animus serio agendi, cum adest animus revera irridendi, tametsi extrinsecus non se prodat? An novatores, ut iam dixi, post Lutherum non excludunt mimicam, & iocularem externam administrationem? Qui intus deliberat, *Nolo absolvere, nolo baptizare*, nonne animo interiori simulat, deridet, subsannat? Nonne intus testatur se nolle facere quod facit Ecclesia? Quomodo ergo intendit facere quod facit Ecclesia? Quia reipsa deliberate ponit ritum, & ea quæ extrinsecus agenda Ecclesia præscribit? At si hoc sat esset, perperam Concilium requireret intentionem faciendi quod facit Ecclesia; solamque seriam exteriorem administrationem præscribere debuisset.

V. Ad hæc omnia respondent Contensonius, Serry, Le Druin, nos sophistica æquivocatione confundere id quod facit Ecclesia, cum eo quod intendit Ecclesia. Ecclesia peragit ritum externum sacrum materia & forma simul applicatis; intendit vero hominum sanctificationem. Qui externum peragit ritum, intentionem habet faciendi quod facit Ecclesia; licet non intendat id quod intendit Ecclesia. Interpretamentum hoc vanum est. Ecclesia non facit ritum, ut dicitur *materialiter*, sed religiosum & sacrum. Ut sit eiusmodi, voluntas ministri necessaria est quæ ablutionem illam exteriorem sacram religiosamque efficiat. Cur enim Deus, non seipso, sed Sacerdotum ministerio conficere, & conferre sacramenta voluit? Ut ministri, tamquam animata instrumenta, nomine sui principalis auctoris Christi Domini agerent. Novatores dumtaxat effutiunt, Deum solum sacramenta conficere, nihilque ministros agere. Utique non requiritur ut ministri intendant sacramentorum effectum, hominumque sanctificationem. At intendant necessum est efficere ritum externum religiosum & sacrum. Perspicue confirmat S. Thomas hanc doctrinam, & effugium adversariorum præcludit. Opponit sibi *III. Part. q.* LXIV. *art.* 10. *arg.* 1. hoc ipsum interpretamentum. *Videtur quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ. Sed intentio Ecclesiæ semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri*. Responsum quod præbet, adversariorum systema penitus convellit. *Ecclesiæ intentio recta est & quantum ad sacramenti perfectionem, & quantum ad sacramenti usum: sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesiæ quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum*. Ut itaque minister perficiat sacramentum, ad Ecclesiæ se conformare intentionem debet. Non tenetur vero ad Ecclesiam se conformare, quatenus hæc sacramenti effectum, seu hominis sanctificationem intendit.

VI. Extra omnis disputationis aleam sententiam nostram, nisi me amor fallit, constituit Alexander VIII. dum anno 1690. hanc *prop.* 30. proscripsit: *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia*. Varia sunt adversariorum interpretamenta, quibus circumvenire hanc damnationem student; sed, ut ego quidem arbitror, omnia vana. Gaspar Iuvenin respondet, Canonistas Gallos rata non habere decreta Romana quæ a Pontifice summo proxime non emanant. Hanc responsionem ut futilem reiicio. Animadverti alibi, iure P. Michaelem Elizalde Probabilistis pluribus improperare, quod pontificia diplomata ambabus ulnis suscipiant, exaltent, amplificent, dum sibi favent; dum e contrario sibi adversantur, captiosis distinctiunculis ea eludere studeant. Merito hæc eadem increpatio retorquenda est in Iuvenin, aliosque Canonistas Gallos qui pro ingenio eiusmodi decreta reiiciunt.

VII. Respondent secundo Serry, Le Druin, Milante, & idem Iuvenin, propositionem merito proscriptam esse, quod absoluta sit, comprehendatque omnem ritum, sive ioco, sive serio peractum: idcirco in sensu Lutheri, qui baptismum, etiam scenicum, & theatralem, validum fabulatur, propositionem damnatam esse contendunt. Responsum istud omnino falsum existimo. Lutheri error de iocosa, & mimica administratione damnatus fuit & a Leone X. & a Concilio Tridentino. Frustra contra hunc errorem, nullo modo expressum in hac propositione, anathema innovatum esset. Gratis asserit P. Serry in *Vind. Vind. c.* XII. sententiam Lutheri, a nonnullis maleferiatis impudenter recusam in Belgio, præfatam formasse propositionem

positionem. Unde hoc colligit? Catholicorum nemo Lutheri errorem, damnatum a Tridentino, propugnavit umquam. Quid quod ipsi Lutheri discipuli mimicam, & iocularem administrationem reiiciunt? Tantum abest ut aliqui maleseriati recuserint in Belgio Lutheri errorem, quin e contrario, sicuti advertit Cl. Laurentius Berti *Lib. XXX. cap.* XVI. nonnulli Lovanienses Theologi, præcipue Farvacquesius, qui exteriorem seriam intentionem sufficere propugnaverat, simul atque intellexerunt promulgatum decretum Alexandrinum, damnatam Farvacquesii sententiam iudicaverunt, & contrariam de necessitate interioris intentionis sententiam propugnaverunt. Et hoc constat ex P. Leonardo Vanroy *Tom. IV.* ex Aurelio Piette *Tom. V.* ex Francisco Henno Belga *tr.* 1. *disp.* IV. *q.* II. *art.* 2. qui indicat thesim proscriptam decerptam fuisse ex thesibus Farvacquesii, qui sententiam de exteriore intentione, exclusa ioculari, & scenica administratione, acriter propugnaverat. Frustra itaque damnatam propositionem arctare student adversarii ad mimicam administrationem, cum nec verbum sit in ea thesi, unde tam arbitrarium figmentum erui possit; immo conceptis verbis solam opinionem negantem internam intentionem, nulla ludificatione patefactam, recta & apertissime petit. *Intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia.* Ubinam vel levissimum vestigium externi ioci? Tam peregrinum & violentum adversariorum commentum argumento est, illorum opinionem percussam in præfata thesi esse. Nec maioris momenti est quod subdit P. Serry, se videlicet Præsules, consultores, & iudices Romæ testantes audivisse, sententiam Catharini nullo modo petitam in dicta thesi fuisse. Quidquid sit de Catharini systemate, cuius doctrina non adeo aperta est: nos dicimus, damnatam esse opinionem quæ defendit, validum esse sacramentum, serio ritu exteriori servato; tametsi Minister intus prorsus nolit facere quod Ecclesia facit, quin administrationem extrinsecus serio peractam, intus improbet, & derideat. Quod libri in quibus contraria opinio defenditur, non sint proscripti, nihil suffragatur eidem opinioni; cum non ideo aliqua opinio sit probabilis, quia liber in qua defenditur, non est proscriptus.

VIII. P. Dominicus Viva, qui passim thesium damnationem extenuare pro viribus studet, hanc plus iuste amplificat. Si quidem *n.* 1. inquit. „ Catharinus tamen .... Sylvester, Paludanus, & alii apud Lugo putarunt, requiri quidem intentionem faciendi quod facit Ecclesia, sed faciendi materialiter, non formaliter, hoc est requiri intentionem adhibendi ritus, ac cæremonias externas ab Ecclesias præscriptas, *non tamen intentionem conferendi sacramentum, & gratiam sacramentalem nomine Christi principaliter operantis, prout fit in Ecclesia. Hanc opinionem abolitam iam, & sepultam excitavit deinde Io: Maria Scribonius* &c. " Sententia quæ docet non requiri intentionem producendi effectum sacramenti, seu *gratiam sacramentalem*, non est abolita, neque sepulta; cum sit communis inter Theologos.

IX. Plura in confirmationem sententiæ nostræ adducere testimonia de Scripturis, & Patribus possem, quæ brevitatis studio prætereo. Eugenius IV. in instructione Armenis data, hæc decernit. *Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.* Testimonium istud peremptorium est.

X. Communi ratiocinio illustratur sententia nostra. Quæ sunt natura sua ad varios usus differentia, determinari ad unum debent per aliud. Atqui ablutio exterior, etiam invocato Trinitatis nomine, indifferens est ut sit profana, vel sacra. Ergo de intentione ministri determinari debet, ut sacra evadat. Determinatur, inquis, per seriam formæ a Christo institutæ prolationem. Falleris. Externa ablutio indifferens est ut sit aut seria, aut iocosa; sacra, vel profana. Ut non sit mimica, necessaria est intentio qua serio peragatur. Ergo ut non sit profana, & mere naturalis, necessaria est intentio, qua determinetur ut sit sacra. Rursus sicut ablutio infantis indifferens est ad usum sacrum, aut profanum; ita verborum significatio indifferenter ad varios usus sanitatis corporis, vel animæ adhiberi potest. Ergo ut ad sacrum usum determinetur, necessaria est ministri intentio. Cedo: minister, dum ritum externum peragit, aut illum peragit ut a Christo institutum; aut secus. Si primum; iam habet intentionem interioram faciendi quod facit Ecclesia, & exercendi ritum illum ut sacrum. Si contra intendat exercere ritum illum, non ut institutum a Christo; immo ut institutum a Christo intus deridet, improbat, detestatur, quemadmodum fatentur adversarii, cum intus velit non baptizare; iam non exercet ritum ut sacrum. Quomodo enim sacrum efficit ritum illum? Quomodo ut Christi ministrum se gerit? Nonne Catholici omnes fatentur, Sacerdotes potestatem accepisse a Christo ministrandi sacramenta? Nonne istius potestatis exercitium ab ipsius libera ministri voluntate pendet? Numquid minister hac potestate a Christo accepta utitur, cum expresse renuit eam adhibere?

XI. Insistunt, Sacerdotem se gerere ut Christi ministrum, & potestatem ab eodem acceptam exercere, quoties applicat formam, & materiam præscriptam; & ablutionem ex adiectis circumstantiis patrinorum, fontis baptismalis, aliisque determinari ad ritum sacrum. Verum effugium istud iam præclusum antea est. Nam sicut ablutio indifferens est; ita verba indifferenter ad plures adhiberi significatus possunt. Si nefarius Sacerdos puerum in fonte lavaret sanitatis caussa, & divinas personas iuxta præscriptum ritum invocaret, hac deliberata interna intentione, ut sanitatis donum puero obtineret: numquid baptizatus puer esset, quamvis adstantes ex circumstantiis baptizatum crederent? Si aiunt; ergo verba illa suam vim ita a Christo habent, ut nullo modo ab intentione ministri pendeant. Quod si hoc adfirmes, concedas oportet, verba illa, etiam a mimo, ab ebrio, ab amente prolata, sacramentum perficere; ut supra iam demonstravi exemplo ignis, qui applicatus sive a stulto, sive ab ebrio, sive a mimo, perinde comburit, quia independenter ab intentione applicantis vi comburendi instructus est. Similiter si verba evangelica ita a Christo vim perficiendi sacramentum habent, ut ab intentione interna ministri nullo modo pendeant, sive ioco, sive serio applicentur, parere effectum debent. Quæ omnia quam sint absona, nemo non videt.

XII. Præfata ratiocinatio tota est S. Thomæ, qui *III. Part. quæst.* LXIV. *art.* 8. hæc scribit. *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet quod determinetur ad unum, idest ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba quæ in sacramentis dicuntur; puta cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris &c.*

XIII. Sibi favere hunc textum P. Serry *loc. cit.* & P. Le Druin contendunt ob ultima verba. Sed manifeste falluntur. Utique intentio exprimitur per verba, nisi mendacium contingat. Spectetur integrum allatum testimonium de indifferentia eorum quæ ad perficienda sacramenta adhibentur: &, nisi præiudiciorum caligo mentem obscuret, continuo veritas apparebit. *Ea*, inquit Angelicus, *quæ in sacramentis aguntur*, sive materiæ, sive formæ sint, *possunt diversis modi agi*. Determinari hæc debent. Perquid? Per verba? Minime, reponit S. Doctor, sed per intentionem. *Et ideo oportet quod determinentur ad unum, idest ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis.* Quæ postea intentio verbis exprimitur. At si nefarius Sacerdos ablutionem determinet per iniquam occultam intentionem ad unum, nempe ad effectum sanitatis, munditiei, aut levaminis; tunc suam intentionem determinantem verbis externis adstantibus, & in foro humano occultat. Illustrat Angelicus hanc suam doctrinam ibidem *artic.* 10. his verbis. *Intentio ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; & talis perversitas tollit veritatem sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.* In hoc testimonio sitam suam sententiam esse, respondet Serry *loc. cit. c.* VII. additque, non esse audiendum Gonettum, qui hoc testimonio nostram confirmari sententiam asserit. Contendit is, *Tò præcipue* absolute, non comparate sumendum esse. Idem asserit P. Le Druin. Sed interpretatio hæc cavillatoria est, & prorsus inepta: siquidem manifesta doctrina Angelici est, ministri intentionem nullum efficere posse sacramentum; tum vero *præcipue*, cum minister hanc suam perversam intentionem exterius manifestat: quia tum omnium Catholicorum sententia sacramentum nullum est. Subdit Angelicus loc. cit. ad 2. *Intentio ludicra, vel iocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum.* Nulla hic exterioris manifestationis mentio. Absolute definit Doctor sanctus, intentionem ludicram nullum efficere sacramentum: quia excludit rectitudinem primæ intentionis, quæ sacramentum perficit. Alia plura S. Thomæ testimonia referre omitto, cum allata satis superque illius mentem declarent.

§. IV.

Diluuntur adversæ sententiæ obiecta.

I. QUæ htereodoxi pro administratione ioculari baptismi obtrudere solent, paucis perstringam, cum sint a Theologis nostris centies convulsa. Quatuor exempla, ex historia ecclesiastica deprompta, opponunt. I. S. Athanasius, cum puer esset, alios pueros ludens in maris littore baptizavit: quem baptismum ratum habuit Alexander Episcopus Alexandrinus; ut referunt Rufinus *Lib. I. hist. cap.* XIV. Socrates *Lib. III. cap.* XV. Sozomenus *Lib. II. cap.* XVII. II. Ratum quoque habitum fuisse S. Gennesii baptismum, a mimo in theatro administratum, scribit Ado Viennensis in suo Martyrologio ad diem 25. Augusti. III. Nicephorus narrat *Lib. III. cap. ult.* Iudæum quemdam a sociis ludentibus in littore maris baptizatum fuisse. IV. Dioscorus, in theatro ludens, baptizatus est.

II. Resp. Duplex præbent Theologi responsum ad factum S. Athanasii. Principio falsitatis revincunt factum quod de S. Athanasio narratur. Secundo, admissa facti narratione, dicunt, Athanasium ferio baptismum ministrasse ludentibus pueris iuxta ritum quo ab Episcopo conferri baptismum viderat. Agebat enim tum Athanasius annum duodevigesimum. Quare per ludum collatum fuisse baptismum narrat Rufinus, comparate ad oblectamenta quibus pueri operam dabant; secus comparate ad intentionem qua Athanasius cathecumenos baptizabat. Genesii baptismum fabulis quoque eruditi Critici accensent; & Scriptores ipsi in hoc facto narrando discrepant, ac ineptissimas nugas venditant imperitis. Nam alii baptizatum Genesium volunt a mimo in scena, alii a christiano Sacerdote, alii ab Angelo. Nicephorus narrat, puerum hebræum non invitum serio baptizatum fuisse, & cum ceteris templum ingressum ab Antistite Constantinopolitano examinatum fuisse. Re comperta, decrevit Episcopus, inquit Nicephorus, *ut etiam in illo, quod deesset, iuxta mysterii executionem, compleretur*, nempe ut baptizaretur, si nondum vere baptizatus fuisset; aut confirmaretur, si validum susceperat baptisma. Ad quartum exemplum de Dioscoro architheatro respondet S. Augustinus *epist.* LXVII. ad Alipium, non in theatro, sed senem, miraculorum, quæ & in filia ad sanitatem restituta, & in semetipso expertus fuerat, vi excitatum, baptisma suscepisse. Addunt editores operum S. Augustini, & Dioscorum non *architheatrum* seu comœdorum ducem, sed *archiatrum* seu medicorum principem fuisse evincunt. Is cum prius christianam religionem lusisset, vovit se christianum futurum, si filiam ægrotantem sanatam videret. Quo beneficio accepto, promissis non stetit, sed cæcitate, & paralysi a Deo percussus tandem votum implevit; ut fuse narrat S. Augustinus.

III. Opponunt heterodoxi præter recensita exempla auctoritatem Innocentii IV. in *III. Decret. cap. Si quis puerum de baptis.* ubi hæc scribit. *Non est necesse quod baptizans sciat quid sit Ecclesia, quid baptizatus, & unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia; si tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est.* Truncatum testimonium obtrudunt. Nam continuo Innocentius subiicit. *Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus, vel etiam sine necessitate, vadat ad Saracenum, & dicat, Baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet, non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, idest ut baptismus operetur quidquid operari potest, & ipse baptizans tamquam minister conferat quod alii baptizantes conferunt; vere baptizatus est. Sed si hoc non intenderet, non baptizaret.* Constat heinc, internam requirere Innocentium intentionem: quia si non intendit conferre quod alii baptizantes conferunt, baptisma nullum est. Ratum baptisma ait, etiamsi minister non intendat facere quod Ecclesia facit; immo etiamsi contrarium in mente gerat, de intentione in effectum baptismi loquens, ut eius verba subiecta perhibent: *ut baptismus operetur quidquid operari potest.* Addunt, hanc Innocentii IV. doctrinam privati Doctoris esse, quæ, etiamsi falsa foret, nullum facesseret negotium. Neque doctrina hæc inserta est corpori iuris canonici; ut falso intrepide asserit P. Le Druin *de re sacramentaria pag.* 102. ubi hoc Innocentii testimonio firmare suam opinionem studet.

IV. Obiiciunt 1. defensores externæ intentionis auctoritatem S. Augustini, qui *Lib. VIII. cap.* IIII. *de baptismo contra Donatistas* plurimas instituit quæstiones. Valde prolixum est testimonium quod communiter obiicitur, & varia sunt Auctorum responsa. Interpretatio Cl. P. Laurentii Berti, in Augustini doctrina versatissimi, mihi arridet. Perdoctus

doctus vir, post allata aliorum responsa S. Augustini quæstiones paucis perstringit, & germanum sensum exponit *Lib. XXX. cap.* XVI. Prima Augustini quæstio est *de baptismo dato ab eo qui non accipit, sed curiositate aliqua didicit, quemadmodum dandum sit.* Paganus, a Christiano imbutus ritu baptizandi apud nos servato, tradit quod didicit. Ratum baptisma istud asserit Augustinus: quia intentio adest faciendi rem sacram Christianorum. Secunda quæstio est *de baptismo eius qui accipit cum simulatione, sive fallens in Ecclesia, sive iocans, sicut in mimo, si inter agendum repentina pietate moveatur.* Fallaci simulatione, aut mimice quis a Catholico, vel schismatico petit baptismum: subito intus commotus convertitur. Hoc in casu *simulatio fidei* est in suscipiente, non *simulatio intentionis* in ministrante. Validum baptisma asserit S. Augustinus, inquiens: *Sicut iam præteritis maiorum statutis, non dubito illos habere baptismum qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis in quorum societate id accipitur.* Planum est, Augustinum loqui de simulatione ex parte suscipientis. Minister vero, sive catholicus, sive schismaticus, sive hæreticus, baptizans non simulat. Tertia quæstio est, approbandus ne baptismus sit, *ubi nulla est societas credentium, sed totum ludere, mimice, & iocularitер agereтur.* Cui quæstioni respondet: *divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus esse implorandum.* Anceps ergo Augustinus est, inquies, num baptisma mimice susceptum validum sit. Falleris. Dubitatio eius est, facta hypothesi, *si quis existat qui fideliter subito commotus accipiat.* Iocularitер, & per ludificationem quis ad baptisma accedit; sed repentino divinæ misericordiæ ictu tactus fideliter baptisma suscipit. At quia subitanea commotio non patet, ideo anceps Augustinus implorandum divinæ revelationis oraculum ait. Plurima alia ibi disputat Augustinus contra Donatistas; nempe effectum baptismi non pendere ex conscientia baptizantis; spem non esse ponendam in homine: neque a ministrorum meritis petendam esse sacramentorum efficaciam: quæ omnia vera sunt.

V. Obiiciunt 2. testimonium S. Thomæ, qui *III. Part. q.* LXIV. *art.* 8. *ad* 2. hæc respondet. *Dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro; quæ si desit, non perficitur sacramentum: sed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat; in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est iustificatio a peccatis; sed quantum ad effectum qui est res, & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri: quia character numquam imprimitur nisi per sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister; in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ; quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.*

VI. Ut quis sit germanus recitatæ doctrinæ sensus, percipias, argumentum quod sibi obiicit S. Thomas, & cui responsum præbet, ob oculos revocandum est. En verba obiectionis. *Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum quod sacramentum suscepisset; & ita non posset habere certitudinem salutis.* Nonne luculenter patet responsionem S. Thomæ eo pertinere ut dubitationes & perplexitates conscientiarum de suscepti baptismatis certitudine expellat? Ut moraliter certos fideles reddat, se esse baptizatos, quamvis occulta & ignota sit ministri baptizantis intentio, monet, ministros Ecclesiæ personam sustinere, & Ecclesiæ nomine verba proferre. Cui prolationi fides adhibenda est, præsumendumque intentionem illum habere faciendi quod facit Ecclesia, nisi verbis oppositum exprimat. Ex recitatis obiectionis verbis planum est, ibi S. Thomam non loqui de certitudine sacramenti in se, sed de certitudine quæ omnem prudentem dubitationem de suscepto baptismo ab animo baptizati auferat. Et reipsa quoties minister Ecclesiæ profert verba, & contrarium forinsecus non exprimit, moraliter certi sumus in eodem fuisse intentionem, & recte baptismum administrasse; quemadmodum moralis certitudo adest hostiam publicæ adorationi expositam esse consecratam. Hanc esse S. Thomæ mentem testantur graviores Thomistæ; & ex obiectione cui datum responsum est, patet. Adde, numquam mentem S. Doctoris ex solis ad argumenta obiecta responsis colligendam esse, sed ex doctrina in articulorum corpore constituta. Porro vidimus

mus supra, perspicue S. Doctorem docere necessitatem intentionis internæ, determinantis indifferentiam tum materiæ, tum formæ sacramentorum. Porro, ut omnis ad effugium latebra præcludatur, lubet adiicere aliud S. Thomæ testimonium ex *opusc.* VIII. de sacramentis, ubi hæc habet. *Unde verba quibus sanctificantur sacramenta, dicuntur sacramentorum formæ; res autem sanctificatæ dicuntur sacramentorum materia: sicut aqua est materia baptismi, & chrisma confirmationis. Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum cum intentione conferendi, & faciendi quod facit Ecclesia. Quorum trium si aliquid deest; idest, si non sit debita forma verborum, & si non sit debita materia, & si minister sacramenti non intendat sacramentum conficere, non perficitur sacramentum.* Luculentiora hæc sunt quam eludi aliqua cavillatione queant. Alia testimonia quæ obtrudi solent, prætereo, tum quod nihil facessunt negotii, tum quod apertissima est S. Doctoris mens.

VII. Obiiciunt 3. Altum est apud antiquos Scriptores de intentione silentium. Nemo ante Martinum V. Eugenium IV. Concilium Tridentinum eiusdem meminit. Resp. Antiqui raro de intentione disputarunt, quia nemo eiusdem necessitatem in controversiam adduxerat. Idem de aliquo alio dogmate accidit. Ecclesia superfluas non condit definitiones; sed dumtaxat, occasione data emergentium errorum, doctrinam a maioribus traditam declarat. Neque Tridentina Synodus canonem de necessitate intentionis condidisset, nisi novatores eamdem impudenter, & effrenate pernegassent, mimica administratione invecta. Præterquamquod Augustinus *loc. cit.* ad baptismum validum necessariam asserit intentionem. Neque Tridentini Patres novam, sed antiquam doctrinam dumtaxat explicarunt.

VIII. Obiiciunt 4. Valet baptismus, a Pagano, a Iudæo, ab Atheo administratus. Nullam hi intentionem habent ritus sacri peragendi. Ergo nulla requiritur intentio, ut rectum baptisma habeatur. Propositio minor, quæ sola adduci in controversiam potest, constat. Ritum sacrum Christianorum, ut superstitione pollutum, isti execrantur. Illum ergo intendere ut sacrum nequeunt. Resp. Detestantur proculdubio Iudæi, Pagani, Athei christianæ religionis ritum tamquam superstitiosum & impium, intentione particulari & privata, & quatenus Athei, Pagani, & Iudæi sunt. At dum serio baptizant, serio volunt agere quod agit Ecclesia; atque adeo sacramentum illud conficere quod Ecclesia conficit. Duplex distingui in his voluntas debet. Altera qua improbant christianam religionem; altera qua intendunt ritum eiusdem religionis peragere. Illa particularis; hæc generalis est. Generalis autem, qua hic & nunc Atheus baptizat, prævalet voluntati particulari. Voluntate igitur generali se subiicit intentioni Ecclesiæ, quam ceteroquin ipse non credit. Clarius rem explico. Infidelis non credit, ritum Ecclesiæ christianæ esse sacrum, immo improbat ut superstitiosum; dum tamen baptizat, intendit Ecclesiæ christianæ more baptizare. Habet ergo intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Quod si insistas, neque Iudæum, neque Paganum, neque Atheum hanc habere intentionem; ego repono, hac in hypothesi nullum esse baptisma ministratum. Quare non est quod adversarii magni faciant argumentum istud. Nam aut infidelis intendit reipsa se gerere ut ministrum Ecclesiæ, intentione saltem implicita; aut expresse intendit non facere quod Ecclesia facit. Si primum, validum est baptisma. Si secundum, baptisma nullum est. Si enim nullum est baptisma a Catholico ministratum qui intus in corde dicat, *Nolo facere quod facit Ecclesia*, ut definivit Alex. VIII. pariter irritum erit baptisma collatum ab Atheo, qui expresse nolit facere id quod Ecclesia christiana facit. Et quia raro infideles hanc intentionem habent; ideo raro admittitur baptisma ab illis ministratum, nisi certæ coniecturæ adsint quæ ostendant, reipsa illos intendisse christianæ Ecclesiæ ritum servare.

IX. Obiiciunt 5. Non est necessaria in ministro producendi effectus sacramentalis intentio. Ergo neque intentio interior peragendi rem sacram. Probatur consequentia. Eadem ratio est cur Christus noluerit gratiam & characterem pendere ab occulta ministri intentione, & ritum sacrum. Resp. Disparitas manifesta est. Ritus exterior indifferens est ut sit sacer, aut profanus: idcirco, ut sacer evadat, determinari a ministro debet per intentionem deliberatam. Quando autem caussa determinata est ad effectum producendum, non pendet deinceps a ministri intentione talis effectus productio.

X. Obiiciunt 6. Ecclesia Respublica quædam est a Christo instituta, cuius publici ministri sunt Sacerdotes, qui Christi nomine sacramenta administrant. Ea ergo sola inesse illis intentio debet quæ in publicis ministris requiritur. Sed publicis ministris sat est habere intentionem externam peragendi communia Reipublicæ munia. Si iudex, inquit P. Serry, pro tribunali sedens, partibus auditis, servatisque publici iuris formulis, senatoria indutus veste, vultuque gravi sententiam dicat, reumque absolvat, valida est absolutio, & sententia, quæcumque sit illius interna, & occulta intentio: quia ut persona publica sententiam pronuntiat, & nomine Principis iudicii formam instituit. An audiretur iudex iste, si, serio rebus extrinsecus peractis, iactaret se intus noluisse reum absolvere? Sacerdotes nomine Christi baptizant, peccatores absolvunt. Quid ergo curabimus nefarios Sacerdotes, qui postquam serio & rite omnia forinsecus peregerunt quæ Ecclesia præscribit, iactabunt se intus noluisse baptizare, aut absolvere? Resp. Argumentatio isthæc manifesto vitio laborat. Ministri Reipublicæ mandata Principis exequuntur, & instituti sunt ad extrinsecum regimen civile populorum. Sicut isti internas populorum conscientias non moderantur, ita illorum interna privata intentio non curatur. Istorum regimen externum prorsus est; contra, regimen Christi internum & *spirituale* est, quod interiorem animarum sanctificationem spectat. Sacerdotes a Christo potestatem accipiunt in interiorem animarum sanctificationem, assumuntur ut animata instrumenta, quæ res exteriores determinent ad ritum sacrum. Quam disparata & vana paritas ista sit, ex eo patet quod in universo iuris corpore, neque in alicuius Principis statutis legatur disputatum umquam fuisse, aut decretum aliquod conditum esse quo præscribatur in Reipublicæ ministris necessaria animi intentio sive interna, sive externa. Contra vero Ecclesia in suis ministris animi intentionem præscribit; improbatque eo qui absolute hanc animi intentionem requiri negant. Nulla est ergo paritas ministros fori civilis inter & ministros fori spiritualis ac interioris.

XI. Obiiciunt 7. Ecclesia visibilis est, & sacramenta signis sensibilibus subiecta. Nihil ergo constituendum in sacramentis quod sensibile non sit. Alioquin qua ratione Ecclesiæ visibilitatem adversus hæreticos probabimus, si ab invisibili & latente Sacerdotum intentione pendere sacramenta dicamus? Resp. Visibilis Ecclesia est, quia visibilibus signis, visibili dogmatum professione, visibili ministerio in unam societatem ligata, & visibili capite directa, atque sensibili participatione sacramentorum alta. Verum sub hac visibili imagine spiritus fidei, veritatis, & gratiæ latitat, animatque visibilem repræsentationem. Insistunt. Quid, si Episcopus ordinatus sine intentione præsideret diœcesi? Tum omnes illius diœcesis Sacerdotes umbratici essent, nullum tum foret sacrificium, & cursu temporis universa diœcesis Sacerdotio, & sacramentis careret? Et quod in una contingere diœcesi potest, quidni in universo regno, quidni in tota Ecclesia? Ineptissimum est ratiocinium, Lutherano, non Catholico, dignum Theologo. Unde nos adversus heterodoxos evincimus, numquam defuturam Ecclesiam? Ex divina promissione, a Christo Domino facta, præstandi suum divinum præsidium, ne portæ inferi adversus eam umquam prævaleant. Quid ergo hypotheses obtrudunt quas numquam eventuras Deus certos nos reddidit? Nonne sicuti nefarius Sacerdos secretam ementiri intentionem valet, ita mutare materiam, alterare formam sacramentorum, aqua artificiali loco naturalis uti, corrumpere baptismi formam potest? Quid, si pueri sic tincti sacris ordinibus initiarentur? Quid, si Episcopi fierent? Nonne tum ex defectu materiæ & formæ ea omnia evenirent absurda quæ ex defectu occultæ intentionis contingere posse obtrudunt? Quo adversarii se recipiunt, ut hæc declinent incommoda? Nonne ad Christi promissionem, Ecclesiæ suæ factam? Accidere potest quod hic aut ille minister nefarius simulet religionem, adulteret sacramenta. At numquam Deus permittet, adversus Ecclesiam prævalituram Sacerdotum impietatem. Futilis ergo & prorsus vana est argutatio quam Contensonius, Iuvenin, Serry, & ceteri exaggerant.

XII. Obiiciunt 8. Episcopi testantur se nolle excommunicatos ordinare; & tamen ordinantur reipsa, si accedant, porrigantque materiam, velintque ordinem suscipere. Resp. Protestatio Episcopi adversus initiandos eo pertinet ut excommunicatos arceat, si adsint. Cum non constet aliquem adesse, Episcopus, dum singulos ordinat, singulis conferre sacros ordines intus deliberate vult.

XIII. Obiiciunt 9. Sacramenta sunt signa practica, quæ ex opere operato suum producunt effectum: sunt instrumenta quæ a Christo virtutem accipiunt. Ministri quoque instrumenta Christi sunt, cuius virtute agunt. Hæc omnia nullo modo pendent a ministri intentione. Hoc patet in caussis naturalibus: quia ignis natura sua comburit, non pendet ab applicantis intentione. Resp. Celebratio sacra-

sacramenti actio humana, atque adeo voluntaria est. Ergo a proposito ministri pendet. Sacramenta agunt ex opere operato, dum existunt: ut existant, perfici a ministro voluntarie operante debent. Minister est instrumentum animatum, electum a Christo Domino, ut libere sacramenta celebret. Quare inepta est paritas petita a caussis naturalibus, quæ vim agendi non accipiunt ab applicante. Sed sacramenta, ut perficiantur, ab intentione ministri pendent. Postquam autem perfecta sunt, tum ex opere operato, independenter a quacumque ministri intentione, effectum producunt.

XIV. Obiiciunt 10. Duplex in ministro intus nolente facere quod facit Ecclesia, & extrinsecus serio celebrante sacramentum iuxta evangelicum ritum, voluntas adest: altera interna, externa altera. Pugnant mutuo hæ duæ voluntates. At prævalet exterior, quæ reipsa operatur; interior succumbit victa, & mera evadit velleitas. Mercator servare merces vellet; at voluntas servandi vitam prævalet voluntati servandi merces. Ideo voluntas qua merces proiiciuntur, efficax est, prævaletque voluntati easdem servandi. Similiter voluntas serio peragendi ritum exteriorem efficax est, superatque voluntatem interiorem, qua minister obluctatur facere quod Ecclesiæ facit. Resp. Quando duæ voluntates contrariæ mutuo pugnant circa eamdem rem, idemque obiectum; dubio procul quæ forinsecus effectum producit, efficax est, inefficax altera; ut in exemplo adducto patet. Voluntas qua mercator proiicit merces, efficax est; inefficax altera, qua nollet merces proiicere. At hæ duæ voluntates idem omnino obiectum spectant. Dispar omnino est casus noster. Voluntas celebrandi serio ritum externum, indifferentem ad sacram, vel profanam ablutionem, & voluntas non faciendi sacramentum, sunt duæ voluntates quæ duplex respiciunt obiectum: ideo utraque efficax in suo genere est, nec una superatur ab altera: quia non pugnant circa idem, sed circa diversa. Ut argumentatio aliquid evinceret, sic formari deberet. Intendo celebrare ritum externum, prout celebratur ab Ecclesia; nolo celebrare ritum externum, prout celebratur ab Ecclesia. Tum voluntas quæ reipsa celebrat ritum externum sacrum, efficax esset, prævaleretque interiori contrariæ: quia ambæ voluntates idem omnino spectarent obiectum. Et hoc fortassis dicere Catharinus voluit. Sed hac in hypothesi minister non modo sceleſtus, sed stultus quoque esset: quia vellet, & non vellet sacramentum; & voluntas quæ forinsecus sacramentum celebraret, victrix foret. Verum minister nefarius, qui tanta nequitia præventus est, ut nolit reipsa sacramentum perficere, quantum per ipsum stat, deliberate intus deridet cultum sacrum; ob humanum autem respectum declinandi supplicia, si suam proderet iniquitatem, intendit celebrare *materialiter* cultum exteriorem, quem intus improbat: intendit abluere puerum, quomodo abluuntur manus, vultus, pedes ad munditiem. Si enim ob suam malitiam intus sacramentum celebrare expresse, & omni meliori modo quo potest reluctatur; profecto intendit expresse peragere forinsecus ritum illum ut profanum, & ut ineptum ad conficiendum sacramentum, quod in hac hypothesi perficere intus omnino renuit; & extrinsecus ideo unice celebrat, quia alio modo declinare publicam indignationem nequit. Quo in casu si sacramentum celebraret, non video cur illud non celebraret etiam extrinsecus iocando, & deridendo; ut accidit in applicatione caussarum naturalium, quæ applicatæ independenter ab intentione applicantis operantur.

XV. Obiiciunt 11. Iuramentum serio libereque prolatum, verum iuramentum est, tametsi animo iurare intus iurator nolit, iuretque sine animo iurandi. Quoniam inquit S. Isidorus Hispalensis Lib. II. cap. XXXI. *Dominus, qui testis est conscientiæ, ita accipit iuramentum, sicut homo cui iuratur, intelligit.* Heinc Innocentius XI. has duas 25. & 26. theses proscripsit. *Cum caussa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Altera: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis caussa, sive quocumque alio fine iuret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodlibet aliud verum, revera non mentitur, nec est periurus.* Porro tam necessaria est iuramento intentio iurandi, quam sacri ritus celebrandi intentio necessaria est sacramento. Ergo quoties serio celebratur ritus externus, fit sacramentum; sicuti quoties serio pronuntiatur formula iuramenti, fit iuramentum. Argumentum istud fuse proponit P. Serry *loc. cit. cap.* IX. cui respondet illius domesticus impugnator, iuramentum absque interna animi voluntate prolatum, non esse reipsa iuramentum defectu intentionis ad illius essentiam necessariæ. Contra quam responsionem clamat P. Serry; Quis id æquo ferat animo? Non est ergo periurus iurator iste? At Innocentius XI. in *prop.* 26. damnat thesim in qua dicitur: *Nec mentitur, nec est periurus.* Est igitur, concludit P. Serry, velit, nolit morum Doctor atque Magister, etiam tunc verum, ac proprium iuramentum, uti tunc verum est propriumque mendacium.

XVI. Resp. Ambo domestici Theologi mihi, pinguis minervæ homini, a veritate aberrare videntur. Domesticus impugnator Patris Serry fallitur, nisi fallar ego, negans esse iuramentum illud deliberate prolatum ex defectu intentionis iurandi. Errat vero P. Serry, dum ex paritate iuramenti, non pendentis ab intentione interna iurantis, inferre contendit, neque sacramenti celebrationem pendere ab intentione ministri interiore. Ambos domesticos, licet clarissimos Theologos, & de Republica Litteraria optime meritos, pro modulo meo refello. Principio dico contra P. Serry, disparitatem patentem esse sacramentum inter & iuramentum. Magnum quippe discrimen est inter verba speculativa, & practica. Verba speculativa totam efficacitatem suam habent in significatione, quæ nullo modo pendet ab interna voluntate hominum. Verba practica præter significationem includunt effectus productionem, quæ omnino pendet a potestate & voluntate illa proferentis. Verba iuratoria speculativa sunt; verba sacramentalia practica, quæ id efficiunt quod significant. Idcirco hæc, secus illa, pendent ab intentione interna, & potestate operantis. Sed, ut manifesta differentia contra præfatos Theologos constet inter sacramentum & iuramentum, recolendum memoria est, signa sensibilia, applicanda ad perficienda sacramenta, esse indifferentia ad usus sacros, aut profanos; ut supra palam feci: neque adversarii hoc negant; sed dicunt ex circumstantiis materiam, & formam determinari. Nos vero probavimus, hanc determinationem omnino pendere ab intentione ministri. Convenit itaque penes ipsos adversarios, & ceteros omnes, materiam & formam baptismi indifferentiam habere ad usus aut sacros, aut profanos. Quo principio certo constituto, consequitur necessario manifestum discrimen inter iurantem, & celebrantem sacramenta. Siquidem verba iuratoria, cum ad significandum, non ad operandum, & determinandam materiam, sint instituta, non pendent ab intentione iurantis. Heinc *Tom. III. in Decal. Lib. V. diss.* II. *cap.* IV. *quæst.* VI. *n.* 17. constitui, eum qui serio, & deliberate iurat, dicendo *per Deum ita esse*, vere iurare, etiamsi intentionem internam iurandi non habeat. Quæ ibi dicta sunt, paucis confirmo. Restrictio interna mentalis & voluntaria non adimit verbis suas significationes, quas iuxta communem hominum beneplacitum habent. Homo profert hanc propositionem, *Non est ita*; vel alteram, *Ita est*. Quamcumque interiorem restrictionem adhibeat qui sic loquitur, efficere nequit quin prior sit negans, & secunda adfirmans. Et quamvis animo sensum aliquem diversum ab eo quem propositio natura sua prodit, intendat, non effugit mendacii pravitatem. Porro non minus hæc divini nominis seria, & deliberata invocatio, *Per Deum ita est*, iuratoria est, quam hæc altera, *Non ita est*, negativa est. Ergo quemadmodum mendax est qui interna restrictione adimit obviam significationem secundæ; ita periurus est qui animo interno vim iurandi auferre contendit primæ. Heinc in laudata *propositi.* 26. Innocentius XI. æque periurii ac mendacii damnat illum qui aut invocationi divini testimonii vim iurandi, aut propositioni negativæ vim negandi internis restrictionibus adimere versute studet. A mendacio excusari homo nequit qui profert propositionem in sensu diverso ab eo quem natura sua perhibet; licet animum habeat non mentiendi. Ergo a periurio immunis esse non potest qui profert formulam verum iuramentum continentem, tametsi internum non iurandi animum habeat. Hæc argumentatio mihi solida est. Si quibus aliter videtur, suo utantur sensu.

XVII. P. Billuart, qui *Tom. IV. diss.* V. *art.* I. versat hanc quæstionem de iuratore sine animo iurandi, contra *Iuvenin* sic argumentatur. Iuramentum est essentialiter invocatio divini testimonii. Invocatio autem est essentialiter actus intellectus, & voluntatis. Nemo hoc in controversiam vocat. Immo hic est quæstionis status, utrum scilicet qui deliberate invocat divinum testimonium, iuret, quando contrariam intus voluntatem non iurandi habeat. Requiritur itaque & actus intellectus, quo cognoscatur, verba esse iuratoria; & actus voluntatis, quo quis velit ita eiusmodi invocationem divini testimonii proferre, ut audientes credant esse iuramentum. Et tunc dicimus, internam intentionem contrariam succumbere voluntati forinsecus erumpenti. Insistit *P. Billuart*. Sequeretur quod semper iurarent, & sæpissime peierarent qui ad singula fere verba dicunt, *Per Deum: quod videtur inconveniens.* Ita ne vero? Absurdum ne est eum qui passum

ſim ad meretricem accedit, ſæpiſſime fornicari? Adfirmare ergo homines *per Deum* ita rem ſe habere, cum falſa eſt, poſſunt, quin peierent? Ut ſacrilegum hominum abuſum a periurio purgemus, invertenda erit iuramentorum natura, & a crimine purganda periuria? Obtrudit auctoritatem S. Thomæ ex *IV. Sent. diſt.* XXXVIII. *quæſt.* I. *art.* I. *ad* 2. ubi inquit: *Promiſſio quandoque fit ore, & non corde; & talis apud Deum non eſt votum.* Eadem eſt ratio, ſubdit P. Billuart, voti, & iuramenti. Conſequentia falſa eſt. Promiſſio, cum ſit actio practica, pendet a voluntate interiore, ſine qua obligatio non oritur. Verborum ſignificatio a voluntate non pendet; ſed verba natura ſua independenter a cuiuſque hominis intentione ſuam habent ſignificationem. Ideo diſparitas eſt evidens, ad hoc quod attinet. Admiſſa doctrina P. Billuart, nullum erit mendacium, quod per reſtrictionem mentalem a crimine purgari non valeat. Nam, ut dixi, hæc propoſitio, *Per Deum ita eſt*, natura ſua eſt iuratoria, non ſecus ac iſta, *Ita res ſe habet*, adfirmans eſt. Si illa a periurio purgari poteſt, quia qui illam pronuntiat, non intendit iurare; cur, quæſo, hæc alia a mendacio liberari non poterit in caſu falſitatis, quia qui illam pronuntiat, non intendit intrinſecus adfirmare quod extrinſecus pronuntiat?

§. V.

Variæ quæſtiunculæ de miniſtri fide, intentione, & ſanctitate reſolvuntur.

I. QUæſt. I. *Ut validum ſit ſacramentum, requiritur ne in miniſtro fides, aut intentio producendi effectum ſacramentalem?* Reſp. Quamvis S. Cyprianus in controverſiam vocaverit, num baptiſma miniſtratum ab hæreticis validum ſit; tamen Eccleſiæ catholicæ ſententia ſemper fuit, ad baptiſmum conferendum non requiri in miniſtro fidem; validumque ab hæretico, & infideli conferri baptiſma, dummodo evangelicus ritus ſervetur, definivit. Opinionem S. Cypriani improbavit Stephanus Papa, cuius verba refert in ſuis hoc de argumento epiſtolis Cyprianus ipſe. *Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur per pœnitentiam, cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum.* Tempore Cypriani non erat definita doctrina iſta: idcirco S. Martyr refutavit ſcriptum Stephani Papæ, qui Eccleſiæ traditionem opponebat; ut docet S. Auguſtinus *Lib. II. de baptiſm. contr. Donatiſtas cap.* VII. ubi inter alia hæc ſcribit: *Nondum erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata; ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque ſchiſmaticis, & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt; ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex apoſtolica traditione venientem; ſicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum: & tamen, quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur.* Tandem Concilium Tridentinum, ut innumera aliorum Patrum, & Conciliorum teſtimonia mittam *ſeſſ.* VII. *can.* IV. hæc ſtatuit. *Si quis dixerit, baptiſmum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum; anathema ſit.*

II. Similiter fatentur omnes, non eſſe in miniſtro neceſſariam intentionem producendi effectus ſacramentales. Id patet ex iis quæ dicta ſunt. Nam infideles, Pelagiani, Calviniſtæ, Zuingliani intentionem non habent baptizandi in remiſſionem peccatorum; & tamen iſtorum baptiſma validum eſſe, adfirmamus omnes cum S. Thoma *III. Part. quæſt.* LXIV. *art.* 10. ubi inquit: *Alio modo poteſt perverti intentio miniſtri quantum ad id quod ſequitur ſacramentum; puta, ſi Sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea; vel ſi intendat conficere corpus Chriſti, ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non pendet a poſteriori, inde eſt quod talis intentionis perverſitas veritatem ſacramenti non tollit; ſed ipſe miniſter ex tali intentione graviter peccat.*

III. Quæſt. II. *Ad ſacramenti integritatem requiritur ne ut miniſter intendat facere quod facit Eccleſia Romana?* Reſp. Negat communis & vera ſententia. Sat eſt ut miniſter velit generatim facere quod facit Eccleſia Chriſti, quamcumque in mente habeat, ſive Lutheranam, ſive Calviniana particularem Eccleſiam: quoniam qui intendit facere quod facit Eccleſia Genevenſis, Lutherana, Calviniana, generatim intendit facere quod facit vera Chriſti Eccleſia. Huic quippe generali intentioni non officit error privatus, quo credit Eccleſiam Genevenſem, aut Lutheranam eſſe veram & orthodoxam Chriſti Eccleſiam. Neque neceſſe eſt ut expreſſe miniſter cogitet de vera Chriſti Eccleſia, aut ut expreſſe velit perficere verum ſacramentum; ſed ſat eſt id velle implicite. Ratio eſt, quia miniſter in adminiſtrandis ſacramentis non privatam, ſed publicam Chriſti, & Eccleſiæ perſonam ſuſtinet; & Chriſti, atque Eccleſiæ nomine agit: nec privata eiuſdem intentio erronea, & falſa opus Dei inficere valet. Hæc omnia communia ſunt.

IV. Quæſt. III. *An neceſſaria ſit intentio actualis, vel ſufficiat virtualis, & interpretativa?* Reſp. Supra explicata eſt intentionis diverſitas. Ibi dictum eſt, non ſufficere intentionem habitualem ad perficienda ſacramenta; cum hæc nullo modo cauſſa ſit actionis, & reperiri in dormientibus poſſit. Intentionem actualem optandam eſſe omnes adfirmant; ſed, attenta humanæ mentis, & voluntatis inconſtantia, nemo eam aſſerit neceſſariam. Virtualem ſufficere, & neceſſariam eſſe adfirmant omnes. Miniſter, vocatus ad baptizandum, in hunc finem iter arripit: en actuale voluntatis propoſitum. Dum baptizat, de baptiſmo expreſſe non cogitat; at vere baptizat primæ intentionis vi, quæ virtualiter perſeverat. Doctrina communis eſt, quam tradit S. Thomas *III. Part. quæſt.* LXIV. *art.* 8. ubi inquit: *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti: puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur ſacramentum. Quamvis ſtudioſe curare debeat ſacramenti miniſter ut etiam actualem intentionem adhibeat: ſed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate: quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.* Habitualem intentionem pro virtuali hic accipit S. Doctor, ut patet ex eius doctrina.

V. Multa congerunt Auctores, ut aſſignent modum quo intentio actualis perſeveret, & fiat virtualis. At res adeo difficilis eſt, ut vix ego intelligam quæ alii ſcribunt, & vix notionem ipſe formare poſſim claram, eamque verbis exponere. Aliqui dicunt perſeverare voluntatem miniſtri, quia potentiæ externæ applicatæ fuerunt ad operandum ab ipſa voluntate. Alii, explicationem iſtam reiicientes, addunt, voluntatem præteritam perſeverare in actu voluntatis præſentis tenuiſſimo & confuſo, quo volumus inchoatum opus perficere. Si quæras, quid ſint eiuſmodi actus tenuiſſimi, & confuſi, puto nec ipſos intelligere qui eos excogitarunt. Fugiunt hæc omnia mentis noſtræ aciem. Non aliud ego nomine intentionis virtualis intelligo niſi occultam quamdam impreſſionem relictam in voluntate ex actuali præterita deliberatione. Eo ipſo enim quod deliberate intendam aliquid facere, imprimitur in voluntate mea quædam determinatio, quæ remanet uſque dum illam congruo tempore non retractem. Quantum vero temporis hæc determinatio non retractata per contrariam deliberationem perſeveret in voluntate, definiri a me certe nequit. Ex circumſtantiis & prudentum iudicio colligi hoc poteſt. Quiſque magis intimo ſenſu quam verbis definire hoc valet.

VI. Quæſt. IV. *Ad integritatem ſacramenti ſufficit ne intentio interpretativa?* Reſp. Intentio interpretativa vocatur communiter a Theologis in præſenti materia, quæ non eſt, ſed eſſet, ſi homo qui operatur, ſui compos foret: quia ex præcedenti deliberatione interpretamur ita eum velle. Quis deliberate proponit baptizare, conſecrare: poſt deliberationem factam, in ebrietatem, in ſomnum, in amentiam incidit: & hoc in ſtatu baptizat, conſecrat. Communis, & vera ſententia eſt, hunc non baptizare, non conſecrare. Quoniam ſacramenta humanis peragi actibus debent. Actiones autem quæ ab ebrio, ab amente, a dormiente fiunt, non ſunt humanæ; cum homo tunc deſtitutus ratione ſit.

VII. Opponit contra hanc doctrinam Godoy *tract. de virt. & peccat. quæſt.* LXXI. *diſp.* XXIV. Homicidium in ebrietate patratum, ſive quodlibet aliud ſcelus, voluntarium, ac liberum eſt, ſi prius quam in temulentiam occiſor incidat, homicidium fuerit præmeditatum, prævideritque quid in ebrietate, vel ſomno agere conſueſcat. Porro ſi propoſitum præcedens ſat eſt ut ſcelus in ebrietate patratum, liberum & humanum ſit; cur antecedens propoſitum liberum baptizandi, vel conſecrandi ſufficiens non erit ut homo temulentus, vel dormiens baptizet, & conſecret? Reſp. Sunt hæc vana, & inania. Propoſitum deliberatum antecedens perſeverare virtualiter dicitur, quatenus voluntatem determinavit: & ratio humani officii effectrix perſeverare dicitur, quia vi talis impreſſionis voluntas operatur; nullumque adeſt impedimentum quod vim relictam ab antecedenti propoſito elevet. Manet mentis lumen, manet voluntatis impreſſio, & uſque dum homo mentis compos eſt, in ſtatu libertatis reperitur, in quo & mentis lumen exercere, & voluntatis determinationem in opus reducere valet. Contra accidit in ebrio, in amente, in

in dormiente. In his propositum antecedens vim suam exercere nequit tamquam rationis lumen, & libertatis norma. Sed si aliqua impressio remanet, tota est in imaginatione, & cerebri musculis. Verbo, libertas omnino impedita tunc est. Homicidium patratum ab ebrio, grave crimen est: quia ad peccatum sufficit libertas in caussa, seu sat est ut prævisum fuerit, & volitum. Quoniam ad peccatum sufficit ut aliquo modo sit ab homine volitum aut in se, aut in caussa, quam ipse homo antecedenter formaliter voluit. Actio sacramentalis esse debet, ut ajunt, *exercite* humana. Bonum quippe ex integra caussa, malum ex quocumque defectu. Addere Theologi solent, ad peccatum non requiri ut intendatur per modum actionis; sed sufficere *tendentiam* in obiectum, a quo voluntas malitiam haurit, quocumque modo illud amet. Ipsa vero actio sacramentalis reipsa aut actu, aut virtute intendi debet, & humano modo fieri.

VIII. Quæst. V. *Validum ne sacramentum est, forma conditionali administratum?* Resp. De conditionali forma supra *cap.* VI. sermo fuit. Paucis itaque ad quæsitum respondeo. Aut conditio est de re præterita, ut, *Si non es baptizatus, ego te baptizo;* aut de re præsenti, ut, *Si capax es, ego te absolvo;* aut de re futura, ut, *Ego te absolvo, si die crastina rem alienam reddideris*. Valere sacramentum sub conditione de re præterita, aut præsenti, si conditio vera sit, secus, si falsa, docent omnes. Sub futura conditione perfici sacramentum nequit. Quoniam, dum materia applicatur, & profertur forma, præsens suspenditur intentio: si futuro tempore conditio erit, non aderunt tunc materia & forma. Contractui matrimoniali apponi futura conditio potest; at suspenditur contractus, donec impleatur conditio. Sed hoc suo loco.

IX. P. La-Croix *Lib. VI. part.* I. *n.* 81. *& seq.* plures agglomerat casus de adiectione conditionis. Si conditio sit de futuro necessario, ut, *Te absolvo, si cras sol orietur; si Antichristus seducet multos; si Deus cognoscit quod cras restitues*. Et subdit, multos Doctores sentire cum Dicastillo, Esparza, aliisque, conditiones istas esse de præsenti. Sed sunt ista, supra quam dici potest, vana, & inania. Disputant quoque num adiecta conditio exprimi ore, an sola mente concipi debeat. Castropalaus, Ioannes Sanchez, Arriaga, Gobat, Escobar contendunt, sat esse eam mente concipi: *Volo omnes & solos absolvere qui erunt legitime dispositi*. Ultra pergit *Moya*, ut refert idem *La-Croix*, docetque, se non damnaturum mortalis culpæ illos qui ne mente quidem expresse conciperent conditionem: quia certum est, semper adesse conditionem implicitam; cum nemo intendat conferre sacramentum, nisi prout potest, & debet. Hæc & plura alia de more P. La-Croix arbitrio lectoris relinquit. Heinc iuxta relatam doctrinam omnibus accedentibus ad tribunal pœnitentiæ dispensare ministri thesaurum absolutionis poterunt, ut dispositi illam percipiant, secus indispositi. Hoc conditionis implicitæ arcano Confessarii a molestia severe examinandi dispositionem pœnitentium sese liberant, & numerosissimam populorum frequentiam sibi conciliant. Omnes se absolutos existimant, cum ignorent secretum conditionis implicitæ. Quam sit hæc doctrina & perniciosa pœnitentibus, & christianæ disciplinæ infesta, quisque intelligit. Infra de pœnitentia severius discutietur. Impostures, quas obtrudit P. Nocetius p. 198. ipse fabricavit; nam hic ego dumtaxat narravi casus quos agglomerat P. La-Croix, ut legenti constabit, neque distinxi an in omni casu, an aliquando solum doceant ipsi auctores Confessarios uti posse arcano conditionis implicitæ.

X. Quæst. VI. *Utrum in ministro sacramentorum requiratur probitas?* Resp. Donatistæ sacramenta a ministris improbis collata, nulla esse contendebant: quem errorem instaurarunt Henriciani, qui se Apostolicos nuncupabant, tempore S. Bernardi, & postea Valdenses, Albigenses, & Wiclefistæ. Hunc errorem damnavit Concilium Constantiense *sess.* XLV. in isto Wiclefi articulo. *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* XII. hæc definit. *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere sacramentum; anathema sit.*

XI. Hanc veritatem docuerunt Patres omnes. Unum referre satis sit Augustinum, qui *tract.* V. *in Ioan.* hæc scribit. *Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est dominus? Quid te impedit malitiosus præco, si est benevolus iudex?* Lege integrum tractatum: item *Lib. III. cap.* V. contra Cresconium. S. Thomas *Lib. IV. contr. Gent. cap.* LXXVII. hæc habet. *Inconveniens videtur quod spem suæ salutis in bonitate puri hominis quis ponat: dicitur enim Ier.* XVII. Maledictus homo qui confidit in homine. *Sed si homo salutem consequi per sacramenta non speraret, nisi a bono ministro dispensata, videretur spem suæ salutis aliqualiter in homine ponere. Ut ergo spem nostræ salutis in Christo ponamus, qui est Deus, & homo; confitendum est quod sacramenta sunt salutaria ex virtute Christi, sive per bonos, sive per malos ministros dispensentur.*

XII. Plura obiici solent, quæ, quia obvia sunt, prætereo. Illud facessere negotium videtur quod Gregorius VII. irritas declaraverit simoniacas ordinationes. Sed respondent communiter Theologi, irritas declarasse Gregorium eiusmodi ordinationes quantum ad executionem ordinis, secus quantum ad substantiam. Tempore Gregorii VII. non pauci Theologi ob canonum severitatem adversus simoniacas ordinationes, irritas illas propugnabant. Verum post varias disceptationes Ecclesia validas huiusmodi ordinationes declaravit.

XIII. Quæst. VII. *Peccant ne letaliter Sacerdotes qui sibi gravis culpæ conscii sacramenta ex officio administrant?* Resp. Adfirmant omnes, probantque luculentis sacrarum litterarum testimoniis. Nam *Levit.* XXII. hæc habentur. *In quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et Isaiæ LIII. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* S. Paulus I. ad Timoth. III. *Probentur primo; & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Concilium Trident. *sess.* XIII. *cap.* VII. ex Apostolo Paulo I. ad Corinth. cap. XI. *Probet autem* &c. declarat *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessarii: quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.*

XIV. Peccatum istud mortale esse, *probabilius* videtur P. La-Croisio *loc. cit. num.* 91. at de more recenset Auctores qui, variis adiectis distinctiunculis, oppositum defendunt: & vi systematis Probabilismi, si prior sententia est probabilior, altera est probabilis: cuius usum licitum admittere debet P. La-Croisius, cum sit Probabilista, & quidem acerrimus. Quare dicimus, non solum probabilius, sed certum esse, ministrum ex officio ministrantem sacramenta, peccati mortalis conscium, peccare mortaliter. Idque clare eruitur ex divinis Scripturis, ex allato Concilii Tridentini testimonio, ex Patribus, quorum testimonia brevitatis studio prætereo. Legatur Catechismus Romanus *II. Part.* §. 23. Audiatur S. Thomas, qui *III. Part. quæst.* LXIV. *art.* 6. hæc scribit. *Non est dubium quin mali, exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint) consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.* Quare, missis officiis probabilisticis, certum est eiusmodi ministros mortaliter peccare.

XV. Quæst. VIII. *Peccat ne mortaliter minister qui sibi gravis culpæ conscius sacramenta administrat, non ex officio, sed ex necessitate?* Resp. Minister alius est solemnitatis, seu ex officio, qui ad ministranda sacramenta speciali consecratione est deputatus, ut Sacerdos Missam celebrans, absolvens a peccatis, & solemni ritu baptizans. Alius est qui sine speciali consecratione sacramentum baptismi administrat. Communis & vera sententia est, sive Sacerdotem, sive laicum, gravi culpa inquinatum, urgente necessitate baptizantem, non peccare. Ita docet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXIV. *art.* 6. *ad* 3. inquiens: *In articulo necessitatis non peccaret baptizando, in casu in quo etiam possit laicus baptizare: sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut baptismus.*

XVI. Heinc infertur, peccare mortaliter Sacerdotem ministrantem sacramentum pœnitentiæ, etiam moribundo, nisi prius actum contritionis saltem eliciat. Disputant aliqui, duplex ne, an unum peccatum malus Sacerdos committat, dum Missam celebrat. Sed, missis vanis disputationibus, Sacerdos iste duplex peccatum committit: unum, quia indigne conficit; alterum, quia indigne suscipit sacramentum. Alii addunt tertium, quia indigne sibi administrat. Si tamen post consecrationem contritionis actum ederet, tum solum peccasset in conficiendo sacramento.

XVII. Quæst. IX. *An peccet mortaliter Sacerdos qui mortali culpa inquinatus Eucharistiam administrat?* Resp. P. La-Croix *loc. cit. num.* 94. cum Vasquez, Lugo, Amico, Bernal,

nal, Sporer, Illsung, Diana, & aliis, *probabile* esse docet, hunc non peccare mortaliter: & simul addit, *probabile* esse iuxta Suarez, Valentiam, Gonet, Filliucium, & alios talem peccare mortaliter. Et ipse laxiorem amplectitur: liberatque a culpa Sacerdotem ministrantem Eucharistiam in peccato mortali. Eamdem opinionem refert P. Viva *quæst.* I. *art.* 4. *num.* 4. & ait; *Non videtur improbabile quod docent multi & graves Auctores . . . apud Dianam, Sacerdotem ministrantem Eucharistiam in mortali non peccare mortaliter*. En usum Probabilismi, ubique grassantem. Ipse probabilius censet oppositum; at cum priorem opinionem non iudicet improbabilem, iam vi eiusdem systematis reduci illa ad praxim poterit. Hanc opinionem ut falsam, & laxitatis plenam reiicio; &, missis probabilisticis argutationibus, præter auctoritatem S. Thomæ *loc. cit.* & S. Augustini *Lib. II. cont. Parmen. cap.* XIII. & *Lib. XXXII. contra Faustum cap.* XIV. adduco verba Ritualis Romani, iussu Pauli V. editi §. I. ubi hæc habentur. *Etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri; impure tamen, & indigne ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri*. Quid contra hanc solam declarationem valent probabilisticæ subtilitates? Accedit Catechismus Concilii Tridentini *Part. II. cap.* I. §. 26. in quo hæc statuuntur. *Pastores, aliive sacramentorum ministri . . . . meminisse semper debent, sacramenta divinam quidem virtutem quæ illis inest, numquam amittere: at vero impure ea ministrantibus æternam perniciem, & mortem afferre. Sancta enim (quod semel, atque iterum, ac sæpius admonere oportet) sancte & religiose tractanda sunt*. Laudantur in margine eiusdem Catechismi auctoritates Scripturarum, Concilii Tridentini, SS. Augustini, & Thomæ in huius veritatis confirmationem. Accedit consensus graviorum Theologorum. Iure ergo falsam, & laxam existimamus opinionem P. La-Croisii, aliorumque Probabilistarum. Disputant Theologi, num tot mortalia peccata committat Sacerdos malus, quot hominibus continuat distribuit Eucharistiam, vel absolutionem sacramentalem. Adfirmant plures. Alii docent unicum scelus, sed eo gravius, quo pluribus sacramenta distribuit, talem perpetrare. Definiri hæc a me nequeunt, qui a multiplicandis peccatis, nisi gravis urgeat ratio, abstineo. De secunda sententia dubitari nequit.

XVIII. Falsam quoque, & laxam reputo opinionem alteram eiusdem P. La-Croix, qui *loc. cit. num.* 96. asserit, Episcopum non peccare mortaliter, chrisma in mortali consecrantem. Peccare quoque graviter Episcopum consecrantem extremæ unctionis oleum existimo. An vero graviter peccet Episcopus malus, consecrans altaria, calices, aliaque sacra munia peragens, non audeo definire. Quod alicuius criminis reus evadat, dum tam sancta munia exercet gravis culpæ conscius, mihi certum est. Et hoc sufficere debet, ut suam purgare conscientiam debeat. Nec enim præsto nobis, quemadmodum Casuistis non paucis, trutinæ sunt quibus malitiæ cuiusque gradus ponderentur. Missis humani cerebri subtilitatibus, malum, sive grave, sive veniale, declinandum est, non inepta sosphismata excogitanda, quibus animentur homines ad non curanda peccata: quia plures Casuistæ non raro, solida ratione destituti, definiunt esse dumtaxat venialia. Sæpe mihi compertum est hanc vel illam actionem malam esse; me vero latet, sit ne mortalis, an venialis illius malitia: & tum semper a decisione abstineo.

XIX. Quæst. X. *Peccat ne Sacerdos qui in peccato mortali audit confessiones?* Resp. Sententia quam ego veram existimo, adfirmat. P. La-Croix *loc. cit. num.* 102. cum Gobat, Bernal, Diana, & aliis probabilius docet, hunc non peccare mortaliter: quia dum audit, non operatur nomine Christi, *nec adhuc causat gratiam: sed hoc fit, quando datur absolutio*. Hanc rationem *Moya* vocat probabilissimam, subdit La-Croisius. Audi quæ sequuntur ibidem. *Hinc consequenter dicendum est . . . . nempe eum non peccare mortaliter qui in mortali formam sacramenti inchoat, dummodo ante expressionem ultimæ partis essentialis sit in statu gratiæ*. Quid in hac opinione mirari magis debeamus; num speculationis vim, an doctrinæ novitatem, ceteri iudicent. Non peccat ergo qui scelere maculatus inchoat formam sacramentalem? Dum minister Christi formam inchoat sacramentalem, iam exercere incipit vices instrumenti animati, quo Deus utitur ad sacramentum perficiendum. Cur ergo initium istud sacrilegum non erit, quemadmodum sacrilegus finis, si gratia desit? Immo principium in formæ pronuntiatione magis quam finis spectandum est. Præterea grave scelus non perpetrat Sacerdos, dum conscius gravis flagitii inchoans formam, periculo gravissimo se se committit illam in mortali complendi? In instanti ne elicere contritionis actum valet? Interrumpenda ne forma est, ut eam sine peccato complere possit? Verum opiniones eiusmodi sat est exposuisse lectorum prudentiæ, quin tempus teramus in eisdem convellendis.

XX. Ministri non consecrati, conscii gravis culpæ, non peccant utique, urgente necessitate quæ actum contritionis non permittat. Verum, hac necessitate sublata, peccant & isti; ut ex adductis testimoniis, quæ absolute de quolibet ministro loquuntur, colligitur: sancta enim sancte omnibus tractanda sunt.

XXI. Quæst. XI. *Utrum Diaconi mortaliter peccent, solemniter ministrantes Sacerdoti celebranti Sacrificium, aut Eucharistiam distribuente?* Resp. Negat P. La-Croix peccare mortaliter Diaconum solemniter ministrantem. Hanc opinionem falsam cum gravioribus Theologis reputo. Patet ex *Act. Apostol.* VI. ubi Diaconatus ordine initiandos non alios voluerunt quam viros Spiritu sancto plenos. S. Augustinus *epist.* XXI. alias CXLVIII. docet, *nihil esse in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius* (si rite peragatur.) *Si vero perfunctorie, atque adulatorie, nihil miserius, & tristius, & damnabilius*. Perspicue hanc veritatem docet S. Thom. in *IV. dist.* XXIV. *quæst.* I. *art.* 3. *quæstiunc.* 5. ubi hæc scribit. *Lex præcipit ut homo iuste ea quæ sunt iusta, exequatur. Et ideo quicumque homo, quod sibi competit ex ordine, facit indigne, quod iustum est, iniuste exequitur, & contra præceptum legis facit: ac per hoc peccat mortaliter. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin illud indigne faciat. Unde patet quod peccat mortaliter*. P. La-Croix contendit, Diaconum solemniter ministrantem Eucharistiam in peccato mortali, letaliter non peccare, *quamvis etiam ex consuetudine id sæpius faciat*: loc. cit. nu. 98. Laxa mihi videtur talis opinio. Diaconus in peccato mortali distribuens corpus Christi peccat mortaliter: quoniam dispensatio sanctissimum ministerium est, cui gravem irreverentiam irrogat Diaconus, peccato letali inquinatus. Num vero tot peccata mortalia committat, quot personis corpus Christi distribuit; an unum solum, eo gravius, quo pluribus Eucharistiam administrat: respondi supra, decisionem certam a me dari non posse; nec valde interesse eam scire, cum sciamus hunc graviter peccare, & eo gravius, quo pluribus sacratissimum corpus dispensat.

XXII. Quid de Subdiacono solemniter obeunte officium suum, dicendum? Res non adeo comperta est. Probabilior tamen mihi videtur sententia adfirmans.

XXIII. Quæst. XII. *Peccant ne mortaliter Concionatores Sacerdotes, verbum Dei prædicantes letali culpa inquinati?* Resp. Adfirmant Caietanus in *III. Part. quæst.* LXIV. *art.* 8. *ad* I. Merbesius *III. Part. quæst.* XV. *res.* 3. Farvacquesius *quæst.* VII. §. 3. Iuvenin *q.* V. *cap.* III. *art.* 2. Turnely *quæst.* VII. *art.* 3. *concl.* 2. Bouchat *Tom. XIII. pag.* 460. Andreas de Saussay in *Panopl. Sacerd. Part. II. Lib. IV. art.* 2. Navarrus in *Enchiridio*, Iacobus Boudartius in *Manual. Theolog. Tom. III. tract.* I. §. 4. *quæst.* VI. Henricus a S. Ignatio *Tom. III. Lib. I. cap.* XVI.

XXIV. Hanc eamdem sententiam docere videtur S. Thomas in *IV. dist.* XIX. *quæst.* II. *art.* 2. *ad* 2. ubi hæc habet. *Docere sacram Scripturam dupliciter contingit; uno modo ex officio prælationis . . . alio modo ex officio magisterii, sicut Magistri Theologiæ docent. Dicunt ergo quidam, quod ille qui primo modo docet, peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio: non autem ille qui secundo modo docet. Sed hoc est falsum: quia eorum qui docent sacram Scripturam, est idem finis, & eorum qui sacram Scripturam ediderunt. Unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio ut ad vitam æternam homo perveniat, quicumque impedit finem doctrinæ, docendo peccat. Impedit autem qui sacram Scripturam in peccato docet, quia ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat. Et dicendum, quod ille qui est in peccato notorio peccat, sive sic, sive sic doceat. Sed ille qui est in peccato occulto, peccat, si primo modo doceat: non autem, si secundo*.

XXV. Dominicus Soto in *IV. dist.* I. *quæst.* V. *artic.* 6. limitat doctrinam S. Thomæ, contenditque peccare Concionatorem, si scelus notorium sit; secus, si sit occultum. Hæc distinctio conformis non videtur rescriptæ S. Thomæ doctrinæ. Ceterum hanc suam doctrinam delinire, & ad solos, ac publicos peccatores in *II. Cor. cap.* VI. *lect.* I. restringere videtur S. Doctor. Inquit enim ex Gregorio: *Cuius vita despicitur, restat ut eius prædicatio contemnatur. Unde publicus & famosus peccator cavere sibi debet ne prædicet; alias peccat*. Quæ mihi probabiliora videntur, hæc sunt. Concionator, occultus peccator, si vitia sua detestetur, si corde humili, & sin-

ſincero veniam poſtulare contendat; non crederem illum graviter delinquere, ſi ante culpæ abolitionem verbum Dei enuntiaret. Contra, ſi verſuta ſimulatione, & ſubdola hypocriſi tectus, in vitiis ſordeſceret, & ſcelera quorum alios arguit, flocci ipſe faceret, immo admitteret; ſi pecuniis, honoribus, & dignitatibus, quorum contemptionem ſuadet, manifeſta ambitione inhiaret: quis a ſacrilega profanatione excuſaret? Profanatur enim, inquit alibi S. Thomas, verbum Dei aut per plauſum, aut per quæſtum. Serio Concionatores perpendant Apoſtoli verba. *Qui alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras:* ad Rom. cap. II. Hæc altius memoriæ commendent, animoque imprimant Concionatores, curentque ne eorum opera confundant illorum ſermonem. Peccent nec ne mortaliter peccato inquinati Concionantes, illud certum eſt & indigne tantum miniſterium eos tractare, & quantum per ipſos ſtat, fructum divini ſeminis impedire.

XXVI. Quæſt. XIII. *An miniſter ſibi peccati mortalis conſcius teneatur ſacramentaliter confiteri, antequam ſacramentum adminiſtret, ſi adſit copia Confeſſarii, & non urgeat neceſſitas ſuccurrendi periclitanti?* Reſp. Negant Probabiliſtæ plures, quos inter P. Dominicus Viva *quæſt.* I. *artic.* 4. *num.* 4. ubi hæc habet. „ Notandum tamen, quod exiſtens in „ mortali non debeat neceſſario præmittere „ confeſſionem adminiſtrationi ſacramenti, „ cum ſatis ſit ut conteratur: nullum enim „ huiuſmodi præceptum habetur neque na„ turale, neque divinum, neque eccleſiaſti„ cum, neque ex conſuetudine. Dumtaxat „ ſuſceptioni Euchariſtiæ præmittenda eſt „ confeſſio. "

XXVII. Recenſita doctrina mihi & falſa, & laxa videtur. Nullum eſt præceptum præmittendæ confeſſionis? An præceptum non eſt cavendi grave, & valde probabile periculum profanandi ſacramenta? Nonne præceptum illud naturale, & divinum quo iubetur, ſancta ſancte tractanda eſſe, aſtringit quoque ut vitetur periculum magnopere probabile indigne illa miniſtrandi? Porro miniſter qui Confeſſarii copiam habens, & confitendi tempus opportunum, conſcientiam a peccatis mundare per confeſſionem negligit, periculo voluntarie ſe exponit, nulla urgente gravi neceſſitate, ſancta indigne tractandi. Quod paucis evinco. Nonne Probabiliſtæ omnes fatentur, contritionem perfectam, neceſſariam ad peccati remiſſionem, difficillimam eſſe, arduam, & ita raram, ut in paucis ardeat? Sed quid Probabiliſtas appello? cum ipſe Catechiſmus Concilii Tridentini aperte difficultatem hanc declaret *II. Part. cap.* V. §. 36. his verbis: *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, & intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet* &c. Ideo clementiſſimus Deus, concludit Catechiſmus, claves regni cæleſtis Eccleſiæ tradidit. Hac certa doctrina conſtituta, ſic argumentor. Qui adminiſtrat ſacramentum in materia, vel forma incerta, cum certa in promptu ſit, peccat mortaliter; quia periculo exponit ſacramentum invalidæ adminiſtrationis. Ergo qui adminiſtrat ſacramentum cum remedio ſuæ indignitatis valde incerto, & raro, certo quod adeſt neglecto, ſe exponit gravi periculo indignæ adminiſtrationis. Nec vis Probabiliſmi argumentationem hanc infringit. Adminiſtrat illud, inquies, probabiliter digne. Eſto. Sed probabilius eſt illud adminiſtrari indigne. Quod enim difficillimum, & rarum eſt, in paucioribus contingit. Ergo probabilius eſt perfecta contritione communiter ſuccenſos non eſſe miniſtros peccato inquinatos. Porro ſicut probabilitas materiæ, vel formæ, relicta certa quæ adeſt, non aufert periculum adminiſtrationis invalidæ; ita probabilitas contritionis incertæ, & raræ, neglecto confeſſionis remedio certo, & obvio, non tollit periculum adminiſtrationis indignæ. Nec enim minus in re neceſſaria eſt contritio perfecta ad iuſtificationem miniſtri peccatoris, quam ſit neceſſaria in re vera materia, aut forma ad ſacramenti integritatem: & quemadmodum probabilitas non efficit ut materia, aut forma inepta evadat apta ad ſacramentum validum; ſic probabilitas præſtare nequit ut contritio imperfecta evadat perfecta, qualis requiritur ad peccati abolitionem; ſed in utroque caſu & materia valida certa, & contritio perfecta certa requiritur. Ergo non minus ſacrilege adminiſtrat qui incertus de contritione perfecta, negligit certum confeſſionis remedium, quam invalide adminiſtret qui utitur materia vel forma probabiliter dubia, quoties certam præſto habet.

XXVIII. Accedit, contritionem perfectam non abolere peccatum abſque ſacramenti voto. Siquidem Concilium Tridentinum *ſeſs.* XIV. *cap.* IV. docet *reconciliationem ipſi contritioni, ſine ſacramenti voto non eſſe adſcribendam.* An præſumi hoc votum ſincerum in eo miniſtro poteſt qui cum habeat & tempus opportunum, & Confeſſarii copiam, pœnitentiæ ſacram entum omittit? An reponent Probabiliſtæ, eiuſmodi miniſtrum habere votum confitendi in paſchate? Per totum annum ergo abſolvet, unget, diſpenſabit corpus Chriſti? Hæc ne parodoxa deglutient? Confirmantur hæc omnia auctoritate Concilii Tridentini *ſeſs.* XIII. *cap.* VII. ubi ſtatuitur, præmittendam eſſe a Sacerdote peccati mortalis ſibi conſcio confeſſionem ſacramentalem, antequam celebret, *quantumvis ſibi contritus videatur*; dummodo ſubdit cap. XI. *non deſit illi copia Confeſſarii. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Neque hoc conſilium eſt, ſed præceptum: neque illud *quamprimum* intelligitur, ut confiteatur ſuo tempore; ſed prima opportunitate data. Præfata quippe duo Caſuiſtarum commenta damnavit Alexander VII. *propoſit.* 38. & 39. Quamvis autem Euchariſtia ſit omnium ſacramentorum ſanctiſſimum; numquid cetera ſacramenta ſancta non ſunt? Ergo ſi Tridentina Synodus iubet ut Sacerdos, licet ſibi contritus videatur, præmittat confeſſionem ſacramentalem celebrationi, legitime inferendum videtur, præmittendam quoque eſſe adminiſtrationi aliorum ſacramentorum. Nonne contritio perfecta æque delet peccatum in celebrante Miſſam, ac miniſtrante abſolutionem? Nonne æque incerta & difficillima eſt contritio perfecta in Sacerdote qui celebrat, ac in Sacerdote qui abſolvit? Nonne mortaliter peccat tum qui indigne celebrat, tum qui indigne abſolvit? Diſcrimen ſolum eſt quod gravius peccet indigne celebrans ob maiorem ſacramenti ſanctitatem. At hoc non tollit quin mortaliter peccet Sacerdos peccator qui indigne abſolvit. Ergo cum in utroque caſu æque incerta ſit, & rara perfecta contritio, ſequitur in utroque caſu ad tollendam hanc incertitudinem, & periculum indigne tractandi ſancta, præmitti confeſſionem debere.

XXIX. Hæc omnia non confirmat modo, ſed docet Catechiſmus Concilii Tridentini *II. Part. cap.* V. §. 45. his conceptis verbis: *Verum ſi quid ſalutis noſtræ ratio poſtulet, conſideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur cuius tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum ſacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt.* Quid ad hæc P. Viva? An nobis opponet Dianam, Eſcobar, Gobat, & alios eiuſmodi? Sed Eccleſia ſui Catechiſmi doctrinam, ſecus opiniunculas Caſuiſtarum, nobis amplectendam imponit. Et ſane mirari ſatis non vacat Auctores iſtos, qui relictis regulis ab Eccleſia in ſuis Conciliis, & Ritualibus præſcriptis, commenta quorumdam neotericorum propugnanda ſuſcipiunt. Nam præter Catechiſmum, Rituale quoque Romanum hanc confeſſionem præmittendam monet. *Sacerdos, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſit) ad ſacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat. Sed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.* S. Carolus Borromæus in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis *part.* IV. Sacerdos, in quit, ad ſacramenta miniſtranda vocatus, *primum ſollicite, & intime recogitare debet, an alicuius peccati mortalis . . . . ſibi conſcius ſit. Quod ſi reum ſe ipſe novit, prius ſacramentali confeſſione ſe expiare ſtudebit: contritionem certe habere quam diligentiſſime curet, ſi ſcilicet copiam non habeat Confeſſarii.* Conſilia ne hæc eſſe inquient, non præcæpta? Hæc ſcilicet conſilia, hæc documenta, hæc inſtructiones ſunt quas Eccleſia Epiſcoporum voce nobis ſequendas imponit. Qui, his neglectis, adhærere potius volunt quorumdam Caſuiſtarum, quos certe Deus non conſtituit regere Eccleſiam ſuam, placitis, caveant ne ſuo indulgentes genio, & ſe, & alios fallant.

XXX. Ut laxam quoque reiicimus opinionem Salmanticenſium, qui *tract.* I. *cap.* VII. *punct.* II. *num.* 107. hæc ſcribunt. „ Immo, „ ſi confeſſionem ſacramentalem in peccato „ mortali tantum audiat, dummodo habeat „ propoſitum confitendi, vel habendi actum „ contritionis, antequam verba abſolutio„ nis proferat (non peccat mortaliter) ut „ docent Henriquez, & Diana. " Auditis ergo pœnitentis criminibus, interrumpere ſacramentum debet Confeſſor, ut impleat propoſitum confitendi, vel ut ad contritionem excitandam ſeſe diſponat? An actio ſacramentalis non incipit, continuo ac pœnitens ſupponit Eccleſiæ clavibus peccata ſua, & miniſter pro tribunali audit? Ad momentum illud quo applicanda eſt forma materiæ, protrahere miniſtri valent aut contritionem, aut executionem propoſiti confitendi? Hæc paradoxa imbecillitati meæ appa-

apparent. Si me errare sapientes iudicant, ignorantiæ meæ veniam impertiant.

CAPUT XII.

Quando, & quibus ministri dispensare sacramenta teneantur.

I. OMnes Sacerdotes curam animarum habentes, divino iure administrare sacramenta tenentur suis parochianis: pastor quippe alere gregem suum debet. Concilium Tridentiunm *sess.* XXIII. *cap.* I. debitum exponit his verbis: *Præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere.* Neque tantum rogati ex iustitia administrare adstringuntur Parochi; verum etiam ipsi sæpe inquirere debent, num oves sacramentis indigeant. Pastorum quippe est invigilare super ovium necessitatibus, & indigentiis. Ministrare sacramenta debent & in gravi necessitatis periculo, & extra necessitatem, quoties rationabiliter ea postulant parochiani; ut communiter docent omnes. Onus istud contraxit animarum curator, dum officium suscepit. Et non modo sacramenta ministrare, verum etiam instruere, illuminare, solari oves suas debent evangelici pastores.

II. Saluberrimum est monitum quod *Act. part.* IV. exhibet S. Carolus Borromæus. *Quacumque vero diei, vel noctis hora ad sacramenta infirmis ministranda Parochus vocabitur; cum præcipuum eius munus, cuius caussa a reliquo populo separatur, ab Ecclesiaque sustentatur, præter cetera, eorum administratio sit. Nullam tam sanctis pietatis officiis moram interponet; immo populum sæpenumero, prout occasio tulerit, accurate præmonebit ut cum opus est parochiali administratione, atque officio, quamprimum, & libere se accersat, nulla habita neque temporis, neque loci distantis, neque alterius cuiuscumque incommodi ratione.* Dum vero accersetur, subdit sanctus Archiepiscopus, tantum abesse debet ut verbis, vel vultu, vel alio signo ostendat se gravate iturum, quin potius illius cui ministrare debet, salutis desiderio se accensum patrem præbens, verborum benignitate, vultuque hilari, caritatem paternam significante, & libentissime, & ut potest celerrime accedat.

III. Quare peccant Parochi superioresque omnes qui se morosos, agrestes, amaros, difficilesque subditis præbent in iis præstandis quæ ex officio porrigere debent. Væ illis qui hirsuto vultu, qui fronte contracta & caperata, aliisque signis subditos absterrent, reiiciunt, contristant. Tum enim ad petenda necessaria, & congrua animarum subsidia accedere subditi non audent. Quapropter absurda quæ hinc consequuntur in superiorum animam recidunt. Pastoribus, & superioribus omnibus quibus animarum concredita cura est, vultus hilaritate, verborum suavitate, & comi tractatione ut alliciant sibi oves suas, curandum est. Huc illorum officium pertinet. Adversus debitum istud plus minusve peccare possunt iuxta temporum, necessitatum, & subditorum diversitatem.

IV. Animarum Pastores, & curatores omnes tempore pestis astringuntur cum vitæ periculo sacramenta ministrare subditis suis, morbo contagioso infectis; ut Patres omnes docent, dum explicant oraculum Christi Io. X. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Id similiter præstare ex iustitia tenentur, dum parochiani in extrema necessitate versantur. Quare non pastores, sed mercenarii illi sunt qui tempore pestis fugiunt; nisi de Episcopi consilio id faciant, idoneosque ministros substituant. Veri pastores, non quæ sua sunt, sed quæ ad gregis salutem pertinent, quærunt. Omnes curam animarum habentes serio meditentur divinam increpationem quam adversus eiusmodi pastores Propheta Ezechiel *cap.* XXXIV. describit. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; & quod abiectum est, non rediuxistis; & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor; & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt . . . . Propterea pastores audite verbum Domini . . . . Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos.*

V. Hoc pabulum limitant Probabilistarum non pauci ad duo sacramenta necessitatis, baptismum nempe, & pœnitentiam. Sed restrictio iniusta est. Ex iustitia quippe viaticum, & extremam unctionem ministrare astringuntur, ut ego quidem arbitror: quia utrumque hoc sacramentum divino præcepto suscipiendum iubetur; ut infra cum de his sacramentis sermo erit, declarabitur.

VI. Non modo pestis, verum etiam persecutionis militaris tempore commorari Pastores debent cum ovibus suis, vel in talem locum se se recipere, ex quo succurrere illis facile queant. Si omnes parochiani fugerent, comitari eosdem Pastores possent. Incumbit utique ipsis Ecclesiæ, & sacrorum vasorum custodia; sed hæc, nempe calices, pixides, olea sacra, & cetera secum asportare valent, & sacras hostias consumere, etiam non ieiuni, si timeant hæc surripienda, & male tractanda a militibus. Fugere Pastores non debent, dum oppidum obsessum capitur armata manu: quia vix contingere tum potest ne plures parochiani extreme indigeant.

VII. Deficientibus tempore pestis Parochis, Sacerdotes privati tenentur etiam cum propriæ vitæ periculo sacramenta ministrare extreme egentibus, & communitati peste laboranti assistere. Bonum enim commune præferendum privato est. Circumstantiæ tamen spectandæ sunt.

VIII. Sacerdotes ordinum mendicantium potissimum, deficientibus Parochis, tenentur vi proprii instituti, & caritatis præcepto sacramenta ministrare peste laborantibus. Sunt quippe Episcoporum, ac Parochorum *cooperatores, & laborum suorum participes*, inquit Clemens V. in Bulla *Dudum de sepulturis.* Hi præ reliquis Sacerdotibus ad id astringuntur, quod huc pertineat eorumdem institutum, & quod populorum oblationibus, & eleemosynis vivant. Ideo enim civitates, & oppida mendicantes Fratres ad se vocarunt, Conventus, & Ecclesias iisdem ædificarunt, eleemosynas in dies offerunt, ut auxiliares copias tempore spiritualis belli promptas habeant. Quando itaque contagium in civitate, in oppidis grassatur, & animarum curatores haud sufficiunt, præstare subsidia necessaria caritatis præcepto Regulares mendicantes tenentur; cum illorum professio animarum salutem spectet. Nec ipsi tunc fugere licite possunt; sed Prælato iubenti ut peste infectis sacramenta ministrent, obedire debent. Immo ipsi Religiosi vitam contemplativam profitentes, si necessitas urgeat, & desint alii Sacerdotes, succurrere proximo extreme laboranti astringuntur. Quandoquidem vitæ contemplativæ professio non eximit ab observantia legis naturalis, quæ iubet ut proximo extrema necessitate presso auxilium pro viribus conferatur.

IX. Quæst. I. *Licite ne administrari sacramenta indigno valent?* Resp. Negant omnes; cum sit expressum Christi Domini mandatum, id vetans Matth. VII. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Sacerdotes enim sunt dispensatores sacramentorum: ergo fideles sint necessum est. Fideles autem, prudentesque minime essent, si indignis profananda sacramenta porrigerent. Nec satis illis est non ministrare eadem indignis; sed id præstare debent, ut prudenter præsumere possint esse dignos qui ad sacramenta suscipienda accedunt; ita ut pro sacramentorum diversitate maiorem aut minorem diligentiam adhibeant. In sacramento pœnitentiæ, in cuius administratione iudicis personam sustinent sacri ministri, exactior habenda notitia est de pœnitentis dispositione. Similiter promovendorum ad sacros ordines, cum sacramentum istud bonum commune spectet, mores, & indolem investigare Episcopi debent.

X. Quæst. II. *Administranda ne sacramenta sunt peccatori occulto, vel publico?* Resp. Peccatori occulto publice petenti sacramenta deneganda non sunt; sicuti Christus Dominus Iudæ sanctissimam Eucharistiam non negavit, sed præbuit, ne eum diffamaret. Divini magistri exemplum imitandum omnibus est. Peccatori tamen occulto occulte petenti deneganda sacramenta sunt, nisi sufficientia dederit pœnitentiæ sinceræ argumenta.

XI. Heinc peccatoribus publicis neganda sacramenta sunt, sive publice, sive occulte petentibus; tum ne sacramenta indignis porrigantur; tum ut evitetur publicum scandalum. Ita docent Patres omnes. Crimen publicum dicitur aut iure, aut facto seu fama, ut alibi explicatum est. Deneganda ergo sacramenta sunt omnibus comicis, tragœdis, mulierculis cantatricibus, psaltriis, saltantibus in theatris, publicis concubinariis, feneratoribus, adulteris, ceterisque id genus.

XII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* I. *num.* 138. contendit, doctrinam hanc veram esse *ordinarie*; secus, si mortis metus imminet. Tum enim cum P. Gobat *Tom. I. num.* 273. Dicastillo *num.* 292. Sporer *num.* 188. Escobar *num.* 357. & aliis ministranda sacramenta ait, nisi petantur in odium fidei, vel contemptum religionis. Quoniam, inquit, citati Auctores notant, præceptum non ministrandi sacramenta indignis non esse pure

pure negativum, sed resolvi in adfirmativum, prudenter, & fideliter dispensandi. Peregregie. Prudens ergo studium consulendi propriæ vitæ præscribit tradere sacramenta publicis peccatoribus, qui armata manu iugulum petunt Sacerdotis, nisi ministret? Adfirmans ergo est præceptum istud Christi Domini, seu in adfirmativum resolvitur, *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos?* Prudenter ne, & pro temporum diversitate administranda, aut neganda sunt sancta canibus, & porcis? Abominabiliores enim porcis, & canibus sunt scelesti homines, qui minis, & damnorum metu extorquere sacramenta audent. Sed audiamus argumentationem quam *P. La-Croix* nomine *Gobat*, *Sporer*, & *Escobar* obtrudit. Ad vitandam publicam infamiam peccatoris occulti, eidem petenti sacramentum ministrandum est. Ergo ad evitandam similem infamiam, aut mortem propriam, ministranda sacramenta sunt peccatoribus publicis. Nimium sophistica est argutatio isthæc. Occultus peccator ius habet ad publicam suam famam. Qui eam læderet, peccaret, scandalumque publicum ingereret. Idcirco ad hæc crimina vitanda administrandum est peccatori occulto publice petenti sacramentum. Sacerdos vero paratus infamiam, & mortem pati, ne publicis peccatoribus sancta mysteria prodat, virtutis heroicæ officium exercet, & fideles ædificat. Primis religionis nostræ sæculis fideles dira tormenta, bonorum iacturam, & mortem subibant, priusquam sacros codices, & vasa sacra proderent infidelibus. An non sunt infideli deteriores publici peccatores, qui scelerum iniquitate fœdati, vi, & minis sacramenta sibi dari urgent? Non extorquent in odium fidei. At extorquent in contemptionem sacramentorum. An sacramenta venerantur nefarii homines, qui Sacerdotes Dei infamiæ, & mortis metu cogunt ad eadem ministranda? Quare falsa mihi videtur recensita opinio.

XIII. Quæst. III. *Licet ne simulare sacramentorum administrationem ob mortis metum?* Resp. Duplicem distinguunt simulationem: alteram formalem, quæ directe intendit alium decipere; alteram materialem, quæ fit ob iustam caussam, permittendo alterius deceptionem. Simulationem formalem omnes damnant, non modo in administratione sacramenti, sed in quocumque alio casu: est enim formale mendacium; quod sive fiat verbo, sive signis, & nutibus, perinde est; dummodo animo fallendi fiat. De simulatione materiali disputarunt olim Casuistæ; & Ioannes Sanchez, Scildere, & alii quos refert Diana, licitam propugnarunt. Quam opinionem damnavit Innocentius XI. in hac propositione 29. *Urgens metus gravis est caussa iusta sacramentorum administrationem simulandi.*

XIV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part. 1. num. 153.* contendit, iuste damnatam fuisse laudatam propositionem: quia indefinita est, abstrahens a simulatione formali, vel materiali. Inquit enim: „ Propositio „ relata, fuit iuste damnabilis, hoc ipso „ quod diceret simulationem administrationis „ esse licitam, loquendo indefinite de simu„ latione, & abstrahendo a formali, vel „ materiali, etiam ex circumstantiis vitiosa: „ unde nunc per damnationem nobis certum „ est non licere simulationem administratio„ nis sacramenti formalem, & proprie di„ ctam. An autem damnatio extendi de„ beat ad simulationem materialem, *colligi* „ *non potest ex verbis decreti.* Hinc dividun„ tur Auctores: nam non debere ad eam „ extendi tenent aliqui; e contra debere „ extendi fuse contendit Gormaz. "

XV. En quam verum sit, unius distinctiunculæ beneficio interdum eludi vim damnatæ alicuius thesis. Vel ipse *P. Viva* in trutina in hanc *propos. num. 2.* fatetur, *Ioannem Sancium*, auctorem damnatæ thesis, de sola materiali simulatione loqui; immo de hac sola materiali simulatione disputatum fuisse asserit, & quidem vere, idem *P. Viva*. Formalem quippe simulationem, ut & ipse advertit *num. 1.* omnes Catholici damnant. Falsum est quod scribit P. La-Croix; *colligi non posse ex verbis decreti*, damnationem extendi ad simulationem materialem, immo ex verbis decreti evidenter constat, damnationem petere directe simulationem materialem. *Urgens metus gravis est caussa* &c. Non ergo animus decipiendi, sed studium vitandi gravis damni imminentis caussa est simulandi sacramentorum administrationem. Hunc vero metum a peccato purgare simulationem præfatam, contendebat Sancius cum aliis: & hoc in sensu damnata thesis est. Nullus quippe metus, ne quidem mortis, sat est ad excusandum a gravissimo crimine simulatorem sacramentorum. Et quamquam in thesi non exprimatur metus mortis; tamen, quia est indefinita, omnem metum includit; idcirco illius contradictoria indefinite, & universe vera est. Simulatio enim abusus est potestatis supernaturalis, quam Christus concessit, non ad simulandum, sed ad sanctificandas animas.

XVI.

XVI. Excusant communiter Auctores eum qui ex metu gravi iniusto contrahit matrimonium; quamvis nullum efficiat sacramentum: quoniam tunc deest tum materia, tum forma sacramenti, cum desit voluntarius consensus. Matrimonium autem ob metum gravem contractum, nullum est.

CAPUT XIII.

De dispositione ex parte suscipientis sacramenta; & an a malis ministris peti administratio sacramentorum possit.

I. SOli homines viatores sunt sacramentorum capaces. Istorum alii adulti, alii ratione destituti, ut infantes, & amentes. In istis nulla requiritur dispositio ad suscipienda sacramenta quorum sunt capaces. Apti autem sunt infantes ad suscipiendum baptismum, confirmationem, & Eucharistiam. Olim enim infantibus post baptismum conferebatur confirmatio, & Eucharistia: quorum duorum administratio nunc suspensa illis est; & solum post rationis usum hæc duo sacramenta eis conferuntur. Valide quoque sacramentum ordinis susciperent: quamvis peccaret minister illud conferens. Infantes ergo, & amentes baptizari valent absque ulla illorum dispositione; ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi. Ad validam aliorum sacramentorum susceptionem præcedere baptismus debet; cum sit ianua, & fundamentum aliorum sacramentorum: hoc quippe sacramento efficimur Christi membra. Heinc Concilium Nicænum I. *cap.* XIX. definivit Clericos, invalide baptizatos, rebaptizandos esse, & iterum sacris ordinibus initiandos.

II. In adultis ratione utentibus ad validam sacramentorum susceptionem requiritur consensus aut formalis, aut virtualis, aut saltem interpretativus; ut communiter Theologi docent cum S. Thoma, qui *III. Part. quæst.* LXVIII. *artic. 7.* inquit: *Ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum.* Excipitur Eucharistia, quæ consistit in re permanente extra usum.

III. Quare falsam existimo Caietani, & aliorum opinionem, qui sustinent, sat esse ut adulti rationis compotes non habeant voluntatem contrariam, sed mere passive se gerant. Requiritur enim positivus consensus: quoniam nullus adultus iustificationem assequitur, nisi consentiat; ut definit Concilium Tridentinum *sess.* VI. *cap.* VII. ubi inquit: Iustificatio est *sanctificatio, & renovatio vitæ interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* In percipiendis baptismo, confirmatione, pœnitentia, extrema unctione sat est ut adulti habeant intentionem interpretativam. Id patet ex constanti Ecclesiæ traditione. Morbo quippe repentino oppressis, & obmutescentibus ministrat Ecclesia baptismum, absolutionem, extremam unctionem, quoties testimonio aliquo constat quod eadem postulaverint. Hanc interpretativam intentionem non sufficere in ministro, supra ostensum est. Verum consensus, seu intentio recipientium fusius explicabitur, dum de singulis sacramentis sermo erit. Morinus contendit, validum esse sacramentum ordinis invitis administratum. Verum de hoc suo loco.

IV. Quæst. unic. *Licet ne petere sacramenta a ministro indigno?* Resp. Indignum ministrum vocamus quem certo & sine ambiguitate scimus in peccato mortali versari, & quem neque ante administrationem, neque in ipsa administratione contritum ex indiciis moraliter certis iudicamus. Nisi hæc notitia habeatur, bonum, & fidelem sacramentorum dispensatorem præsumere quemquam ministrum debemus. Improbus sacramenti minister aut est Sacerdos privatus, habens potestatem administrandi sacramenta, paratusque illa petentibus conferre; aut est Parochus, seu animarum curator, cui ex officio incumbit sacramenta gregi suo præbere. Rursus facinorosus minister aut est aliqua iniustus censura, & excommunicatus non toleratus ab Ecclesia: aut toleratus. Non tolerati, sunt aut publice & nominatim excommunicati, & denuntiati, ut definitum est in Concilio Constantiensi per extravagantem a Martino V. editam in eodem Concilio; aut publici percussores Clerici. Tolerati vero censentur qui nec sunt publice & nominatim excommunicati, nec notorii Clerici percussores. Tandem indigni ministri aut sunt hæretici, & schismatici; vel sunt intra Ecclesiæ sinum, ut ceteri Catholici omnes. His positis.

V. Ad quæstionem propositam respondeo, non licere extra necessitatis casum sacramenta petere a ministro nefario, seu peccati mortalis labe inquinato, & ut tali cognito, qui nec sit Parochus, nec ea ministrare paratus. Ratio obvia est: quia qui a tali ministro sacramenta peteret, eidem offendiculo esset, & occasionem peccandi præberet: quod fieri absque peccato nequit. E contrario licitum est parochiano extra necessitatis casum petere sacramenta a suo Parocho, eiusque vices gerente, cui ex officio incumbit sacra-

cramenta gregi suo administrare; tametsi sciat illum in peccato mortali versari, nulloque modo esse contritum: quoniam tum parochianus utitur iure suo, & petit rem bonam, quam sancte tradere Parochus, si velit, potest. Si tamen alius minister probus adesset, & ministrare paratus; tum Christi caritas urgeret ut, misso facinoroso Parocho, ab illo sacramenta peterentur. Si vero ministri probi desint, tum a malis, & improbis ministris licite peti sacramenta possunt, quemadmodum, urgente necessitate gravi, potest quis citra peccatum a feneratore parato pecunias mutuo accipere: quia absque fenore præbere illas usurarius potest.

VI. Sublato necessitatis casu, non licet petere, & accipere sacramenta ab hæreticis, aut schismaticis, qui extra Ecclesiæ sinum degunt; ut docet S. Augustinus *Lib. I. de bapt. contr. Donat. cap.* II. ubi hæc habet. *Si quis, cum possit in ipsa Catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad Catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi potest; proculdubio perversus, & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto scientius. Ita enim non dubitat recte illic accipi, sicut non dubitat illic prodesse etiam quod alibi acceperit.*

VII. In casu extremæ necessitatis, nempe in extremo mortis periculo, & non in alio quocumque casu, licitum est ab hæreticis, & schismaticis ab Ecclesia præcisis petere duo summæ necessitatis sacramenta, baptismum, & pœnitentiam. Id declaratum habetur in Concilio Tridentino *sess.* XIV. *cap.* VII. ubi hæc statuta sunt. *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus, & censuris absolvere possunt.* Disserte docet hanc veritatem S. Augustinus *Lib. II. de baptism. cont. Donat. cap.* II. inquiens: *Si quem forte cogerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregationi, etiam corporali præsentia reddiderit, unde numquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime, verissimeque laudamus: quia præsentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem servabat, & sine sancti baptismi sacramento, quod, ubicumque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare.* Licet igitur a quocumque nefario Sacerdote, sive catholico, sive hæretico, sive schismatico, sacramenta necessitatis summæ, qualia sunt baptismus, & pœnitentia, petere, & accipere: quoniam fidelis non est remedio necessario defraudandus ob ministrorum improbitatem.

VIII. Merbesius *Sum. Christ. III. Part. quæst.* XVI. docet, petenda esse præfata duo sacramenta ab hæretico, & schismatico in extremo mortis articulo, dummodo scandalum absit Catholicorum. Si enim, inquit, Catholici non temere crederent, suscipientem ab his ministris sacramenta, talem susceptionem approbare, & in auctoritatem illorum hæresim, & schisma adducere: tunc deberet is a baptismo, & pœnitentia suscipiendis abstinere, & suæ saluti consulere per baptismum in voto, & per contritionem. Quod de adultis intelligendum vult, secus de infantibus: quia tum scandalum esset tantum passivum. Scandali hypothesim difficillimam video. Nam Catholici sciunt, licitam petitionem, & validam collationem esse sacramentorum in mortis articulo a quocumque Sacerdote. Illorum ergo scandalum esset pharisaicum. Si qui petit, suspectus antea de hæresi fuerit, protestationem fidei catholicæ emittat, & sacramenta necessaria a quocumque suscipiat, ut unico summoque suo negotio consulat.

IX. Ut sacramenta licite petantur a ministro malo, sed tolerato, sufficit gravis necessitas, puta observantia præcepti communicandi in paschate; quando tamen nullus adsit Sacerdos probus. Argumenta quæ contra hactenus dicta obtrudi solent, nempe scandalum, occasio peccandi, quæ præbetur facinoroso ministro, cooperatio in eiusdem peccatum, nullius sunt momenti: quoniam scandalum passivum est, nullamque peccandi occasionem præbet qui propriæ saluti consulit, & quæ Dei sunt, a malo ministro petit. Tum solum peccaret qui peteret ab iniquo ministro sacramenta, quando nulla gravis ratio ad talem petitionem urgeret. Plures alias quæstiunculas quas movere non pauci solent, prætereo, cum non sit pretium operæ easdem dispicere.

CAPUT XIV.

De cæremoniis sacramentorum, & de iis quæ sacramentalia dicuntur.

I. POlydorus Virgilius *Lib. VI. cap.* II. *de rer. invent.* Vocabulum *cæremoniæ* repetit a *Cære* Hetruriæ oppido, inquiens: Sic Romanis placuit omnem divinum cultum *cæremonias* appellare ta Cæritibus Hetruriæ populis: ii enim, capta urbe Roma a Senonibus Gallis, Sacra Romanorum, a Vestalibus invecta, perbenigne receperunt, usque eoque servarunt, dum patria a Camillo esset recuperata, sicut Livius demonstrat. Cuius beneficii Quirites memores postea ea omnia quæ ad religionem colendam pertinerent, *cæremonias* nuncuparunt: auctor est Valerius Maximus: quamvis sint qui eas a carendo dictas malint. Hactenus Polydorus. Secundæ opinioni subscribit Isidorus *Lib. VI. Etymolog. cap. ult.*

II. Communiter cæremonia sic describitur: actus externus religionis in Dei honorem, divini cultus ornatum, sacramentorum dignitatem, & hominum utilitatem ordinatus. Usurpari cæremonia pro ipso divino cultu, & sacramentis solet. Bellarminus *Lib. II. de Sacr. in gen. cap.* XXIX. in quinque genera cæremonias tribuit. Partitionem primam a fine, seu effectu repetit. Sic sacramenta ad sanctificandum sunt instituta; exorcismi ad pellendos dæmones, & plura alia ad ornatum, ut vestes, lumina, cerei &c. Alteram partitionem sumit ab effectrice caussa, seu ab institutore. Et eiusmodi aliæ a natura proficiscuntur, ut cælum prospectare, pectus tundere, manus attollere: aliæ a Deo tum in veteri, tum in novo testamento præscriptæ: quædam ab Apostolis eorumque successoribus. Tertiam divisionem a caussa formali derivat, quod aliquæ cæremoniæ sint ipse divinus cultus, ut oratio, sacrificium, adoratio. Quartam arcessit a caussa materiali, seu ab obiecto, circa quod versantur, ut exorcismi, insufflationes, cinerum aspersiones, quæ circa personas exercentur. Ultimam partitionem ab accidentibus sumit, quod aliæ sint universales, ut quadragesima; aliæ particulares, ut lotio pedum post baptisma.

III. Tametsi usurpari cæremoniæ seu ritus pro cultu divino, & sacramentis soleant; nihilominus iuxta communem acceptionem superadditæ sacramentis sunt ab Apostolis, & ab Ecclesia, non ad gratiam producendam, sed ad pios, quos indicavi, usus institutæ. Quædam enim sacramenta præcedunt, & ad gratiam disponunt; quædam comitantur, & eam uberius explicant; quædam subsequuntur, & in eadem accepta confirmant.

IV. In has sacras Ecclesiæ cæremonias debacchati sunt Valdenses, Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ, & novatores omnes. Calvinus de more furens, & insaniens *Lib. IV. Instit. cap.* XV. §. 19. adversus sacras Ecclesiæ cæremonias hæc blaterat. *Quod ad externum symbolum pertinet, utinam genuina Christi institutio valuisset, quantum par erat, ad cohibendum hominum audaciam. Quasi enim res esset contemptibilis, ex Christi præcepto aqua baptizari, inventa est benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem polluerit. Additus postea cereus cum chrismate: exsufflatio vero ianuam ad baptismum aperire visa est. Et si autem me non latet quam vetusta sit huius farraginis origo; respuere tamen mihi, & piis omnibus sat est quidquid ad Christi institutum addere ausi sunt homines. Quum autem videret Satan stulta mundi credulitate absque negotio fere inter ipsa Evangelii exordia receptas esse suas imposturas, ad crassiora ludibria prorupit. Hinc sputum, & similes nugæ palam ad baptismi probrum effreni licentia invectæ.* Rescribere interdum hominis istius deliria utile censeo, ut pii lectores eo ferventius colant sacros Ecclesiæ ritus, quo impotentius in eosdem Calvinus insanit. Inter ipsa Evangelii exordia invectas cæremonias vel invitus fatetur. Universa Christi Ecclesia perpetua traditione eosdem servavit, quin ex innumera sanctorum cuiusque sæculi Episcoporum multitudine ullus reclamaverit. Solus Calvinus post alios desertores adversus universam Ecclesiam oblatrare non erubescit. Debuisset publicam stultitiæ notam reformidare. Mirum quod Christum Dominum non obiurgaverit, propterea quod oculos cæci sputo linierit, cum tanto odio sputi usum in baptismo execretur?

V. Quæst. I. *Quænam sint commoda & utilitates sacrarum cæremoniarum?* Resp. Concilium Tridentinum, profligatis novatorum erroribus, quam sint & commodæ, & utiles, & ad fidelium pietatem ac devotionem ciendam aptæ sacræ cæremoniæ, explicat *sess.* XXII. *cap.* V. his verbis. *Cum natura omnis ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia clariore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictio-*

dictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina, & traditione, quo maiestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

VI. S. Thomas sacrarum cæremoniarum utilitatem, & plura spiritualia commoda principio repetit ab ipsa hominis natura, quæ omnia sensuum ministerio operatur. Veteris testamenti cæremonias singulas exponit, mysticas significationes interpretatur tanta eruditionis copia, tanta arcanorum manifestatione, tanta perspicuitate singulis congruos significatus adscribit, ut ingenii portentum præferat, & cælesti luce se perfusum ostendat. Si hæc legerent novatores præiudiciis positis, tam effrenata audacia forsitan non debaccharentur in eiusdem doctrinam, & maiori in pretio illius haberent opera. Porro 1. 2. *q.* CII. *art.* 4. inquirit, assignari ne ratio possit cur cæremoniæ quæ ad sacra pertinent, sint institutæ: respondetque: *Dicendum, quod totus exterior cultus Dei ad hoc præcipue ordinatur ut homines Deum in reverentia habeant. Habet autem hoc humanus affectus, ut ea quæ communia sunt, & non distincta ab aliis, minus revereatur; ea vero quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur, & revereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inolevit ut Reges, & Principes, quos oportet in reverentia haberi a subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc oportuit ut aliqua specialia tempora, & speciale tabernaculum, & specialia vasa, & speciales ministri ad cultum Dei ordinarentur; ut per hoc animi hominum ad maiorem Dei reverentiam adducerentur.*

VII. Quid mussitare valent novatores adversus hanc rationis congruentiam, quæ hominis naturam spectat in quocumque statu? Pro statuum autem diversitate evincit Angelicus mutandas aptandasque cæremonias. Porro *q.* CIII. *art.* 3. demonstrat, post Christi adventum diversas ab antiquis institui cæremonias debuisse, sicuti diversus præscriptus cultus Dei est. *Omnia præcepta cæremonialia*, inquit, *veteris legis ad cultum Dei sunt ordinata, ut supra dictum est. Exterior autem cultus proportionari debet interiori cultui, qui consistit in fide, spe, & caritate. Unde secundum diversitatem interioris cultus debuit diversificari exterior cultus. Potest autem triplex status distingui interioris cultus. Unus quidem, secundum quem habetur fides, & spes de bonis cælestibus, & de his per quæ in cælestia introducimur; de utrisque quidem, sicut de quibusdam futuris: & talis fuit status fidei, & spei in veteri lege. Alius autem est status interioris cultus, in quo habetur fides, & spes de cælestibus bonis, sicut de quibusdam futuris; sed de his, per quæ introducimur in cælestia, sicut de præsentibus, vel præteritis: & iste est status novæ legis. Tertius autem status est in quo utraque habentur ut præsentia, & nihil creditur ut absens, neque speratur ut futurum: & iste est status beatorum.... Pari igitur ratione cæremoniæ primi status, per quas figurabatur & secundus, & tertius, veniente secundo statu, cessare debuerunt, & aliæ cæremoniæ induci, quæ convenirent statui cultus divini pro tempore illo in quo bona cælestia sunt futura. Beneficia autem Dei per quæ ad cælestia introducimur, sunt præsentia.*

VIII. Est ne aliquid quod in hoc solidissimo ratiocinio carpere novatorum morositas audeat? Pluribus cæremoniis distingui cultum suum Deus in veteri lege iussit, sic hominis natura postulante: eadem autem in utraque lege natura humana, sed cultus exterior diversus est in nova, ac in veteri lege: idcirco diversæ quoque sint cæremoniæ oportet. Pergit *ibidem* Angelicus ad 4. exponere cæremonias novæ legis quæ antiquis successerunt. *Sabbatum*, inquit, *quod significabat primam creationem, mutatur in diem dominicum, in quo commemoratur nova creatura inchoata in resurrectione Christi. Et similiter aliis solemnitatibus veteris legis novæ solemnitates succedunt: quia beneficia illi populo exhibita significant beneficia nobis concessa per Christum. Unde festo Phase succedit festum passionis Christi, & resurrectionis: festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ: festo Neomeniæ succedit festum Beatæ Virginis, in qua primo apparuit illuminatio Solis, idest Christi, per copiam gratiæ: festo tubarum succedunt festa Apostolorum: festo expiationis succedunt festa Martyrum, & Confessorum: festo tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ: festo cœtus, atque collectæ succedit festum Angelorum, vel etiam festum omnium Sanctorum.*

IX. Tandem Angelicus præfocavit novatorum clamores contra multitudinem cæremoniarum Romanæ Ecclesiæ. Nam *quæst.* CVII. *art.* 4. ostendit longe pauciores esse præ antiquis novæ legis ritus. *Ad plures*, inquit, *actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus cæremoniis quam lex nova, quæ præ-*

præter præcepta legis naturæ paucissima superaddidit in doctrina Christi, & Apostolorum: licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione sanctorum Patrum; in quibus etiam Augustinus dicit, esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur. Dicit enim ad inquisitiones Ianuarii (epist. CXIX. nunc LV.) *de quibusdam, quod ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis, & paucissimis celebrationum sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt operibus; adeo ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur.* Heinc colligant novatores, immoderatum cæremoniarum usum in hanc aut illam Ecclesiam particularem aliquando invectum, sanctos Ecclesiæ Patres, & graviores cuiusque sæculi Romanæ Ecclesiæ Doctores improbasse.

X. Quæst. II. *Potitur ne Ecclesia auctoritate sacros ritus præscribendi?* Resp. Adfirmant Catholici omnes, idque plurimis evincunt argumentis. Et principio minoris potestatis non est Christi Ecclesia quam Iudæorum synagoga. Hæc ritibus a Deo præscriptis novos addidit; ut patet ex *cap.* IX. *Esther*, *ubi* legitur novum institutum festum; & *Genes.* XXVIII. ubi Iacob novam cæremoniam invexit. Quidni præstare idem poterit Christi Ecclesia? Sed præstitit reipsa: nam & Apostoli novum ritum præscripsere in abstinentia a sanguine, & suffocato, Gentilibus ad fidem conversis imposita; & Paulus Apostolus I. *Cor.* *cap.* XI. ritum servandum in sacramenti eucharistici administratione præscripsit his verbis: *Cetera autem, cum venero, disponam.* Quæ verba exponens S. Augustinus *epist.* CXVIII. nunc LIV. ad Ianuarium institutas asserit cæremonias, ab universa Ecclesia servandas.

XI. Non Augustinus modo, sed antiquiores etiam Scriptores, Iustinus, Tertullianus, Cyrillus Hierosolymitanus hanc in Ecclesia potestatem agnoscunt. *Ut a baptismo ingrediar* (inquit Tertullianus Lib. de coron. milit. cap. III.) *aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Apostoli manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompis, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus; exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Ieiunium dominica die nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad subilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Aliqui horum rituum quos Tertullianus recenset, iam multis sæculis obsolevere; alii etiamnunc sunt in usu. Quid ergo blaterant Lutherani, & Calviniani, nihil, nisi quod Christus Dominus præscripsit, addendum esse? Sed, missis istorum crocitibus, audienda est Ecclesiæ vox in Concilio Tridentino *sess.* XXI. *cap.* XI. ubi declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Plurima alia referre documenta omitto: nam res explorata est & comperta, quam vel ipsi novatores inficiari prorsus non audent; cum & ipsi aliquas admittant cæremonias quas Christus non determinavit. Sed illis sat est ea omnia execrari quæ Romana Ecclesia a primis usque sæculis instituta observat.

XII. Quæst. III. *Sacræ cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ præferunt ne symbolicam & mysticam significationem?* Resp. Claudius de Vert Monachus Cluniacensis ob ministrorum commodum, & Ecclesiarum consuetudinem institutas vult, non ob mysticam significationem sacras cæremonias. Excusare illum ab hoc errore nititur *Turnely*; sed immerito contendunt alii, advertentes præfatum *de Vert* ad summum agnoscere in sacris cæremoniis symbolicas rationes quæ ipsarum institutionem sint consecutæ: sed eas primitus institutas fuisse ob solam naturalem caussam, soloque ad ministrorum commodum habito respectu. Vera autem sententia docet, Ecclesiam in primaria institutione sacrorum rituum spiritualem significationem intendisse. Heinc est quod novatores superstitionis arguunt has sacras cæremonias, cum sciant Ecclesiam Romanam mysticas significationes in

eisdem venerari. Quod ineptum commentum ut reiiciant Catholici, nequaquam ad rerum naturalium seriem deprimunt sacros ritus; sed mysteria quæ in iisdem latitant, patefaciunt.

XIII. Ut ut tamen de hoc dissidio res sese habeat, illud certum est Ecclesiam imprimis symbolica, & mystica in sacrarum cæremoniarum institutione, quæ ad pietatem & devotionem ciendam plurimum valent, spectasse. Nec propterea improbantur quæ ad eruditionem, & historicam harum cæremoniarum originem adducuntur; sed hæc illis subiicienda sunt.

XIV. Qui symbolicas, & mysticas veteris legis rituum significationes scire cupit, legat S. Thomam *loc. cit.* ubi, ut iam indicavi, eas incredibili eruditione exponit. Sacrificia quæ Abraham, Iacob, aliique sancti Patriarchæ obtulerunt Deo, præter sensibiles victimas mysteria continebant. Lapidem in titulum Iacob erexit, oleum effundens desuper: quæ olei effusio *spiritualis pinguedinis* argumentum est, inquit S. Augustinus *Lib. XI. cap.* XXXII. *de Civ. Dei*. David *Psalm.* XLIV. in olei unctione plenitudinem gratiæ Christi Domini prophetico afflatu prædixit. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Porro quo excellentior est Christi lex, eo altiora in eiusdem ritibus mysteria latent. Exorcismi in baptismi administratione, insufflatio, salis degustatio, diabolo eiusque pompis abrenuntiatio Christi Domini mortem, & sepulturam, novam vitam in ipso habendam, mundi contemptionem portendunt; ut S. Paulus *Rom.* VI. indicat. *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Purgaverit thus tetrum odorem, qui ex subterraneis locis, ubi Christiani persecutionis tempore sacra mysteria celebrabant; & luminaria tenebras dissipaverint. Quid hoinc? An propterea incensum non est orationis symbolum, & luminaria argumentum lætitiæ? Altare, Dei thronum, & candidus byssus iustificationis gratiam figurant. Sed non est præsentis instituti singula dispicere, nec est absolute necessarium; cum res comperta sit & explorata.

XV. Quæst. IV. *Observandæ ne sunt sacræ cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ?* Resp. Quæstionem hanc resolvit Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* XIII. his verbis. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Plura adduci rationum momenta in huius definitionis æquitatem solent, quæ paucis ego perstringam. Quam grave fuerit scelus in veteri lege cæremonias sacras violare, repentina Ozæ mors patefacit. Cum autem sanctiora sint christianæ religionis mysteria; qui istorum ritus violat, aut contemnit, a scelere immunis esse nequit. Innumera afferri exempla possent, quibus palam fit Ecclesiam gravis culpæ fontes semper iudicasse receptorum ubique rituum transgressores. Nonne semper Ecclesia improbavit Asiaticos, eosque quartodecimanis hæreticis accensuit, propterea quod sacrum Pascha contra universum Orthodoxorum ritum cum Iudæis luna 14. in quamcumque hebdomadæ diem incideret, celebrare auderent? Tandem summa Ecclesia prædita potestate est in iis præscribendis, quæ cultus divini celebrationem spectant. Hac Ecclesiam potestate ornatam esse, palam feci *Tom. VI.* Quid quod vel ipsi novatores hanc veritatem fateri coguntur? Nam in Confessione Augustana reformata an. 1540. art. 15. de cæremoniis definitur. *Sed illi peccant qui eas* (cæremonias) *cum scandalo violant; aut qui suarum Ecclesiarum tranquillitatem temere perturbant.* Calvinus ipse *Lib. IV. Inst. cap.* X. §. 30. nunc probat, nunc improbat sacros ritus: nunc asserit a Deo esse præscriptos, nunc subdit, Deum regulas generales dumtaxat tradidisse, quas pro temporum opportunitate determinare Ecclesia debet. Lubet eiusdem transcribere verba. *Dei est, quatenus pars est decoris illius, cuius cura, & observatio nobis per Apostolum commendatur; hominum autem, quatenus specialiter designant quod in genere fuerat indicatum, magis quam expositum. Ab hoc uno exemplo* (in geniculatione quæ fit, dum solemnes habentur precationes) *æstimare licet quid de toto hoc genere sit sentiendum: nempe quia Dominus & totam veræ iustitiæ summam, & omnes cultus numinis sui partes, & quidquid ad salutem necessarium erat, sacris suis oraculis tum fideliter complexus est, tum perspicue enarravit: in his solis magister est audiendus. Quia autem in externa disciplina, & cæremoniis non voluit sigillatim præscribere quid sequi debeamus* (*quod istud pendere a temporum conditione prævideret, neque indicaret unam sæculis omnibus formam convenire*) *confugere hic opor-*

oportet ad generales quas dedit regulas, ut ad eas exigantur quæcumque ad ordinem & decorem præcipi Ecclesia postulabit. Postremo quia nihil expressum tradidit, quia nec ad salutem hæc necessaria sunt, & pro moribus uniuscuiusque gentis, ac sæculi varie accommodari debent, ad Ecclesiæ ædificationem; prout Ecclesiæ utilitas requiret, tam usitatas mutare, & abrogare, quam novas instituere convenient. Fateor equidem non temere, nec levibus de caussis ad novationem esse decurrendum. Cur ergo cæremonias quas Romana usurpat Ecclesia in sacramentis administrandis, *incantationes, nugas, imposturas, crassa ludibria* urbanissime appellat? Cur ipsum temerario ausu abrogare cæremonias illius Ecclesiæ in qua regenitus fuit, non puduit? Si Deus generatim dumtaxat, quæ ad suum attinent cultum, præscripsit; & Ecclesiæ facultatem fecit ea addere, mutare, innovare quæ consentanea pro temporum opportunitate iudicaverit: cur impudentissime adversus sacras illas cæremonias, inter ipsa Evangelii exordia præstitutas, insanit, & furit? Sed quid diutius immoror in novatorum deliriis repellendis?

XVI. Sedulo ergo observandæ sunt Ecclesiæ cæremoniæ in *solemni sacramentorum administratione*, inquit Concilium Tridentinum. Quoniam necessitate urgente sat est materiæ, & formæ applicatio. Heinc patet quam sit immanis novatorum calumnia, qua blaterant, nos in ipsarum cæremoniarum usu iustificationem, & gratiæ productionem collocare. Ipsis sacramentis vim iustificandi tribuimus; & sacras cæremonias solummodo ad sacramentorum splendidiorem administrationem, ad maiorem dignitatem, & ad pietatem devotionemque fidelium excitandam adhibemus. Earumdem neglectum, contemptionem, & deliberatam transgressionem mortalem asserimus.

XVII. Addimus, non cuiuscumque cæremoniæ violationem mortalem esse; sed spectandam dicimus sacrorum rituum qualitatem, & conditionem. Aliæ enim graves, splendidæ, & sacramento proximiores; ut in Missa vestes, luminaria, oblatio hostiæ, elevatio calicis, & aliæ id genus, quæ omitti absque gravi crimine nequeunt. Aliæ accidentales, ut ablutio manuum, preces in sacris vestibus induendis, & aliæ huiusmodi, quarum omissio, sublato contemptu, & scandalo, venialis dumtaxat est; ut infra, dum de sacrificio Missæ sermo erit, clarius explicabitur.

XVIII. Obiiciunt 1. novatores. Christus Dominus *Matth.* XV. hominum traditiones improbat. *Sine caussa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Christus enim ea docuit quæ ad illius cultum necessaria sunt. Laqueos ergo animabus tendunt qui ritus multiplicant, quorum violatio mortalis sit. Quamobrem S. Augustinus *epist.* CXIX. nunc LV. conqueritur, multitudinem cæremoniarum graviorem efficere Christianorum quam Iudæorum conditionem. E contrario autem Deus Iudæos, tamquam pueros, signis sensibilibus erudivit; nos vero, ut viros perfectos, interiori spiritu alit, & instruit; ut testatur Paulus ad Galat. IV. *Et nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Item Ioannes cap. IV. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.*

XIX. Resp. Mera hæc sophismata sunt, & quidem ineptissima. Christus detestatur Pharisæorum traditiones, quod in illis summam constituerent religionis; quod plures vanæ essent; quod cum divinis mandatis pugnarent: & tandem quod legem Dei negligerent, ut humanas servarent cæremonias; quemadmodum illis improperat Christus Matth. XXIII. *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Sacri Ecclesiæ catholicæ ritus nec vani, nec inutiles, sed graves, utiles, & ad divini cultus decorem, fideliumque pietatem excitandam opportuni sunt. Generatim Christus Dominus, ut Calvinus ipse fatetur, ea tradidit quæ ad Dei cultum pertinent; potestatem vero Ecclesiæ suæ fecit, qua ea sigillatim adiiceret quæ temporum, & fidelium conditioni, & spirituali commodo congruerent. Prohibet Deus *Deuter.* XII. quidquam addere legi suæ, aut minuere, quod legem adulteret, & corrumpat; secus quod eam explicet, quod intelligibiliorem hominum imbecillitati efficiat, & venerabiliorem, dum id opus fuerit. Laqueos animabus iniiceret qui difficiliorem legis observantiam efficeret, eiusque consilia, ut præcepta, servanda imponeret. Quare S. Paulus laqueum se animabus iniicere existimasset, si virginitatem, sub consilio tantum propositam, servandam præcepisset. S. Augustinus *cit. epist.* CXIX. non universæ Ecclesiæ, sed privatorum hominum cæremonias reiicit. *Omnia*, inquit, *talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudi-*

tudine universæ Ecclesiæ roborata sunt: sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur; ita vix ut omnino nunquam inveniri possint caussæ quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Iudæorum cultus potissimum in rebus sensibilibus, & figuris situs erat; at non propterea cultum interiorem excludebat. Contra cultus Christianorum cum primis spiritualis, & internus est; quo, figuris & umbris eiectis, in spiritu & veritate fideles Deum adorant; ut inquiunt Paulus, & Ioannes. Non ita tamen internus & spiritualis est, ut sacramenta sensibilia, & visibilem eorumdem administrationem excludat.

XX. Obiiciunt 2. Ritus Romanæ Ecclesiæ reliquias esse ethnicæ, & iudaicæ superstitionis; cum ab Iudæis, & Paganis derivati videantur. Resp. Hæ sunt familiares novatorum calumniæ, quas prius Manichæi, & ceteri hæretici illorum præcessores catholicæ Ecclesiæ improperarunt. *Solemnes gentium dies* (crocitabat Faustus Manichæus, referente Augustino *Lib. XX. cap.* IV. contra eumdem) *cum ipsis celebratis, ut calendas, solstitia &c. Quare constat vos, atque Iudæos schismata esse gentilitatis.* Inepta commenta refellit ibidem Augustinus. Ritus & cæremonias, suapte natura indifferentes, ad falsorum numinum cultum Ethnici adhibebant. Cæremoniis abutebantur in sacrificiis dæmonibus immolatis. Christiani sacras cæremonias adhibent in administrandis sacramentis a Christo institutis. Ideo ne reiiciendæ sacræ cæremoniæ, quia aut Iudæi eas carnaliter, aut Pagani sacrilege adhibebant? Numquid sacrificia Patriarcharum improbanda sunt, quia Ethnici similiter immolabant? An contemnenda virginitas, quia Vestales virginitatem servabant? Baptisma Iudæi, & plures ablutiones adhibent Gentiles, & Turcæ. Ideo ne reiiciendum baptisma? Panes propositionis in mensa apponebant Iudæi, & Gentiles sacras cœnas habent. Pascha, & Pentecosten celebrant Iudæi. Cur novatores baptisma, sacram cœnam, Pascha, & Pentecosten celebrant? Templa Pagani habuere, habentque. Destruenda ne propterea templa nostra, vero Deo dicata, quia illa dicata fuere dæmonibus? Superstitio duplici ex capite oriri potest: aut ex obiecto, dum cultus creaturæ exhibetur; aut ex pravis & obscœnis actibus, & erroneis opinationibus, quibus religionis officia polluuntur. Ex utroque capite Ethnicorum religio superstitione laborabat. Nos vero supremo veroque numini cultum offerimus, & puris sacrisque ritibus religionis officia peragimus. Neque confundendus est Iudæorum cultus cum Paganorum superstitione. Iudæorum ritus alii portendebant evangelicæ legis mysteria; & hi ritus cessarunt, quia, exorto veritatis Sole, umbræ, & figuræ disperierunt. Alii devotionem fidelium, & decentem sacrorum administrationem spectabant; ut vestes, thymiamata, lumina, & cetera id genus. Hos ritus Ecclesia servat: quia non spiritu modo, sed corpore etiam colere Deum debemus. Lege S. Augustinum *Lib. XX.* contra Faustum *cap.* XXI. ubi omnia quæ nunc obtrudunt novatores, labefactata invenies. Et hæc de sacramentis in genere sufficiant.



LIBER SECUNDUS

DE

BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

DISSERTATIO PRIMA.

DE BAPTISMO.

PRÆLOQUIUM.

Septem inter sacramenta quæ Christus instituit, principem locum, non dignitate, sed ordine, baptismus, cuius in præsentia naturam, necessitatem, & effectus expositurus sum, occupat. Hic sacramentorum ianua, cælestis regenerationis principium, vitæ christianæ fundamentum, & divinæ confœderationis, qua & Deo, & mutuo copulamur, vinculum sacratissimum nuncupatur. Altius memoriæ commendanda sunt Apostoli verba, quibus tanti sacramenti præstantiam, & beneficia nobis declarat ad *Rom.* VI. inquiens: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus, & Pater omnium.* En paucis universæ christianæ professionis specimen, quod obversari continenter oculis nostris debet, quod animarum Pastores, Confessarii, & ceteri Dei ministri altius inculcare, exponere, &, quoad fieri potest, imprimere fidelium animis debent. *Quare* (inquit Catechismus Romanus Part. II. de baptism. §. 1.) *Pastores numquam se satis multam operam, & studium in huius sacramenti tractatione collocasse arbitrentur.* Si quisque suæ professionis imaginem perspectam habere, eiusdem onera, obligationes, munia, dotes, & privilegia meditari debet, ut implere exacte eadem valeat; quanto magis Christiani in istius divinæ desponsationis, qua se Deo dicarunt, dignitatem, celsitudinem, & præstantiam intendere animos astringuntur, ut hinc intelligant quam sancta, quam perfecta, quam divina sit oporteat illorum vita, quam casti illorum mores, quam cælestis illorum conversatio. Maiores nostri, quos Deus ad illuminandam Ecclesiam suam constituit, hunc frequentissime tundebant clavum; & hoc professionis nostræ exemplar referre ob oculos quam diligentissime satagebant. Mundo, diabolo, eiusque pompis in huius sacramenti susceptione nuntium remisimus. Quænam huiusce abrenuntiationis vis, & amplitudo? Quænam sunt pompæ istæ, quænam oblectamenta, quænam illecebræ, vanitates, & deliciæ, quas divina hac abluti aqua detestati sumus? Ea sane omnia quæ Deo adversantur, quæ cum sanctitate pugnant, quæ referri in gloriam Dei nequeunt. Numquid ad Dei gloriam dirigi spectaculorum, comœdiarum, theatrorum, chorearum frequentia valet? Num ad gloriam Dei, & Iesu Christi dirigi hodiernæ muliercularum, & effeminatorum hominum pompæ vanissimæ, amores lutulentissimi, alloquia putidissima possunt? Dirigi ne in Dei gloriam queunt ludi, conversationes promiscuæ, otia, & mollis illa vivendi consuetudo quæ passim obtinet inter tot christiani nominis professores? Paulum audiamus, qui ad *Ephes.* V. clamat: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut*

rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Vi istius professionis Dei filiorum comparavimus dignitatem, subdit idem Apostolus ad Galat. III. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Ex pluribus privilegiis, quæ sancti Ecclesiæ Patres baptismo tribuunt, pauca describam illorum quæ S. Gregorius Nazianzenus uberrima eloquentiæ vi exponit *orat.* XL. his verbis. *Baptismus est splendor animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis adiumentum. Baptismus carnis est abiectio, spiritus affectatio, verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cælestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præstantissimum, & magnificentissimum .... Multiplex huius beneficii utilitas multas nobis appellationes peperit. Donum vocamus, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quoquo nomine appellamus.*

Pauca hæc delibare in antecessum volui, ut animarum Pastores, & conscientiarum directores excitarem ad redintegrandam istius christianæ professionis imaginem, quæ iam a plurium fidelium mentibus deleta est. Divinæ imaginis splendorem quotidie tetris mundi, carnis, & vanitatis exhalationibus obscurare diabolus tentat, ut ad sua adoranda idola Christianos seducat. Idcirco continenter adversus istius præstigia, & aggressus armare gregem suum Pastores debent, & sanctissimam baptismatis professionem vividius repræsentare, & obsoletam instaurare. Concionatoria hæc esse reponent illi qui probabilisticis præiudiciis occupati, dissidia, verborum pugnas, & opinionum prælia audire, & legere in deliciis dumtaxat habent. At eo non pertinent exigui conatus nostri ut mentem ad disputandum, iurgandumque erudiant; sed eo ut & veritatis lumen, errore pulso, mentem illuminet, & amoris divini ignis, extinctis concupiscentiæ affectibus, voluntatem accendat, & ad suæ professionis altissima onera adimplenda fideles omnes inflammet.

CAPUT I.

Baptismi origo, & notio.

I. Ethnicis idololatris familiaria fuisse baptismata, & lustrationes, testantur Plutarchus in *Iside*, Virgilius *Æneid.* IV. Tacitus Annalium XV. Scacchus in Myrotheciis *Part. II. cap.* lxxv. plureſque alii, quos recenset Spencerus *Vol. II. de leg. Hebr. diss.* III. *sect.* I. *cap.* II. Nec corpora modo, verum etiam templa, immolandas victimas, vestesque frequenter abluebant. Apud Hebræos quoque in usu baptismata fuisse, colligi posse videtur ex interrogatione Pharisæorum, Præcursori facta, Ioan. I. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Contendunt heterodoxi, Iudæis symbolum fuisse initiationis baptismum, quo Ethnici in gentis Iudaicæ Ecclesiam deducebantur. Sed turpiter aberrant; cum evidenter constet Ethnicos, non per lustrationes, sed per præputii præcisionem fœdus cum Hebræo populo iniviſse. Vanum commentum idcirco excogitarunt novatores, ut inde deducerent baptismum necessarium quidem esse tamquam symbolum christianæ professionis iis qui ex Ethnicorum cœtibus ad fidem veniunt; secus iis qui ex christianis parentibus procreantur: & hac ratione baptismi necessitatem de medio tollunt. Quem errorem infra refellam. Baptismata, sive lustrationes apud Iudæos non fuisse singulare initiationis signum, sed communem cæremoniam quam adhibebant leprosi, profani, Levitæ, & Pontifices, communis est Theologorum sententia.

II. Heinc patet, nihil cum lustrationibus iudaicis commune habere, præter aquæ elementum, Christianorum baptisma. Præcesserunt utique figuræ multæ baptisma nostrum in veteri lege; ut diluvium universale, quo corruptum humanum genus purgatum fuit; transitus maris rubri, quo Israeliticus populus servitutis Ægyptiacæ iugum excussit; ablutio Naaman Syri, probatica piscina, & aliæ adumbrationes, quas recenset Catechismus Romanus *Part. II. cap.* II. §. 9.

III. De baptismo Ioannis, qui Christi baptismum præcessit, variæ circumferuntur sententiæ, & errores extremi. Sociniani penitus illum deprimunt. Calviniani nimis illum extollunt. Nam Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* XV. §. 7. effutit, *idem fuisse prorsus Ioannis ministerium quod Apostolis postea delegatum est. Non enim alium baptismum faciunt diversæ manus quibus administratur; sed eumdem eadem doctrina ostendit.* Hunc errorem profligavit Concilium Tridentinum, cuius verba mox dabo.

IV. S. Thomas *III. Part. quæst.* XXXVIII. *art.* I. & 2. in pluribus discrepare baptismum Ioannis a baptismate Christi ostendit. Principio ratione Auctoris. Secundo ratione sacramenti, cum baptismus Ioannis fuerit tantum, inquit Angelicus, *quoddam sacramentale, disponens ad baptismum Christi; & ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysis.* P. Druin *de re sacram. Lib. II. q.* V. *cap.* I. §. 4. Cl. Monelia *diss. de ann. Christi cap.* V. *num.* 13. non repugnant appellari sacramentum posse baptismum Ioannis. Verum quidquid sit, an baptismus ille dici ratione quadam generica sacramentum possit; certum omnino est penes omnes Catholicos, sacramentum proprie dictum, idemque cum baptismo Christi non fuisse baptismum Ioannis, sed pluribus titulis diversum. Tertio ratione efficacitatis, & effectus; cum Christi baptisma ex opere operato, secus baptismus Ioannis, gratiam producat. Heinc S. Thomas, cui ceteri Theologi subscribunt, concludit loc. cit. art. 6. *Unde illis qui tantum in aqua baptizati erant baptismo Ioannis, non solum supplendum erat quod deerat, ut scilicet daretur eis Spiritus sanctus per impositionem manuum; sed erant iterato totaliter baptizandi in aqua, & spiritu.* Qua doctrina in antecessum profligavit Angelicus errorem Calvini, contendentis baptizatos a Ioanne non fuisse rebaptizatos, sed tantum accepisse Spiritum sanctum per manuum impositionem. Clarius S. Doctor utriusque baptismi discrimen exponit *ibidem art.* 3. inquiens. *Tota doctrina, & operatio Ioannis præparatoria erat ad Christum; sicut ministri, & inferioris artificis est præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat per Christum, secundum illud Ioan.* I. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. *Et ideo baptisma Ioannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam præparabat tripliciter. Uno quidem modo per doctrinam Ioannis, inducentem homines ad fidem Christi. Alio modo assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi. Tertio modo per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectuum baptismi Christi.* Tandem Concilium Tridentinum damnat novatorum errorem sess. VII. can. I. *Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.*

V. Antequam veram baptismi notionem prodo, varias eiusdem significationes præmitto. Baptismus græcum vocabulum est, quod latine *immersionem, ablutionem, lotionem* significat. Frequentius nuncupari immersio solet, quod iuxta veterem disciplinam per immersionem administraretur. Significat quoque verbum *baptizare*, quatenus idem est ac *mergere, plurimum affligi, pœnitere, martyrio affici:* quia sicut in baptismo aquis, ita in pœnitentia lacrymis, & in martyrio sanguine perfundimur. Quæ significationes eruuntur & ex Luc. XII. *Baptismo autem habeo baptizari*, nempe pati, affligi, suppliciis affici: & Marc. X. *Potestis bibere calicem quem ego bibo; aut baptismo, quo baptizor, baptizari?* Quibus verbis truculentam mortem exprimi omnes adfirmant. Martyrio præsertim baptisma comparatur ob similitudinem quæ est sanguinem inter & aquam. Quare opportune Prosper *epigrammat.* lxxxvii. hæc scribit.

Fraudati non sunt sacro baptismate Christi
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit.
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii.

VI. Variis aliis vocabulis in Scripturis sanctis baptismus nuncupatur. Apostolus ad Titum *cap.* III. vocat *lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti*, quod homo carnalis per baptismum ad vitam spiritualem regeneretur. Idem Apostolus *Rom.* VI. sepulturam baptismum appellat: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Tandem ob protestationem fidei in Christum, dicitur *sacramentum fidei.* Item sacramentum illuminationis, qua catechumeni illustrantur.

VII. Novatores falsis, & ad proprium errorem confirmandum opportunis definitionibus baptisma non explicare, sed implicare, & obscurare student. Calvinus ait, *baptismum signum esse initiationis, quo coaptamur in Ecclesiæ societatem.* Lutherani cum Melanchthone dicunt, *signum esse quo Deus nobiscum agit, & recipit in gratiam.* Remonstrantes cum Episcopio & Wolchelio volunt esse *publicum christianæ professionis signum & tesseram.* His arbitrariis descriptionibus abscondunt propriæ hæresis venenum. Hæc siquidem interpretamenta eo dirigunt, ut negent aut efficacitatem, aut necessitatem baptismatis; cum in sola fide iustificationem collocent.

VIII. Catechismus Romanus *Part. II. cap.* II. §. 5. varias Scriptorum definitiones indicans, decernit, recte & apposite definiri, si dicatur, *baptismum esse sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Hæc definitio materiam, formam, & proprietatem baptismi paucis exponit. Convenit penes omnes, etiam novatores, baptismum esse divinæ gratiæ signum: quæ ratio cuique sacramento convenit. Esse autem *sacramentum regenerationis*, constat ex divinis Scripturis iam adductis. In *verbo* sita est sacramenti forma. Explicatius definiri baptisma ex S. Thoma *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* I. hoc pacto potest: *Baptismus est sacramentum quo homo exterius abluitur, & spiritaliter regeneratur per aquam sub forma verborum a Christo præscripta*. In hac definitione perspicue explicatur materia, forma, & finis baptismi, qui est spiritualis regeneratio. Sed utraque definitio eodem recidit.

CAPUT II.

De materia remota baptismi.

I. DUplex baptismi materia: remota, & proxima. De hac infra, de illa nunc. Varii circa materiam remotam hæreticorum errores. Cainani seu Caiani, fratricidæ Caini veneratores, ut Tertullianus *Lib. de baptismo adversus Quintillam cap.* I. refert, baptismum aqua constare negabant; sive potius, quia *spirituales* se se iactabant, cum Gnosticis omnia signa sensibilia, seu sacramenta reiiciebant. *Manichæi*, delirantes aquam a principio malo profectam esse, baptismum in aqua repudiarunt. Eumdem errorem propugnarunt *Pauliciani*; quidquid in oppositum afferat Turnely *quæst.* I. *art.* 2. Seleuciani, & Hermiani sæculo IV. aqua cum Manichæis reiecta, ut refert S. Augustinus *hæres.* LIX. igne, non aqua, ministrandum baptisma contendebant, ducti Ioannis verbis Luc. III. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*. Hunc errorem aliqui affricant etiam Iacobitis, qui tamen ab aliis Scriptoribus talis erroris expertes declarantur. Catharos, sæculo XII. exortos, repudiasse baptismum in aqua, testatur Egebertus Bunnensis *serm.* VIII. Alii non aqua, sed oleo baptisma administrabant. Alii tempore Stephani III. per vinum solum baptizarunt, & tempore Gregorii IX. alii, deficiente aqua, cervisia baptismum conferebant. Theodorus Beza *Epist.* II. ad Thomam Tilium, cum haberi aqua non possit, vino, oleo, & quocumque liquore baptismum conferri posse scribit; quem errorem Scholasticis ignoranter impingit. Tandem Lutherus in colloquiis symposiacis, nempe convivalibus, *cap.* VII. effutit ad baptismum sufficere *quidquid loco balnei* esse potest: quem errorem adoptarunt non pauci novatores.

II. Quæst. I. *Num sola aqua naturalis sit materia remota baptismi?* Resp. Omnis, & sola aqua naturalis est materia remota baptismi. Dogma istud expresse in Scripturis sanctis continetur. *Ioan. cap.* III. hæc habentur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. S. Paulus Ephes. V. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ*. Aquam istam naturalem esse constat ex aquæ quam Christus ipse adhibuit, usu. Nam *loc. cit. Ioan.* hæc subduntur: *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænnon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic*. Apostoli sola aqua naturali baptizarunt: nam *Act.* VIII. de Philippo baptizante Eunuchum Reginæ Candacis dicitur: *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? .... Et descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus: & baptizavit eum*.

III. Obvia sunt & luculenta Patrum testimonia quæ perennem constituunt traditionem, in sola naturali aqua baptismum semper administratum in Ecclesia fuisse. Legantur præcipue Iustinus in *apolog.* II. Tertullianus *Lib. de baptismo*, cuius hoc est initium: *Felix sacramentum aquæ nostræ, quæ abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur*. Sanctus Augustinus *tractat.* XV. *in Ioan.*

IV. Accedunt repetitæ Ecclesiæ definitiones. Gregorius IX. in rescripto ad Archiepiscopum Nidrosiensem de baptizantibus cervisia in Novergia ob aquæ penuriam respondit anno 1141. apud Raynaldum ad hunc annum. *Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnumquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in cervisia baptizari; tibi tenore præsentium respondemus, quod, cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua, & Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati qui in cervisia baptizantur*. Sed, missis pluribus aliis documentis, Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* II. hæc decernit. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi; atque adeo verba illa Domini Iesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anatema sit*.

V. Quæst. II. *Cur Christus Dominus aquam potius quam alium liquorem sumpserit pro baptismi materia?* Resp. Nulla vera assignari ratio potest præter divinam voluntatem, quæ sic disposuit. Plures tamen facti istius congruentias Patres assignant, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Anselmus. Quas S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* 3. profert, transcribere lubet. *Primo quidem* (inquit) *quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam; quod maxime congruit aquæ. Unde & semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantæ, & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent: propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium. Secundo quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ sua humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum: sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris; & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis: sua diaphaneitate est luminis susceptiva; unde competit baptismo, inquantum est fidei sacramentum. Tertio quia convenit ad repræsentandum mysteria Christi, quibus iustificamur. Ut enim dicit Chrysostomus super illud Ioan.* III. Nisi quis renatus fuerit *&c. .... sicut in quodam sepulcro in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde novus rursus ascendit. Quarto quia ratione suæ communitatis, & abundantiæ, est conveniens materia necessitati huius sacramenti: potest enim ubique de facili haberi*.

VI. Opponunt I. Ioannes Moscus Eviratus in suo Prato spirituali *cap.* CLXXVI. refert, Iudæum anno circiter 630. vehementi febre laborantem, deficiente aqua, arena ter super eum proiecta *in nomine Trinitatis* baptizatum, continuo virtute baptismi convaluisse. Simile factum narrat Nicephorus *Lib. III. cap.* XXXVII. Resp. Moscus narrat, repente sanatum Iudæum, non ob baptisma arenarium, sed ob ardens baptismi desiderium: subdit enim, ad urbem Ascalonem cum pervenisset, *visum beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Iordanem, ibique baptizari*. Nicephorus non diversum, sed idem omnino factum narrat, confirmatque aqua sanatum Iudæum baptizatum fuisse.

VII. Opponunt 2. Stephanus Papa III. seu, ut alii volunt, II. rogatus a Presbytero validum ne baptisma esset collatum infanti in vino, aqua deficiente, respondit: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit; nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo*. Resp. P. Natalis Alexander animadvertit *sæcul.* VIII. *cap.* I. *artic.* 6. ita quidem narrare Sirmondi editicnem, sed mendum ibi cubare; quod & alii eruditi viri adfirmant, observantque *glossema temere intrusum* a librario: quo sublato, Presbyter absolvitur quidem ob ignorantiam ab excommunicatione; at non probatur baptisma. Alii tribuunt hoc responsum Stephano Tornacensi, secus Stephano Pontifici Romano. Tandem Sirmondus ipse, qui primus Stephani responsa edidit, animadvertit, eiusmodi responsa privatim data fuisse Monachis Britaniacensibus; atque adeo privatam esse opinionem, non pontificiam definitionem. Sed prima mihi probatur responsio, nempe, suppositicium esse hoc Stephani rescriptum.

VIII. Quæst. III. *Num vetustus, & probandus sit usus quo Ecclesia Romana consecrat aquam baptismo inservientem?* Resp. Vetustam hanc sacram consuetudinem esse ostendunt Patrum testimonia. S. Basilius de Spirit. sanct. cap. XXVII. *Benedicimus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, ac propterea ipsum qui baptismum accepit*. Cyrillus Hierosolymitanus *cateches.* III. inquit: *Ut illa quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur; sic contra aqua simplex, per sancti Spiritus, & Christi invocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur*. Sanctus Cyprianus epist. LXX. *Oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere*. Sanctus Ambrosius *Lib. I. de sacram. cap.* V. inquit: *Forma baptismatis, & usus hoc habet, ut ante fons consecretur, & tum descendat qui baptizandus est. Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea, & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ*. Abiudicant Ambrosio opus istud novatorum plures; at negare nequeunt, Auctorem huiusce operis floruisse ante octavum sæculum; quod satis foret ad evincendam sacræ cæremoniæ vetustatem; etiamsi alia deessent antiquitatis monumenta, quæ iam recensui. Sanctus Augustinus *serm.* CCCLII. scribit: *Quia baptismus, idest salutis aqua, non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur*. Plurima alia antiquissimi ritus documenta referunt eruditi viri Martene *Lib. I. art.* 14. Hugo Menardus *in notis* ad Sacrament.

ment. Gregor. *not.* 306. Iacobus Goarius in Græcorum Euchologiis. Denique antiqui libri rituales omnium nationum ritum hunc probant. Quid quod etiamsi nova disciplina hunc invexisset ritum, nihil inde emolumenti caperent novatores; cum plenam Ecclesia habeat potestatem eos ritus præscribendi quos pro temporum opportunitate congruos iudicat, & pietati promovendæ consentaneos? Sed novatoribus nostris sat est adversus ea omnia bilem evomere quæ in Ecclesia Romana obtinent, sive antiqua, sive nova sint. Verum audaculorum hominum impudentia deridenda potius quam reprimenda est. Sacrum ritum nostrum aquæ baptismalis consecrandæ probant Ecclesiarum consuetudo, Patrum traditio, Baptisteria antiquissima consecrata, & miracula apud eadem patrata. In baptismo tamen non solemni, sed privato libere omitti aquam consecratam, & adhiberi posse communem, omni culpa sublata, censent plures. Verum qui adhiberet communem, cum habere consecratam posset, culpæ expers non esset, ut ego quidem sentio: quidquid in oppositum dicat Gobat cum aliis.

CAPUT III.

Plures quæstiunculæ quæ praxim spectant, resolvuntur.

I. INnumeras quæstiunculas morum tractatores agglomerant de aqua ad baptismum necessaria. Omnes Catholici fatentur, solam aquam naturalem esse baptismatis materiam; sed disputant, quid nomine naturalis aquæ intelligendum sit; & quid in casibus necessitatis agendum, si communis aqua desit, & adsit liquor aquæ affinis? Præcipuas quæ tractari hoc de argumento quæstiones solent, brevitate summa dispiciam.

II. Quæst. I. *Quænam aqua dicenda naturalis est?* Resp. Eruditus P. Druin *de re sacrament. Lib. II. cap. I. quæst.* III. optime advertit, ex communi hominum sensu, non ex Philosophorum disputationibus, iudicandum esse quæ aqua dicenda naturalis sit. Rituale Romanum, iussu Gregorii XIII. editum, perspicue ad quæstiunculam propositam *pag.* 17. his verbis respondet: *materiam huius sacramenti esse aquam veram, & naturalem, ut fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, paludum, cisternarum, & pluvialem; & sic quamcumque simplicem, & puram, quæ propriam aquæ speciem retineat: nec referre frigida sit, an calida: non autem esse aquam artificialem, ut ex rosis, floribus, herbis, seu similibus rebus expressam, aut distillatam, neque quemvis alium liquorem.* Habes hic explicatam naturalis aquæ conditionem, & etiam quomodo plures quæ disputari quæstiunculæ solent, paucis resolvere valeas.

III. Quæst. II. *Aqua corrupta adhiberi ne in administratione baptismi potest?* Resp. Versat hanc quæstionem S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* 4. ubi ea principia constituit quibus fin omnes, plurimæ saltem quæstiones quas in utramque partem moderni Casuistæ disputant, resolvuntur. Respondet itaque S. Doctor. *Dicendum, quod aqua suam puritatem, & simplicitatem potest amittere dupliciter: uno modo per mixtionem alterius corporis; alio modo per alterationem. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, scilicet per artem, & per naturam. Ars autem deficit ab operatione naturæ: quia natura dat formam substantialem; quod ars facere non potest: sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili: per quem modum a quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur.*

Quæcumque igitur transmutatio circa aquam facta est per artem, sive commiscendo, sive alterando, non transmutatur species aquæ. Unde in tali aqua potest fieri baptismus; nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud quam aqua; sicut lutum magis est terra quam aqua; & vinum lymphatum magis est vinum quam aqua.

Sed transmutatio quæ fit a natura, quandoque quidem speciem aquæ solvit: & hoc fit, quando aqua efficitur per naturam de substantia alicuius corporis mixti; sicut aqua conversa in liquorem uvæ est vinum, unde non habet speciem aquæ. Aliquando autem fit per naturam transmutatio aquæ sine solutione speciei: & hoc tam per alterationem, sicut patet de aqua calefacta a Sole; quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium. Sic ergo dicendum est, quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquæ, non potest fieri baptismus. Si hanc doctrinam memoriæ commendaveris, facillime quascumque dubitationes quæ occurrere possunt, solide dilues.

IV. Quæst. III. *An una, vel altera gutta aquæ satis ad baptismum sit?* Resp. Probabilius partem aientem veram esse, respondet Leander *disp.* II. *q.* III. pro qua opinione falso

falso citatur ab Henriquez S. Thomas. Quoniam, inquit Leander, per aspersionem unius, aut duarum guttarum vere dicitur homo ablutus. Sed opposita sententia est vera. Iuxta enim communem sensum una aquæ gutta vere corpus non abluit. Paulus Comitolus Auctor gravis *Lib. I. q.* XII. ex Victoria refert, in Germania unam guttulam aquæ in baptismo conferendo adhiberi. Si guttula hæc adeo magna sit, ut vere iuxta communem existimationem abluat corpus, sufficiens erit baptismi materia. Verum quantitas aquæ quæ sub una guttula communiter accepta continetur, sufficiens haud est baptismi materia.

V. Quæst. IV. *An aqua ex sale liquato sit apta baptismi materia?* Resp. Negant Angelus, Sylvester, Laymanus, Palaus, & alii. Adfirmant vero communiter alii, inquit Leander *quæst.* V. ubi plures laudat. Rationem assignant, quia sal ex aqua conflatur æstivo Sole indurata. Ergo, liquato sale, suam pristinam naturam aqua induit. Ego extra necessitatis casum aptam materiam pro baptismo hanc aquam non reputarem. Siquidem aqua in salem indurata mixtum efficit naturæ prorsus diversæ, suamque naturam omnino amittit. Ergo sale liquato humor, seu liquor expressus ab aqua naturali diversus est. Ideo extra necessitatis casum ineptam reputarem, salvo meliori iudicio, pro baptismo materiam. Et hanc esse doctrinam S. Thomæ existimo supra *num.* 3. transcriptam, ubi inquit: *Si vero solvatur species aquæ, non potest fieri baptismus.* Porro solvi speciem aquæ in salem conversæ mihi certum videtur.

VI. Quæst. V. *Aqua resoluta ex nive, glacie, gelu, aut rore cæli, est ne sufficiens baptismi materia?* Resp. Adfirmans sententia communis est. Quoniam aqua in nivem aut gelu coagulata suam naturam non amittit. Ideo, liquata nive, aut gelu, aqua est naturalis.

VII. Quæst. VI. *Nix, & glacies sunt ne apta baptismi materia?* Resp. Leander *loc. cit. quæst.* VII. testatur, omnes communiter negantem sententiam defendere. Nihilominus ipse *probabiliter* adfirmare non veretur. Verum communis sententia tenenda est: quia glacies, nix, grando apta non sunt abluere corpus. Materia autem apta baptismo est aqua quæ abluit.

VIII. Quæst. VII. *Aqua quæ ex vite, aliisve arboribus profluit, est ne sufficiens baptismi materia?* Resp. Negativa sententia communis est. Quoniam liquor ille succus quidam est, non aqua naturalis. Neque audiendi sunt qui dicunt, arbores aquam attrahere radicum vehiculis. Quoniam si hoc interpretamentum valeret, etiam oleum, & vinum aqua esset. Aqua hæc, a radicibus attracta, convertitur in mixtum: unde postea humor manat ab aqua naturali diversus. Si arborum meatus adeo ampli essent, ut per illos aqua flueret, tum aqua ista non amitteret speciem suam, ideoque apta esset baptismi materia. Sed nulla est de hoc controversia.

IX. Quæst. VIII. *Lixivium, & iusculum carnium sunt ne apta baptismi materia?* Resp. Negant aliqui, inter quos Pasqualigus *decis.* 80. quia, inquit, aqua turulenta non est apta ad lavandum, cum potius polluat. Nulla ergo aqua turbida, immo nec aqua maritima apta erit materia? Hæc opinio falsa est, & opposita vera, quam docet S. Thomas *loc. cit.* cuius doctrina in hac materia semper habenda præ oculis est. *In qualibet aqua* (inquit) *qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri baptismus.* Et ad 2. addit: *Admixtio chrismatis non solvit speciem aquæ, sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum huiusmodi: nisi forte fit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena substantia quam de aqua; quod ex spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus; sicut & in aqua quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.* Item potiori iure dicendum de lixivio est, ut subdit Angelicus *ad* 4. Hanc sententiam communiter amplectuntur Auctores, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* IX. & *quæst.* X. quærit, num guttæ aquæ, quæ ex tegumento ollæ, aliis vaporibus densatis, colliguntur, constituant aptam baptismi materiam? Et probabilius affirmative respondet: quam opinionem non audeo improbare, cum ex doctrina recitata S. Thomæ erui posse videatur.

X. Disputat quoque ibidem Leander *quæst.* XI. num aqua quæ manavit ex latere Christi Domini, potuerit esse aqua baptismi. Quam difficultatem sibi proponit S. Thomas *loc. cit. arg.* 3. cui respondet, aquam illam fuisse puram, atque adeo aptam materiam. *Fuit autem aqua pura*, inquit, *miraculose egrediens a corpore mortuo, sicut & sanguis, ad comprobandam veritatem dominici corporis, contra Manichæorum errorem.*

XI. Cervisia, ptisana, lac, urina, saliva, sudor, sputum, lacrymæ sunt baptismi materia, ut contendit Lutherus: a quo petendum est, ut adducat aliquem Scripturæ textum

tum quo id perſpicue exprimatur; cum nihil quod expreſſum non ſit in Scriptura, admittere cum ſuis gregalibus velit. Baunius, & Caſtropalaus, inquit Leander *quæſt.* XIII. inſtante neceſſitate, probabile iudicant, poſſe adminiſtrari baptiſmum in ſaliva, ſudore, vel ſputo: quam opinionem merito improbat.

XII. Quæſt. IX. *Utrum aqua diſtillata ex floribus ſit materia baptiſmi?* Reſp. Nulla aqua artificialis apta eſt baptiſmi materia, ut perſpicue declarat S. Thomas *loc. cit. ad* 5. his verbis. *Dicendum, quod aqua roſacea eſt liquor roſæ reſolutus: unde in ea non poteſt fieri baptiſmus, & eadem ratione nec in aquis alchimicis, ſicut nec in vino. Nec eſt eadem ratio de aquis pluvialibus, quæ generantur ex maiori parte ex ſublimatione vaporum reſolutorum ex aquis; minimum autem eſt ibi de liquoribus corporum mixtorum; qui tamen per huiuſmodi ſublimationem virtute naturæ, quæ eſt fortior arte, reſolvuntur in veram aquam: quod ars facere non poteſt. Unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicuius corporis mixti: quod de aquis roſaceis, & aquis alchimicis dici non poteſt.*

XIII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. num.* 260. refert multos ex Mendo, & Diana, qui probabiliter cenſent, in extrema neceſſitate adhibendam ſub conditione eſſe aquam roſaceam, & ſimiles ſuccos arte diſtillatos: quam opinionem de more non improbat, ſed e contrario probat. Leander *quæſt.* XV. teſtatur, omnes communiter Doctores talem opinionem reiicere. Reſpondet P. La-Croix *loc. cit.* ad Pignatellum, aſſerentem certum eſſe eiuſmodi liquores eſſe materiam invalidam, ita eum loqui ex ſuppoſitione quod eiuſmodi liquores non ſint aqua naturalis. *Recentiores autem dicunt per diſtillationem extrahi in ſubſtantia aquam naturalem, licet qualitates alias ſecum trahat.* Verum habet. Recentiores iſti aquam artificialem vocant naturalem, ſicut vitium interdum vocant virtutem, & illicitum licitum, & bonum malum, & malum bonum. Contra recentiores iſtos clamant omnes antiqui, & moderni graviores Theologi: ideo illorum opinio reiicienda eſt. Falſam ſimiliter reputo opinionem eiuſdem P. La-Croix, qui ibidem *num.* 261. aſſerit, atramentum tenue videri materiam validam, quod dici poſſit aqua nigrore colorata, qua Æthiops diceretur ſe lavare. Atramentum quandoque fit ex vino: quo in caſu certum eſt eſſe materiam ineptam: & etiamſi fiat ex aqua, tum coaleſcit mixtum naturæ omnino diverſæ ab aqua. Nemo hactenus effutire auſus eſt aquam aptam eſſe ad ſcribendum. De atramento quod ſcribendo inſervit, loquitur P. La-Croix. Ergo atramentum iſtud nullo modo dici aqua naturalis poteſt.

CAPUT IV.

De materia proxima baptiſmi.

I. AQua naturalis, abſolute accepta, materia remota: aquæ uſus, quo abluitur corpus, dicitur materia proxima. Hæc ablutio alia activa ex parte baptizantis, qui abluit; alia paſſiva reſpectu baptizati, qui abluitur. Triplex diverſis temporibus modus abluendi obtinuit, per *immerſionem*, per *infuſionem*, per *aſperſionem*. Immerſio primum trina, poſt ſimplex obtinuit.

II. Priſcis Eccleſiæ ſæculis diſciplina vigebat baptizandi per trinam immerſionem. Id teſtantur Eccleſiæ Patres, quorum aliqui opinantur, ter baptizatum mergi *propter Trinitatis myſterium*. Tertullianus de corona militis cap. III. *Dehinc ter mergitamur*: & contra Praxeam cap. XXVI. *Nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur*. S. Hieronymus adverſus Luciferianos: *Multa quæ per traditionem in Eccleſia obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter mergitare*. Qui plura cupit, legat P. Iacobum Goar, Librum ſacramentorum Gelaſii, editum a Thomaſio, & Martene *Lib. I. cap.* I. *art.* 18.

III. Trina immerſio non fuit uſque ad ſæculum XIII. ita univerſe recepta, ut probatus interdum non fuerit baptiſmus unica immerſione, aut infuſione adminiſtratus. Nam *clinicos*, ideſt decumbentes in lecto, perfuſione baptizatos fuiſſe, colligitur ex S. Cypriani *epiſt.* LXXVI. ad Magnum. Iſtorum clinicorum baptiſma, ſuperinfuſione adminiſtratum, probavit Synodus Neocæſarienſis *can.* XII. Immerſionem trinam ſæculo VI. deſeruerunt Hiſpaniarum Epiſcopi plures, quod inde Ariani argumentum repeterent ad negandam oppugnandamque ſanctiſſimæ Trinitatis *conſubſtantialitatem*. Novum ab Hiſpanis Epiſcopis inductum ritum baptizandi per unicam immerſionem ratum habuit S. Gregorius Magnus; declaravitque trinam apud Romanos immerſionem obtinere *Lib. I. Epiſt.* XLIII. ubi inquit: *In una fide non officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur*. Negat Alcuinus, qui novum Hiſpanorum ritum improbat, epiſtolam hanc de unica

unica immerſione ſcriptam a S. Gregorio fuiſſe; ſed validis momentis illam vindicant viri eruditi. Res tanti non eſt, ut ſeverum poſtulet examen.

IV. Trinæ immerſionis ritus ſæculo XIII. adhuc obtinebat apud Latinos. S. Thomas, qui anno 1274. obiit *III. Part. quæſt.* LXVI. *art.* 7. hæc ſcribit. *Quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus; poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis*. Ex his verbis, inquit Cardinalis Gotti *quæſt.* I. *dub.* 4. §. I. *num.* 3. colligi poſſe videtur tempore S. Thomæ baptiſmum non per immerſionem, ſed per aſperſionem, vel infuſionem adminiſtrari, quamvis non ita communiter, cœptum eſſe. At verba S. Thomæ id dumtaxat quod fieri poteſt, non quod factum ſit, produnt. Immo ibidem *art.* 8. conceptis verbis gravis culpæ ſontem declarat qui per trinam immerſionem non baptizaret. Hæc ſunt illius verba. *Ideo in deteſtationem erroris eorum* (Donatiſtarum) *fuit ſtatutum in Concilio Toletano quod fieret una ſola immerſio, ubi ſic legitur: Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi immerſionem. Sed ceſſante tali cauſſa communiter obſervatur in baptiſmo trina immerſio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans: nihilominus tamen eſſet baptiſmus*.

V. Circa ſæculum itaque XIV. obtinere cœpit ritus baptizandi per aſperſionem, vel infuſionem: pluresque innovati ritus cauſſæ aſſignantur. I. Inopia miniſtrorum, qui, aucto baptizandorum numero, mergendis, ac educendis pares non erant; præſertim ex quo Diaconorum copia imminuta fuit. II. Baptizandorum commodum, potiſſimum infantium, quorum tenellæ ætati moleſta erat immerſio. III. Mulierum pudicitia, cui, malitia increſcente, conſulere Eccleſia voluit. Feminæ enim, etſi adultæ, nudato prorſus corpore, nullaque obtecta parte, immergebantur. Erant utique pluribus in locis alia pro feminis, alia pro maſculis baptiſteria: & alicubi alia hora mares, alia mulieres baptizabantur: & Diaconiſſæ feminis, Diaconi maſculis aſſiſtebant: tamen quia miniſtris baptizantibus expoſita erant nudata mulierum corpora, & ſublato Diaconiſſarum miniſterio, recenſita præſidia non fuerunt reputata valida ad cavendum periculum tum baptizantium, tum baptizandorum: ideo convenientius iudicavit Eccleſia, miſſa immerſione, inducere effuſionem. IV. Periculum, ne infans, e manibus miniſtri delapſus in fundum baptiſterii, aquis ſuffocaretur.

VI. Quæſt. unic. *Validus ne baptiſmus eſt ſive per unam, aut trinam immerſionem, ſive per effuſionem, aut aſperſionem adminiſtretur?* Reſp. Adfirmant Catholici omnes. Quoniam ablutionem Chriſtus iuſſit abſolutam, nullo præſcripto modo, ut ex eius verbis conſtat: *Baptizantes eos* &c. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Ergo quocumque modo ablutio fiat, valet baptiſmus. Idque confirmat Apoſtolorum exemplum, qui quandoque unum, quandoque alterum modum uſurparunt. Immerſione Philippus Eunuchum baptizavit *Act.* VIII. Infuſione, aut aſperſione plurimos baptizaſſe Petrum, alioſque Apoſtolos, ex *Act.* IV. colligitur. Tria hominum millia eodem die baptiſma ſuſcepiſſe ibi legitur. Quis autem ſibi in animum induxerit, Petrum, alioſve Apoſtolos tam brevi temporis ſpatio potuiſſe per trinam immerſionem tingere tantam hominum multitudinem?

VII. Conſuetudo diverſa, quæ variis temporibus in Eccleſia viguit, propoſitam ſententiam confirmat. Nam priſcis temporibus trinam obtinuiſſe immerſionem certum eſt. Poſt alicubi una immerſio inducta fuit: ut ex S. Cypriano, ex diſciplina plurium Hiſpaniæ Eccleſiarum, ex Gregorio Magno indicatum eſt, & plura alia adduci in confirmationem documenta poſſent. Tandem compertum quoque eſt, in Eccleſia Latina, Græcis morem ſuum ſervantibus, verſus finem ſæculi XIV. penitus obſoleviſſe immerſionis ritum, infuſione, vel aſperſione inducta. Neque Latini Græcorum, aut Græci Latinorum baptiſma improbarunt umquam. Ritus quippe iſte ad diſciplinam, ſecus ad integritatem baptiſmi pertinet. Hinc Rituale Romanum, iuſſu Pauli V. editum, inquit: *Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem, aut per immerſionem, aut per aſperſionem; primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur*. Quid quod novatores, tametſi incredibili furore abrepti contra Eccleſiæ Romanæ ritus, baptiſmum per infuſionem adminiſtratum retinent: neque de more iurgantur, hunc modum non eſſe in ſacris litteris expreſſum?

VIII. Obiicies I. Cornelius Papa una cum Romana Synodo improbavit baptiſmum adminiſtratum Novatiano in lecto decumbenti per infuſionem; ut conſtat ex epiſtola eiuſdem Cornelii ab Fabium Antiochenum apud Euſebium *Lib. VI. hiſt. c.* XLIII. ubi hæc habentur. *Cum ab Exorciſtis foveretur, in morbum graviſſimum lapſus, dum iam iamque moriturus*

riturus creditur, in ipso in quo iacebat lectulo perfusus, baptismum suscepit: si tamen huiuscemodi baptismum suscepisse dicendus est. Heinc est quod eiusdem ordinationem improbatam ab universo Clero fuisse subdat ibidem: *eo quod non liceret quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo, perinde ac ille, perfusi fuissent, in Clerum assumi*.

IX. Communis responsio est, Cornelium, Synodumque Romanam Novatiani Antipapæ baptismum improbasse, propterea quod clinicis, seu baptizatis in lecto decumbentibus interdictum erat ne ad sacros ordines promoverentur. Quoniam præsumebatur, istos, non motu fidei, sed mortis metu perculsos, baptismum suscepisse. Idcirco irregulares taliter baptizati declarati erant. Et quia Novatianus sic baptizatus fuit, ideo eiusdem baptismus propter irregularitatem eidem annexam improbatus a Cornelio, & a Synodo Romana fuit; secus propter eiusdem integritatem, de qua numquam disputatum fuit, neque in controversiam adductum, esset ne Novatianus rebaptizandus. Dispensationem utique homo callidus, & vafer obtinuerat ab Episcopo; sed ementita pietate, & astutia illum decepit, impulitque ad sacros ordines sibi conferendos; ut eligi in Antipapam, & Cornelium e pontificio solio detrudere posset. Ad improbandum tale baptisma accessit quoque defectus confirmationis, & Eucharistiæ: quæ duo sacramenta cum non suscepisset iuxta illius temporis morem Novatianus, ideo perfectus non fuit habitus eiusdem baptismus; ut subdit idem Cornelius loc. cit. *Neque, postquam liberatus est morbo, reliqua percepit quæ iuxta ecclesiasticam regulam percipi debent; neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* Non ergo de validitate, sed de perfectione baptismi diffidium fuit.

X. Obiiciunt 2. Canon. 50. eorum qui Apostolici nuncupantur, depositionis pœnam infligit Episcopo, aut Presbytero, non baptizanti per trinam immersionem. Item Pelagius Papa *epist. ad Gaudentium* expresse asserit, evangelico præcepto Christum Dominum trinam immersionem iubere. Resp. Depositionis pœnam citatus canon infligit propter violatum in baptismi administratione ritum: nullo vero modo declarat, baptismum una immersione collatum, invalidum esse. Similiter Pelagius Papa II. animadvertit in audaciam Bonosiacorum, eorumque baptismum improbat, propter violatam formam in eiusdem administratione. *Baptizabant enim*, inquit Pontifex, *solummodo in mortem Christi una immersione*. Lege S. Thomam III. *Part. q.* LXVI. *art.* 8. *ad* 2. ubi fuse explicat quid nomine præcepti evangelici Pelagius Papa intellexerit.

CAPUT V.

Plures quæstiunculæ casuisticæ resolvuntur.

I. Quæst. I. *Liberum ne ministris est, baptismum aut una, vel trina immersione, aut infusione, vel aspersione administrare?* Resp. Quamquam, ut dictum est, hi omnes ritus satis sint ad baptismum validum ministrandum; peccaret tamen, & quidem graviter, qui nulla cogente necessitate, suæ Ecclesiæ ritum violaret. Saluberrimum est S. Augustini monitum *epist.* CXIX. ad Ianuarium. *Nulla disciplina melior est gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit: quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est tenendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem, tenendum est*. Iam supra ostensum est ex Concilio Tridentino, Ecclesiam præditam esse potestate præcipiendi, immutandi, innovandi ritus illos quos pro temporum diversitate iudicat convenientiores: cui præcepto omnes fideles obnoxii sunt.

II. Quæst. II. *Qualis infusio fieri in baptismo debet?* Resp. Talis infusio facienda est, quæ satis sit ut baptizatus iuxta communem usum loquendi vere ablutus dicatur. Et curandum est ut præcipua corporis pars, nempe caput, abluatur.

III. Quæst. III. *An infans in utero matris inclusus baptizari possit, utero matris abluto?* Resp. Paulus Comitolus *Lib. I. quæst.* XIII. fuse versat hanc quæstionem, sed non, ut solet, perspicue. Proponit disputandum, utrum validum baptisma sit, dum infantis caput in utero matris abluitur, pronuntiata forma. Pro sententia adfirmante refert Gabrielem, & Victoriam. Solam negantem esse veram definit. At distinctione opus est. Aut infantis aliqua pars visibilis extra alvum parturientis egressa apparet; aut secus. Si primum; certum est conferri baptismum posse, inquit S. Thomas III. *Part. quæst.* LXVIII. *art.* II. *ad* 4. urgente tantum necessitate. *Dicendum, quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente; & non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo*.

IV. S. Thomæ doctrinam probat Rituale Romanum. *Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Si tamen infantis caput emerserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite: nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emerserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus eo modo quo supra dictum est: Si non es baptizatus, ego te baptizo* &c. Ex his constat secundum, nempe, si nullum infantis membrum visibile egressum appareat, nullo modo ministrari baptismum posse, & ministratum nullum esse.

V. Quæst. IV. *Utrum valide baptizetur infans in utero matris inclusus, si obstetricis arte possit super ipsum aqua immitti?* Respond. Leander *qu.* XXI. adfirmantem sententiam ut probabiliorem defendit; & pro eadem laudat Valentiam, Victoriam, Gabrielem, Reginaldum, & alios. Hæc est opinio quam laudatus Comitolus acriter oppugnat: & quidem merito, ut ex allata S. Thomæ, & Ritualis Romani doctrina clare constat. Eamdem reiicit S. Augustinus *epist.* LVII. ad Dardanum, ubi, duplici distincta nativitate, altera per quam mulier est prægnans, altera per quam est pariens, hæc docet. *Dominus autem cum hinc loqueretur*, Nisi quis, *inquit*, renatus fuerit denuo, *eam scilicet computans primam nativitatem quæ fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tamquam iterum natus sit, qui iam semel natus fuerat in utero: sed illa nativitate non computata quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & spiritu.... Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quum restat illi adhuc nasci, renascitur ergo ante quam nascitur; quod fieri nullo modo potest*. Falsa igitur est Leandri, & aliorum opinio. Et quamvis, aperto uteri ostio, dum protrudere partum mulier nititur, possit obstetricis manu infans tangi, cerni tamen oculis nequit: immo mortuus ne, an vivus infans sit, æque matri ac obstetrici ignotum est. Non ergo fas est ut immitti aqua possit, tangique infantis corpus; sed requiritur ut ex alvo mulieris aut in totum, aut in partem baptizandus appareat. At numquid, inquiunt, æternum peribunt sine baptismate tot infantes in alvo matris exstincti? Cur hoc eveniat, non a nobis, sed a Deo quærendum, discendumque est. Arcana hæc sunt quæ humanam fugiunt rationem, quæque in divino consilio abscondita suspicere & venerari pii prudentesque viri debent, non temere investigare.

VI. Quæst. V. *An, si infans pelle secundina involutus baptizetur, validus baptismus sit?* Resp. Infantem pellicula secundina involutum, valide baptizari posse adfirmant, inquit Leander *qu.* XXII. *Aureolus*, *Angelus*, *Sylvester*, *Hurtado*, *Armilla*, *Ægidius*, *Ochagavia*, *Vasquez*, *Castropalaus*, *Trullenchus*, *Dicastillo*, & alii. Oppositam opinionem ut probabiliorem defendit ipse Leander. Ego inter opiniones istas hanc interponendam existimo. Aut imminet mortis periculum, aut secus. Si primum, fracta pellicula baptizetur puer; si secundum, exuta pellicula administretur de more baptisma.

VII. Quæst. VI. *Si aqua capillos tantum, aut vestes tangat, validus ne baptismus est?* Resp. Adfirmantem opinionem, ad capillorum tactum quod attinet, ut probabiliorem defendit Leander *quæst.* XXIV. & pro eadem laudat Sotum, Valentiam, Suarezium, Toletum, Granadum, & alios. Quoniam capillis ablutis, moraliter ablutum caput dicitur: quod ad baptismum sufficit. Confirmat exemplo S. Petri, qui tot millia uno die aspergendo baptizavit. Probabile autem est, multorum capillos dumtaxat aquam tetigisse. Hanc opinionem ut falsam explodunt graviores Theologi. Mitto quod capilli non sint corporis partes; sed aio, physice, non moraliter abluendum esse caput baptizandi. Quod de baptismo S. Petri obtruditur, levicula divinatio est.

VIII. Si aqua supra vestes aspergatur, probabiliter valere baptismum docent, inquit Leander *quæst.* XXIII. Valentia, Soto, Vega. Oppositam probabiliorem iudicat Leander ipse, nisi vestes ita subtiles sint, ut aqua attingere carnes valeat. Laudat pro eadem opinione plurimos. Verum & hanc opinionem, ut vanum commentum, reiicimus. In sacramentorum administratione non hominum arbitraria interpretamenta, sed sacri Ecclesiæ ritus servandi sunt. Super nudum aut caput, aut corpus effundendam aquam Ecclesia præscribit, & effundit reipsa.

IX. Quæst. VII. *Validus ne baptismus est, si solus pes, aut digitus infantis abluatur?* Resp. Adfirmantem opinionem ut probabiliorem defendunt Vasquez, Durandus, Filliucius, & alii, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* XXV. Opinionis istius falsitas patet ex eo quod Rituale Romanum supra citatum præscribat iterum baptizandum sub conditione infantem cuius caput ablutum non fuerit. Idem docet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVIII. *art.* II. *ad* 4. Si puer propter periculum baptizetur in capite, non est iterum baptizandus sub conditione, si vero in quacumque alia parte baptizetur, iterum sub conditione est baptizandus.

X. Quæst. VIII. *Si quis ob aquæ penuriam in puteum, aut flumen infantem proiiciat morti proximum, valet ne baptismus, si formam pronuntiet, dum in aqua infans reperitur?* Resp. Negantem sententiam defendunt cum Scoto in *IV. dist.* IV. *quæst.* III. communiter Scotistæ, ut Mastrius *disp.* II. *quæst.* II. *art.* I. Frassem *Tom. X. pag.* 258. In eam sententiam concedit Dominicus Soto in *IV. dist.* III. *art.* 8. Habert *cap.* III. *quæst.* III. pro hac opinione citat Ricardum de Media Villa in *IV. dist.* IV. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. Sed inutilem appellat quæstionem. Esto. Saltem raro accidere casus potest, quem reipsa contigisse narrat Panormitanus. Pro hac eadem opinione Leander *quæst.* XXVIII. laudat Sylvestrum, Armillam, Trullenchum, Tabienam, & alios.

XI. Contrariam sententiam veram existimo, eamque propugnant Victoria *quæst.* XVI. Panormitanus in cap. *Non ut apponeres*, Suarez *disp.* XX. *sect.* 3. Valentia *disp.* IV. *quæst.* I. *punct.* 2. Bonacina *disp.* II. *quæst.* II. *punct.* 4. Vasquez *disput.* CXLV. *cap.* II. Laymanus *cap.* III. *num.* 3. Gabriel *disp.* CXI. *quæst.* II. Maior *dist.* IV. *quæst.* I. Candidus *disquis.* XVI. Filliucius *tract.* VII. *cap.* II. Reginaldus *Lib.* XXVII. *num.* 21. Dicastillo *disp.* I. *dub.* 3. Castropalaus *punct.* 4. *num.* 10. Leander *quæst.* XXVIII. Gonet *art.* 2. Salmanticenses *tract.* I. *cap.* II. *punct.* I. *num.* 25. Laurentius Berti *cap.* VII. laudatque Gavardum, Vanroy, Pietre, Guerrero perdoctos Augustinianos. Obvia est huius sententiæ ratio. Tria ad hoc sacramentum requiruntur, verbum, elementum, & ministri intentio. Adsunt hæc omnia in casu posito. Supponimus enim, proiicientem infantem in puteum formam proferre cum intentione perficiendi sacramentum. Sit impia actio. At impietas ministri non reddit sacramentum nullum.

XII. Opponunt adversarii. Deest materia proxima: quia puer sic proiectus, nec aspergitur, nec immergitur, nec infunditur aqua super eum. Neque enim potest esse immersio cui non succedit emersio. Quis, inquit Dominicus Soto, vel sordidum canem in profundum demergens puteum, unde evadere nequeat, dicetur illum abluere, & non potius occidere? Respondent nostræ sententiæ patroni, veram hic contingere immersionem; immo nimis completam addo ego: neque enim necesse est ut qui immergitur, emergat. Quin, ut advertit Cl. Laurentius Berti, si vim spectemus latini vocabuli, immergere non aliud adfert quam in profundum obruere. Quid, si, ubi obtinet consuetudo ministrandi baptismum per immersionem, dilabatur infans e manibus ministri in profundum baptisterii, pronuntietque minister formam, antequam moriatur infans: nullum ne tunc baptisma erit? Nec est quod in raro casu explicando diutius immoremur. Validus similiter baptismus erit, si administretur aqua venenata, aut ferventi, & cum intentione necandi baptizatum; dummodo adsit intentio baptizandi, & debita usurpetur forma. Quid, si quis videat puerum labentem, aut ab alio proiectum in puteum, vel in flumen, pronuntietque formam cum intentione baptizandi? Validum ne baptisma istud? Adfirmant Sotus, Ledesma, Trullenchus, Filliucius, Leander, & alii. Et profecto, si cum e manibus ministri casu dilabitur infans in profundum baptisterii, validum est baptisma, ut dixi; non video cur validum similiter istud non sit. Quod enim a ministrante non abluatur, differentia solum materialis videtur. Et sane iuxta antiquum ritum Sacerdotes nudatas mulieres non lavabant, nec immergebant. Diaconissæ corpora sacro oleo ungebant, & Sacerdos solum frontem baptizatæ tangebat, ut pudori, & modestiæ consultum esset. Valere quoque baptismum dicimus, si quis aquæ defluenti e tecto submittat puerum abluendum, si cetera ad baptismum necessaria serventur. Similiter si infans a baptizante fune mittatur in flumen, & ab illo vivus extrahatur, validum baptisma erit, si cetera serventur. Revocandum tamen in memoriam est, ministros semper graviter peccare, nisi, necessitate sublata, baptizent iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum.

XIII. Quæst. IX. *Licitum ne est persecare alvum mulieris desperatæ sanitatis, ut baptizetur infans?* Resp. Prægnantis mulieris sanitas desperata est. Si expectetur interitus, infans quoque cum eadem moritur. Disputatur, persecari ne absque scelere possit prægnantis feminæ alvus, ut infanti administretur baptisma? Id posse fieri, inquit Comitolus *Lib. I. quæst.* XIV. Hæc suadere ratio videtur, quod æterna infantis salus præferenda sit vitæ corporeæ feminæ prægnantis, cuius sanitas in desperatis iam est. Verum S. Thomas, cui subscribunt communiter Theologi, homicidii reos damnat qui propter baptismum ministrandum infanti vivam persecant mulierem. Hæc quippe in *IV. dist.* IV. *quæst.* I. *art.* I. *quæst.* I. *ad* 4. scribit. *Homo potius debet dimittere perire infantem quam ipse pereat, homicidii crimen in matre committens.* Iterum *III. Part. quæst.* LXVIII. *art.* II. *ad* 3. eamdem confirmat doctrinam. *Non sunt facienda mala, ut veniant bona. Rom.* III. *Et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* Hæc ratio, S. Pauli testimonio nixa, adeo est luculenta, ut nullam postulet confirmationem.

XIV. Axioma istud quod opponitur, *Vita animæ alterius anteponenda est vitæ corporis sive propriæ, sive alienæ*, non infert, quempiam aut sibi, aut alteri mortem inferre corporis posse, ut alterius, aut suæ spirituali vitæ consulat; sed eo dumtaxat pertinet ut pro æterna alterius salute sustinenda interdum mors sit. Verum sicuti virtutis est pro alterius spirituali salute mortem perpeti; ita sibi mortem inferre flagitium est detestabile, ut inquit citatus Comitolus. Idem iudicium ferendum est de muliere ultimo supplicio iudicis sententia plectenda, ex cuius supplicii dilatione infantis in utero occlusi mors impendeat. Quoniam, inquit Sotus in *IV. dist.* V. *quæst.* VII. *art.* II. ex discissione alvi materni facile necari infans potest. Præterea ultra periculum necis infantis urget ratio S. Thomæ iam producta.

CAPUT VI.

De forma baptismi.

I. ANtequam formam baptismi a Christo præscriptam expono, paucis perstringam formas quas hæretici marte suo confinxere. Primo loco eam recenseo quæ cap. *Si quis Presbyter*, dist. IV. de consecr. narratur de illis qui baptizabant, *non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in trium principii expertium, vel trium Filiorum, vel trium Paracletorum*: quam formam, ibi improbatam, rursus damnavit ann. 538. Vigilius Papa in epistola ad Profuturum. Gnostici, & Marcitæ, seu Marcosii aliam usurpabant formam, teste S. Irenæo *Lib. I. cap.* XXI. ubi inquit: *Baptizantes ita dicunt: In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Iesum descendit, in unione, & redemptione, & communione virtutum.*

II. Montanistæ, & Sabelliani ita adulterarunt baptismi formam, ut Concilium Constantinopolitanum I. post Laodicense declaraverit *can.* VII. illos ad Ecclesiam venientes recipiendos esse per baptismum, tamquam Paganos. Idem iudicium tulit Concilium Nicænum I. *can.* XIX. adversus Paulianistas, sic dictos a Paulo Samosateno. *De Paulianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut iterum baptizentur omnimodis.*

III. Arianorum alii receptam Ecclesiæ formam retinuere; ut testatur Hieronymus adversus Luciferianos, ubi reprehendit Hilarium Diaconum, quod rebaptizasset Arianos. Alii tamen iuxta propriam hæresim, qua Filium minorem esse Patre blasphemabant, formam baptismi corruperunt, sic exprimentes formam: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filii minoris* &c. Alteram formulam refert Theodorus Lector *Lib. II. collectan.* ubi narrat Deuterium Arianum Episcopum baptizasse quemdam nomine *Barbam* hoc modo: *Baptizetur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto.* Eunomianos hanc usurpasse formam scribit *hæres.* LXXVI. Epiphanius. *In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & a creato Filio procreati.*

IV. Lutherani, & Calviniani retinent Ecclesiæ catholicæ formam ad verba quod attinet. Cum tamen nullam verbis evangelicis vim inesse contendant, non ita ea necessaria iudicant, quin, iis prætermissis, conferri baptismum posse doceant. Tanta adversus Ecclesiæ Romanæ dogmata vesania aguntur, ut ipsius primi sacramenti doctrinam, & integritatem adulterare ipsos non puduerit, ut in erroribus suis sibi constarent. Sola fide iustificari hominem volunt; negantque verba sacramentorum esse consecratoria: ideo ab expressa sanctissimæ Trinitatis invocatione baptismum non pendere inferunt. Quare Lutherus de captivitate Babylonica hæc *cap. de baptism.* scribit. *Non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat baptismum, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini.* Cur ita? Quia, subdit ibidem, *in suscipientis fide, vel usu sita est virtus baptismi.* Heinc sacra-

sacramenta mera esse divinarum promissionum sigilla, omni intima virtute destituta, effutiunt.

V. Quæst. I. *Legitima ne est, & conveniens verborum forma qua Ecclesia Latina utitur?* Resp. Forma Ecclesiæ Latinæ hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Legitimam & pervetustam esse eiusmodi verborum formam, plura evincunt documenta, nempe Sacramentarium S. Gregorii Magni, in quo præfata forma *tit.* 66. non ut nova, sed ut communi usu apud Latinos usurpata præscribitur. Ordo Romanus, paullo post S. Gregorium editus in lucem, eamdem formam probat. Accedit omnium occidentalium Ecclesiarum consensus. Consule, si plura cupis, Missale Gothico-Gallicanum apud Thomasium, & Liturgiam Gallicanam a Cl. Mabillonio editam & illustratam, *titul.* 25.

VI. Convenientiam huius formæ S. Thomas *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 5. declarat. Quoniam, inquit, in ea exprimitur invocatio sanctissimæ Trinitatis, quæ est baptismi caussa princeps. Hæc verba, *Ego te baptizo*, produnt caussam instrumentalem, seu ministerialem, & subiectum, cui baptismus confertur. Dicitur *in nomine*, & non in nominibus, ut unitas essentiæ, virtutis, & operationis trium personarum divinarum manifestetur. Tandem formam hanc legitimam convenientemque definierunt Concilium Lateranense IV. Florentinum in decreto Eugenii Papæ ad Armenos, & Tridentinum *sess.* vii. *can.* iv.

VII. Quæst. II. *Valida ne est forma qua utuntur Græci?* Resp. Græcorum forma eiusmodi est: *Baptizatur servus* (vel *serva*) *Dei* N. *in nomine Partis, & Filii, & Spiritus sancti.* Olim communiter Theologi etiam doctissimi existimarunt, Græcos in baptismo ministrando usurpasse verbum *Baptizetur* in sensu optativo, seu deprecativo, vel imperativo. Et ideo Eugenius IV. utrumque modum refert, & probat in suo decreto. Nunc post edita Græcorum Euchologia omnes adfirmant, Græcorum *formam* esse enuntiativam, nempe *Baptizatur servus* &c. Rem demonstrant Arcudius *Lib. I. concord. cap.* viii. P. Iacobus Goarius noster in *not. ad Euchol.* Morinus *Lib. VIII. de Pœnit. cap.* xvi. Martene *antiq. Rit. Lib. I. cap.* xvi. In quibusdam Ritualibus vox *amen* post quamlibet divinam personam repetitur hoc modo. *Baptizetur servus Dei in nomine Patris. Amen. Et Filii. Amen. Et Spiritus sancti. Amen.*

VIII. Validam esse hanc Græcorum formam, constans est Catholicorum sententia. Idque definierunt Eugenius IV. in suo ad Armenos decreto, Leo X. in Bulla *Accepimus nuper*, & Clemens VII. in Bulla *Provisionis nostræ*. Et ratio etiam evincit. Nam hæc Græcorum forma, ad substantiam quod attinet, nihil differt a forma Ecclesiæ Latinæ, etiamsi imperativa esset; cum eiusmodi modus ex communi Theologorum consensu non immutet essentiam formæ: multo magis vero, cum certo iam constet esse *enuntiativam* per verbum *baptizatur servus* &c. In utraque enim forma exprimitur & ablutionis actio, & trium divinarum personarum invocatio, & persona quæ baptizatur.

IX. Cur autem Græci utantur verbo *Baptizatur*, potius quam *Ego baptizo*, respondet S. Thomas *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 5. *ad* 1. his verbis. *Græci non attribuunt actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes:* Ego sum Pauli, ego Cephæ; *& ideo dicunt:* Baptizetur (sive baptizatur) servus Christi talis in nomine Patris *&c. Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum. Quod autem additur* ego *in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis.* Hinc reprimitur quorumdam recentium Græculorum audacia, qui propter hanc voculam *ego* vellicare non erubescunt Ecclesiæ Latinæ baptismum. Neque enim nos ad substantiam formæ pertinere hanc vocem asserimus, sed ad maiorem, ut inquit S. Thomas, intentionis expressionem.

X. Quæst. III. *Requiritur ne ad validitatem baptismi ut exprimatur actus baptizantis per verbum* Baptizo, *aut* Baptizatur? Resp. Sententiam adfirmantem propugnant omnes; eamque definivit Alexander III. in *III. Decret. tit.* xlii. *cap.* 1. his verbis. *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & non dixerit:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *non est puer baptizatus.* Adversus hanc pontificiam doctrinam recentiores nonnulli his ultimis temporibus scripturire non sunt veriti. Istorum commenta damnavit in hac thesi *num.* 29. Alexand. VIII. *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus.* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *prætermissis istis*, Ego te baptizo. Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, ut ex supra laudatis testimoniis patet, in huius veritatis confirmationem. Ecclesia au-

autem id hausit ex verbis evangelicis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Qua ratione omnes hinc colligunt invocandæ sanctissimæ Trinitatis necessitatem; eadem inferre debent necessitatem exprimendi ministri actionem. Atqui si licet omittere verbum *Baptizo*, licitum quoque [illegible] tere aliud vocabulum in verbis evangelicis recensitum.

XI. De more Angelicus Doctor *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 5. *ad* 2. congruentem assignat rationem cur exprimenda sit ministri actio, inquiens: *Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc quod dicitur:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: *quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss.* iii. *Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum.* Hæc S. Thomæ ratio quibusdam doctis eruditisque Theologis minus efficax visa est. Et istorum placitum adoptavit P. Milante in proposit. 27. Alexandri VIII. quia, inquit, *etsi congruentialis sit.... convincens undequaque non est.* A laureato in Thomistica schola Magistro aliquid obsequii, officiique erga Angelicum Doctorem expectandum erat. At pluris facienda illi visa est censura Farvacquesii, qui *quæst.* iv. *cap.* iii. §. 2. inefficacem præfatam rationem declaravit, quam S. Thomæ auctoritas. *Congruentialis*, & non prorsus *convincens* est ratio S. Thomæ? At numquid Angelicus Doctor, ut ineluctabilem demonstrationem illam divendit? Divinis Scripturis, traditione, & Alexandri III. decreto, quod ibidem recenset, communem doctrinam confirmat. Post de more congruentes rationes assignat. Neminem latet, eorum quæ a sola Dei voluntate pendent, ut sunt sacramenta, convincentes omnino rationes adduci non posse. Sed præsupposita divina institutione, incredibili profunditate cum perspicuitate coniuncta, S. Thomas ostendit facti convenientiam. Accedit quod Aquinas illam rationem adhibet, ut diluat obiectionem Episcopi Tornacensis, & aliorum, quam sibi in argumento secundo proponit resolvendam. Porro nulla ratio, nulla responsio solidior excogitari post traditionem Ecclesiæ potest ad diluendam præfatam oppositionem præ hac quam Angelicus exhibet. Utique P. Milante non asserit, hanc rationem esse S. Thomæ; sed scire debuisset, a S. Thoma eamdem præberi. Sed hæc obiter.

VII. Proponenda nunc est argumentatio Stephani Tornacensis, ut luculentior appareat S. Thomæ ratio. Christus dicit: *Euntes, docete omnes gentes.* Nemo heinc infert ut inter docendum pronuntiandum sit: *Ego vos doceo.* Ergo eadem ratione inferri nequit pronuntiandum esse: *Ego te baptizo.* Hæc est obiectio quam S. Thomas *loc. cit.* sibi opponit: respondet [illegible] nes fieri posse; nec determinem pro varios finiba, *In nomine Patris* &c. quia, ut Apostolus dicit, omnia in hoc nomine facienda sunt. Ut ergo finis ablutionis determinetur, necesse est ut minister id exprimat. Exemplum petitum a doctrina, ineptum est. Quoniam efficacitas doctrinæ non pendet ab intentione docentis. Ludendo, iocando, & ridendo errorem, aut veritatem docere quis potest; secus administrare sacramenta, quæ ab intentione ministri pendeant. Igitur necesse haud est ut Doctor dicat, *Doceo vos*; at oportet ut dicat, *Baptizo*, aut *baptizatur*. Nullius pariter momenti sunt alia quæ obtrudi exempla solent: quia in iisdem actiones seipsis determinatæ sunt ad effectum producendum. Quæ hactenus dicta sunt, semper cum traditione Ecclesiæ copulata accipi debent: sic enim mutuo se se confirmant, & muniunt. Siquidem ex perpetua Ecclesiæ traditione semper adhibita sunt verba: *Ego te baptizo*, aut *baptizatur* &c. Ecclesiæ traditio non est ratione destituta. Ergo ratio traditionem, & traditio rationem firmat.

XIII. Quæst. IV. *Collatus ne aliquando baptismus fuit in nomine Iesu, aut Christi tantum, prætermissa Trinitatis invocatione?* Resp. Adfirmantem opinionem propugnant S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus cum universa fere eius Schola. Immo tempore S. Thomæ communis hæc erat inter Theologos sententia. Reverendissimus P. Augustinus ORSI vir sane doctissimus, & in præsens sacri Palatii Magister ob præclara sua merita institutus, illustrandam suscepit Angelici Doctoris sententiam. Illius litterarii conatus non eo pertinent, ut extra disputationis aleam constituat S. Thomæ, & Scholasticorum illius temporis communem doctrinam; sed ut probabilitatem eidem asserat, vindicetque ab oppugnatoribus, qui ad inanes fabulas eamdem reiicere audebant. Intra hæc moderationis, & modestiæ confinia suam ille coercet disputationem. Quis porro consilium adeo prudens, modestum, cautumque improbare iure valet? Alterutrum enim. Aut negandum, probabilem esse sententiam quam S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Schola Thomisti-

mistica, & Scotistica communiter defendunt: aut concedendum. Qui primum negant, truncos se perhibent. Secundum ergo fateantur necessum est. Porro, si revera probabilis, potissimum probabilitate extrinsecus arcessita, præfata opinio est: quis, nisi fatuus, aut simultatis prurigine ductus, carpere eiusmodi probabilitatis assertorem potest? Hæc pauca evincunt quam fuerit labor Reverendissimi ORSI. Et tamen inventus homo est, qui vitilitigandi cachoete tactus, adversus dissertationem eiusdem ORSI tanto furore, & acri disputatione irruerit, ac si monstruosum aliquod commentum profligandum illi fuisset. Sed ferocientes adversarii spiritus compressit Cl. ORSI, editis suæ dissertationis eruditissimis vindiciis. Hæc delibasse sufficiat, ut data occasione patefacerem Reverendissimi ORSI conatus pro asserenda S. Thomæ, & communis olim Thomisticæ, & Scotisticæ Scholæ doctrina ab iniustis censuris, commendandos esse, & imprudens, irritumque molimentum adversarii. Ad meritum vero quæstionis quod attinet, nihil in præsentia pronuntiandum existimo. Utramque partem optimo in lumine collocarunt docti eruditique Theologi. Quare actum agerem, si quidquam adiicerem.

CAPUT VII.

Quæstiones quæ disputari in utramque partem a Casuistis solent, resolvuntur.

I. QUæst. I. *Qui deliberate omitteret in forma baptismi hanc particulam* Ego, *peccaret ne graviter?* Resp. Omnes cum S. Thoma *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 5. fatentur, præfatam particulam ad formæ substantiam non pertinere. Disputant vero in utramque partem Casuistæ, sit ne grave, an leve peccatum omissio præfatæ particulæ. Gravem culpam esse adfirmant Filliucius, Olcot, Graffius, Turrecremata apud Leandrum *disp.* III. *quæst.* III. ubi ipse ut quid probabilius defendit esse levem; laudatque Sotum, Vasquez, Iavellum, Granadum, Ledesmam, Henriquez, Castropalaum, & alios. Gravitatis istius malitiæ trutinæ mihi desunt. Scio peccatum esse; at peccati gradum ignoro. Qui ex negligentia omittit, peccat venialiter. Qua ratione vero excusandus esset a mortali culpa qui hanc particulam deliberate omitteret, profecto ignoro. Nam hæc deliberata omissio vix esse potest a contemptu ritus ecclesiastici immunis. Levis est materia absolute spectata; at in forma sacramentali singulæ voces gravis sunt momenti. Quoniam autem nemo nisi fatuus, dum baptizat, deliberate omittere potest hanc particulam; ideo a prolixiore disputatione abstineo.

II. Quæst. II. *Validum ne baptisma esset, si minister loco* Ego *diceret* [illegible] *baptizamus?* Resp. [illegible] plures, si baptizans sit Papa, aut Episcopus; secus, si baptizans sit persona vulgaris, & privata, ut Parochus &c. Altera sententia docet, in utroque casu validum esse baptisma: quoniam etiam personæ vulgares, & privatæ solent loco *ego* dicere *nos*. Qui tamen ita baptizaret, peccaret. Sit ne vero gravis, an levis hæc culpa, ut supra dixi, ignoro. Validum quoque baptisma adfirmant plures, si minister diceret: *Ego Petrus: ego Sacerdos baptizo* &c. Quia hæc additio substantiam formæ non variat.

III. Quæst. III. *Utrum, si plures baptizarent simul, unum conferrent baptismum?* Resp. Adfirmant Caietanus *quæst.* lxvii. *art.* 7. Paludanus in *IV. dist.* III. *quæst.* II. Durandus, Ricardus, Valentia: & est communis sententia, ac vera, si singuli applicent materiam, & pronuntient formam, habeantque intentionem. Sunt enim omnes caussæ instrumentales, non principes. Qui prius proferret verba, baptizaret. Qui postea pronuntiarent formam, non baptizarent, sed sacrilegium committerent, eo quod baptisma repeterent.

IV. Quæst. IV. *Hæc particula* TE *est ne de baptismi essentia?* Resp. Sunt qui negant; sed communis, & vera sententia adfirmat. Nisi enim subiectum exprimatur, non designatur certa, & determinata actio ministri; sed indifferens, & vaga remanet. Baptisma autem vi formæ applicari personæ illud suscipienti debet. Postremum in nullo Euchologio, in nullo Rituali forma baptismi reperitur, in quo persona quæ suscipere baptisma debet, non exprimatur. Accedit, hoc perspicue contineri in evangelicis verbis, *Baptizantes eos*.

V. Quæst. V. *Peccaret ne mortaliter qui exprimeret nomen baptizati, dicens: Ego te baptizo Petrum in nomine &c.* Resp. Disputant in utramque partem recentiores. Peccare hunc ministrum adfirmant omnes. Ego de more dico, me latere istius malitiæ gradum. Illud repetam, ritus administrandi sacramenta, & præsertim illos qui formas a Christo Domino institutas spectant, integre, absque ulla aut detractione, aut additione servandos esse, cum summi momenti sint. Quare non video quomodo excusari a gravi culpa possit qui deliberato animo quidquam addat, variet, aut diminuat.

VI. Quæst. VI. *Validum ne efficeret baptisma qui loco* Baptizo, *diceret, Mergo, intingo, lavo, abluo?* Resp. Negant Alensis *quæst.* VIII. *de baptismo*. Gabriel *in IV. dist.* III. Glossa Decreti in cap. *Multi sunt*, Innocentius IV. in cap. *Si quis puerum*. At ratum, legitimumque iudicat communis, & mihi vera sententia, quam defendunt Soto *in IV. dist.* III. *quæst. unic. art.* 5. Suarezius *disp.* XXI. *sect.* 2. Toletus *Lib. II. cap.* XIX. Vasquez *disput.* CXLII. *cap.* II. Laurentius Berti *Lib. XXXI. cap.* X. & communiter Casuistæ. Nam hæc verba *baptizo, abluo, tingo, mergo* sunt synonyma. Et reipsa Tertullianus *Lib. de baptism. cap.* XIII. & *de corona militis cap.* III. pro *baptizare* usurpat *mergitare, tingere* &c. Similiter Cyprianus *epist.* XXII. ad Clerum Romanum pro *baptizare* usurpat *tingere*. S. Hieronymus *in cap.* XXVIII. *Matth.* scribit: *Iussit Apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento*. Glossa Decret. Innocentius IV. aliique oppositæ sententiæ patroni negant conferri validum baptisma in proposito casu, existimantes ministrum qui præfata verba usurpat, non habere intentionem faciendi rem sacram iuxta Ecclesiæ ritum, & intentionem. Quoniam iuxta communem consuetudinem loquendi hæc verba *lavare, abluere* profanam, non sacramentalem significant ablutionem. Sed intentio pendet a voluntate ministri, & ceteræ circumstantiæ eam declarant.

VII. Quæst. VII. *Particula* IN *est ne de essentia baptismi: aut graviter peccaret qui illam deliberate omitteret?* Resp. Ut de prima quæstionis parte loquamur, sententiam negantem, tamquam probabiliorem, defendit Leander *quæst.* II. quod dempta præfata particula *IN* remaneat integer sensus: & citat Dianam, Filliucium, Candidum, Hurtadum, aliosque. Graviores Theologi, Comitolus, Sotus, Maior, Navarrus, Gabriel, & alii plures adfirmant, eo quod omissio istius particulæ sensum variat. Dum enim minister dicit: *Baptizo te nomine Patris, & Filii* &c. ostendit se auctoritate, vel potestate, vel imperio trium personarum id facere. Quare, cum de validitate sacramenti agatur, hæc secunda sententia mihi probatur. Ad secundam partem quod attinet, peccare mortaliter talem particulam omittentem, mihi certum est, cum sacramenti validitatem dubio exponat. Idque docent omnes secundæ opinionis assertores.

VIII. Quæst. VIII. *Valide ne baptizaret qui diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti?* Resp. Negat Martinus Bonacina *disp.* II. *quæst.* II. *punct.* 4. cui adhærent nonnulli alii. Sed hæc opinio falsa est, cum repetitio istius nominis nullo modo sensum formæ a Christo institutæ immutet. Et hæc forma cum nominis repetitione usurpata reperitur in Rituali Ecclesiæ Alexandrinæ *Tom. IV. Biblioth. PP. pag.* 58. Item in Sacramentario Gelasii, & in Sacramentario Gallicano, edito a Mabillonio *Tom. I. Mus. Ital.* ubi aliquando tribus, aliquando duabus vicibus *Tò nomen* repetitum legitur. Quis improbabit hanc formam, *Baptizo te in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus sancti?* Porro si repetitio istius vocabuli *Deus* non multiplicat divinam substantiam; multo minus eam multiplicat repetitio *in nomine* &c. Invalidum vero esset baptisma, si loco *in nomine* quis diceret *in nominibus*: quia tum non exprimeretur unitas divinæ essentiæ.

IX. Quæst. IX. *Validus ne baptismus est hac forma administratus: Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, cum Spiritu sancto?* Resp. P. Comitolus *Lib. I. quæst.* X. fuse versat hanc quæstionem, & utriusque partis argumenta proponit; & ipse adfirmantem partem defendit. Verum, cum in ministrandis sacramentis tutiorem partem amplecti debeamus, opinio negans mihi & tutior, & probabilior est: quia in præfata forma clare non exprimitur unitas essentiæ, quam necessario exprimendam Patres docent; ut supra ostensum est.

X. Quæst. X. *Si quis omitteret* in nomine, *& substitueret* in virtute, *validum ne baptisma conferret?* Resp. Duas sententias refert Leander, & utrasque probabiles asserit. Ego, dum de sacramenti validitate dubia occurrit disputatio, vix proferre sententiam audeo. Qui adfirmant, contendunt *in virtute* idem significare ac *in nomine*. Qui negantem partem sustinent, defendunt particulam *in virtute* diversum prodere significatum ac particulam *in nomine*. Dubia ergo res est, sit ne idem significatus. Idcirco negans sententia mihi tutior, & probabilior est: ac baptismum sic administratum, ut minus sub conditione repetendum existimarem. Similiter invalidum reputo baptisma sub hac forma collatum, *Ego te baptizo in nomine sanctissimæ Trinitatis*, vel *in nomine unius, & trini*, vel *in nomine trium personarum*. Quoniam expresse non proferuntur tres divinæ personæ, quarum expressionem omnes fatentur necessariam. Invalidum multo magis reputo baptismum administratum sub hac forma, *Ego te*

te baptizo sub nomine Iesu Christi, ob eamdem rationem, quia deest expressa trium personarum invocatio.

XI. Quæst. XI. *Validum ne baptisma est sub hac forma ministratum: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque?* Resp. Adfirmat Caietanus *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 5. Sed negantem sententiam defendunt communiter & Thomistæ, & Scotistæ, Suarez, Vasquez, Estius, & communiter ceteri. Hanc eamdem sententiam docere videtur S. Thomas *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 5. *ad* 7. ubi inquit: *Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius usus est communior ad abluendum; ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina quibus communius consueverunt nominari personæ in illa lingua: nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.* Argumenta tamen Caietani fateor non esse levioris momenti: nam, missis metaphysicis speculationibus, in communi Theologorum sermone pro eodem accipi solent nomina *Genitoris, Geniti, & Spirati*. Tamen, cum de re sacramentaria agatur, communiori, & tutiori sententiæ adhærendum est. Denique omnes adfirmant, graviter eum peccaturum qui tali forma uteretur. Validum autem existimarem baptismum sub hac forma administratum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti:* quia Iesus Christus vere est Filius Patris. Similiter ratum haberem collatum baptisma sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii unigeniti, & Spiritus sancti Paracleti;* ut expresse docet S. Thomas *III. Part. quæst.* lx. *art.* 8. ubi addit: *Similiter, si quis diceret:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: & Beata Virgo te adiuvet: *erit verum baptisma: Forte autem si diceret:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & Beatæ Virginis Mariæ: *non esset baptismus: quia dicitur I. Corint.* 1. Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? *Sed hoc verum est, si sic intelligantur in nomine Beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, & per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur:* & in nomine Beatæ Virginis: *non quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem; non tollitur perfectio sacramenti.* Si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*, quin pronuntiaret, *sancti*, invalidum existimarem baptisma: quia *Spiritus* absolute non prodit tertiam personam, quæ uno nomine dicitur *Spiritus sanctus*.

XII. Quæst. XII. *Conferret ne validum baptismum qui diceret: Ego te baptizo in nomine Patris: Ego te baptizo in nomine Filii: Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti?* Resp. Negat Paulus Comitolus *Lib. I. qu.* vii. quia, inquit, hic fiunt tres ablutiones cum tribus formis imperfectis. Sed probabilior videtur sententia adfirmans, quam communiter defendunt Theologi. Sotus *in IV. dist.* iv. *quæst.* 1. *art.* 3. Estius *in IV. dist.* iii. §. 6. Toletus *Lib.* II. *cap.* xix. & multi alii, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* xxvi. Neque verum est quod asserit Comitolus, tres esse formas imperfectas. Sed una est forma perfecta moraliter continuata cum trina immersione.

XIII. Quæst. XIII. *Omissio particulæ* Et *in pronuntiatione personarum, ut si quis diceret:* In nomine Patris, Filii, Spiritus sancti *&c. redderet ne invalidum baptisma?* Resp. Adfirmant nonnulli; sed ratum esse asserendum est: quia hæc vocabula Patris, Filii, Spiritus sancti sua propria, & nativa significatione ostendunt oppositionem relationis, & consequenter distinctionem personarum. Peccaret tamen qui has particulas omitteret, & quidem graviter, si deliberate easdem a forma demeret. Similiter peccaret qui omitteret vocem *Amen;* quamvis non pertineat ad essentiam baptismi, sed sit potius administrati baptismi confirmatio.

XIV. Quæst. XIV. *Validum ne est baptisma, administratum a balbo vel imperito idiota, qui mutet, vel demat aliquam litteram verbis formæ?* Resp. Sententia adfirmans communis est, si demptio, aut mutatio litteræ sit in fine vocis. Quare validum baptisma asseritur sic administratum: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, quando ex circumstantiis manifestæ probitatis, & imperitiæ notum sit, his vocibus tres divinas personas designari. Invalidum vero baptisma esset, si ex malitia minister corrumperet præfatas voces cum prava intentione non baptizandi. Validum similiter baptisma esset, si quis ex imperfectione linguæ, aut imperitia diceret, *in nomine Patri* pro *in nomine Patris*, aut *batizo*, pro *baptizo*. Disputant quoque recentiores, validum ne foret baptisma, si quis pronuntiaret, *Ego te bap.* & propter tussim, aut respirationem paullulum quiesceret, & deinde adderet, *tizo in nomine Patris* &c. Negat Bonacina: adfirmant alii. Disputationes istæ mihi & arbitrariæ, & inutiles videntur. Si enim casus occurreret, ut mea præfert opinio, securior pars eligenda esset, & integra vox *baptizo* simul pronuntianda: neque enim repetitio prioris syllabæ eo fine ut coniungatur cum posteriori ad maiorem sacramenti securitatem, quidquam irreverentiæ præfert; immo propter reverentiam summam sacramento debitam verbum integrum simul pronuntiatur.

CAPUT VIII.

De baptismi divisione.

I. Triplex distingui baptisma solet, *fluminis, flaminis*, & *sanguinis*. Baptisma *fluminis* seu aquæ, sacramentum est hactenus explicatum. Baptismus *flaminis* est perfecta contritio, quæ baptismi votum includit. *Flaminis* appellatur, quia, cum sit perfectæ caritatis partus, a Spiritu sancto, qui *flamen* nuncupari etiam solet, excitatur. Porro hoc baptisma flaminis satis esse ad salutem, cum baptismus aquæ haberi nequeat, certum est. Baptismus *sanguinis* est martyrium. Hanc partitionem explicat S. Thomas *III. Part. quæst.* lxvi. *art.* 11. Differunt autem hæc tria, quod baptismus fluminis sit sacramentum, secus alia duo: quia, inquit S. Thomas loc. cit. *sacramentum habet rationem signi; alia vero duo conveniunt cum baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis*. Insuper baptismus aquæ est in præcepto, secus baptismus sanguinis, nisi necessitas urgeat ad christianam fidem profitendam.

II. Baptismus sanguinis, seu martyrium præstat baptismo aquæ, & flaminis, ut ait Angelicus *loc. cit. artic.* 12. quia *passio Christi operatur quidem in baptismo aquæ per quamdam figuralem repræsentationem, & in baptismo flaminis, vel pœnitentiæ per quamdam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Similiter virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquæ per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem pœnitentiæ per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis & affectionis fervorem, secundum illud Ioan.* xv. *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Nec est quod opponas, baptismum sanguinis meriti vacuum esse, si flaminis baptismo careat: quoniam baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, sed non e contrario. Ergo baptismus sanguinis præstat aliis duobus, non quidem in ratione sacramenti, cum solus baptismus aquæ sit sacramentum; sed ratione effectus, gratiæ scilicet, & caritatis.

§. UNICUS.

Martyrii notiones, & quomodo suppleat vices baptismi fluminis.

I. Quod græce *martyrium* dicitur, latine *testimonium* appellatur. *Martyr* enim *testem* proprie significat; ut S. Augustinus in *Psalm.* cxviii. declarat. *Testimonia græce martyria nuncupantur; quo verbo iam utimur pro latino: unde illos qui propter testimonium Christi diversis passionibus humiliati sunt, & usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod latine utique possemus, sed græce martyres appellamus.*

II. Primis Ecclesiæ sæculis confessores appellabantur martyres, ut habetur apud Cyprianum *epist.* xxxviii. & *epist.* iii. ad Antonianum, ubi de Cornelio ante consummatum illius martyrium inquit: *Nonne inter confessores, & martyres deputandus qui tantum temporis sedit expectare corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores?* Alii distinguebant confessores a martyribus. *Confessores* illos appellabant qui Christi fidem coram tyranno confessi, & tormentis fortiter perlatis superstites, mortem naturalem obibant; *martyres* vero qui inter ipsa supplicia vitam cum morte commutabant. Martyres, alii *designati*, quibus morti sententia indicta est; alii *consummati*, qui cruentum vitæ sacrificium in tormentis Deo offerunt; alii *vindicati*, quos Ecclesia declarat ob fidem Christi mortem oppetiisse.

III. Martyrii caussæ tres. Quarum prima est persecutor mortem inferens ob fidei caussam. Duæ itaque personæ ad martyrium necessario requiruntur. Altera est tyrannus qui infert, altera est fidelis qui ob fidei christianæ confessionem mortem sustinet. Hinc S. Augustinus Circumceliones, mortem sibi inferentes, non martyres, sed insanos appellat *Lib. I.* contra Gaudentium Donatistam *cap.* xxx. ubi inquit: *Non est hoc consilium, sed furor; non est sapientia, sed dementia*. Excusat vero sanctas mulieres, sibi pudicitiæ custodiendæ caussa mortem conscisentes: quia, inquit *Lib. I. de Civ. Dei c.* xxii. hoc fecerunt, *non humanitus deceptæ, sed divinitus iussæ; nec errantes, sed obedientes; sicut de Sampsone aliuch*

nobis fas non est credere. Non ergo quæcumque mors sat est ad martyrium, sed solum ea quæ a persecutore infertur in odium fidei christianæ. Quare falsa est sententia Theophili Raynaudi de *martyrio per pestem*: quam communiter Theologi iure improbant. Quamvis enim qui peste laborantibus inserviunt, & eadem lue inquinati obeunt, heroicum caritatis officium exerceant, & martyres per quamdam analogiam dici possint; martyres tamen ab Ecclesia non habentur, quia deest persecutor qui vim inferat in odium fidei.

IV. Altera martyrii caussa *motiva* appellatur, quæ ad martyrium movet, impellitque. In martyre hæc caussa est fidei confessio; in tyranno est fidei odium. Hic in fidei detestationem mortem infert; ille ob fidei confessionem mortem sustinet. Heinc S. Augustinus in *Psalm.* XXXIV. inquit: *Martyres non facit pœna, sed caussa*. Martyres enim testes Christi sunt, de quibus S. Lucas cap. XII. *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*. Et Ecclesia universa canit: *Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit*.

V. Ad hanc caussam pertinet cuiuscumque virtutis officium a lege divina præscriptum. Quare qui virtutem aliquam exercet, eiusque veritatem defendit, & ob eius defensionem, aut exercitium mortem sustinet, voce, aut factis testatur se Christum profiteri, & martyrii lauream sibi comparat, iuxta illud Matth. V. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Plura sunt martyrum exempla, qui ob alicuius virtutis officium mortem sustinuere. Animadvertendum tamen, martyribus illos accensendos non esse qui mortem perferrent pro aliqua veritate quæ ad fidem credendorum, agendorumve non attineret, aut pro aliqua peculiari revelatione sibi facta, vel sententia cuius veritas definita ab Ecclesia non sit. S. Thomas 2. 2. *quæst.* CXXIV. quinque articulis martyrii argumentum dispicit, & ea omnia consueta sua perspicuitate pleno in lumine collocat quæ ad exactam istius materiæ notitiam requiruntur. *Art.* 5. decernit, non solam fidem, sed cuiuscumque alterius virtutis officium esse martyrii caussam, si quis pro eo peragendo mortem oppetat. *Ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quod Deus huiusmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat; & secundum hoc possunt esse martyrii caussa. Unde & B. Ioannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuerit*. Plurima exempla producit sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. *Lib. III. cap.* XIX. SS. Martyrum qui propter alicuius virtutis officium occubuere. Docet ibidem, non fore martyres qui pro illibatæ Virginis conceptione sanguinem funderent. De voto autem illo quod alicubi emittitur mortem subeundi ob defensionem immaculatæ conceptionis, silet Pontifex sanctissimus. Librorum multitudo hac tempestate pro, & contra eiusmodi votum Italiam implevit. Verum de hoc nihil ad me. Sicut martyr zelo fidei, & virtutis christianæ defendendæ sustinere mortem debet; ita persecutores ad mortem inferendam fidei odio, aut iniquitatis patrocinio moveantur oportet, ut martyres efficiant. Persecutores autem non pagani modo, & hæretici, sed scelesti quoque Christiani esse possunt; ut habetur Matth. X. *Ad præsides, & Reges ducemini propter me . . . Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium*. Priora verba ad Gentiles, posteriora ad hæreticos, vel improbos Christianos SS. Patres referunt.

VI. Tertia martyrii caussa *finalis* appellatur: quia finis mortis sustinendæ debet esse Dei gloria. Heinc hæretici, & schismatici coronari martyrio nequeunt ob defectum veritatis, & unitatis Ecclesiæ. De his S. Cyprianus *Lib. de unit.* hæc scribit. *Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est . . . . Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus*. Et S. Augustinus *Lib. IV. de baptis. cap.* XVII. hæc scribit: *Neque baptisma hæretico prodest, quamvis Christum confessus, extra Ecclesiam fuerit occisus . . . . Hoc verissimum est. Extra Ecclesiam quippe occisus, caritatem non habuisse convincitur*.

VII. Quæst. I. *An martyrium suppleat in adultis vices baptismi fluminis, seu aquæ?* Resp. Adfirmant omnes tum Patres, tum Theologi. S. Augustinus *Lib. XIII. de Civ. Dei cap.* VII. hæc scribit. *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum: alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dicit: Qui me confessus fuerit &c.* S. Tho-

Thomas *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* II. & in *IV. distinct.* IV. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. hanc producit rationem. Baptismus aquæ est similitudo mortis Christi. Sed martyrium expressior est Christi mortis imago: nam ille figura dumtaxat, hoc vera eiusdem imitatio est. Porro si Christus suam gratiam iis confert qui lavacro aquæ suam repræsentant mortem, potiori iure suam gratiam donat iis qui sanguinis effusione suam imitantur, nedum repræsentant, passionem.

VIII. Sed potissima huius veritatis ratio & ab ipso Evangelio, & ab Ecclesiæ traditione repetitur. *Matth.* X. hæc habentur. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est*. Ecclesia pro martyribus nec preces, nec sacrificia offert; sed eorum patrocinia, & intercessionem implorat. Plurima Patrum testimonia afferre possem, quæ brevitatis studio prætereo.

IX. Quæst. II. *Utrum martyrium parvulis loco baptismi inserviat?* Resp. Sententia adfirmativa & communis, & vera est. Ecclesia quippe infantes ab Herode trucidatos ut martyres colit, in quorum laudem canit: *Cuius præconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*. Nec aliquis Patrum illorum circumcisioni, sed omnes martyrio gloriam tribuunt, nulla facta circumcisionis mentione. Quin improbabile non est aliquos fuisse incircumcisos. S. Bernardus hæc in Sermone de Innocentibus scribit. *Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari. Alioquin quomodo coævos sibi pueros puer ille qui natus est nobis, non contra nos, pateretur occidi, quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret? Ut quemadmodum ceteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc vero baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis proficeret ad sanctitatem*. Fallitur itaque Armacanus, dum circumcisioni, non martyrio, istorum infantum salutem tribuit. Aliorum opinationes de horum Innocentum martyrio refellit S. Thomas 2. 2. *quæst.* CXXIV. *art.* I. ad 1. *Quidam dixerunt, quod in Innocentibus acceleratus est miraculose liberi arbitrii usus, ita quod etiam voluntarie martyrium passi sunt. Sed quia hoc per auctoritatem Scripturæ non comprobatur, ideo melius dicendum est, quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam; ita & in occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam. Unde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphan. . . . quasi eos alloquens: Ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo qui etiam parvulis baptismum prodesse non æstimat Christi. Non habebatis ætatem qua in passurum Christum crederetis; sed habebatis carnem in qua pro Christo passuro passionem sustineretis*. Heinc sequitur, illos omnes qui ante adventum Christi Domini propter eiusdem fidem, & iustitiam occisi fuerunt, veris martyribus accensendos esse. Nam fides iustorum antiquorum respiciebat Christum venturum, sicut nostra fides respicit Christum qui iam venit. Heinc S. Augustinus in *Psalm.* LXIII. primum martyrem fuisse Abelem testatur.

X. Quæst. III. *Utrum martyrium suppleat vices baptismi aquæ ex opere operato?* Resp. Aliqui contendunt, martyrium culpam remittere, & iustificare solum ex opere operantis. Alii docent, parvulis martyrium culpam remittere ex opere operato, adultis vero ex opere operantis. Ita docent Canus, & Sotus. Sed communis, & vera sententia defendit, tam adultos, quam parvulos martyrium iustificare ex opere operato. Ratio videtur manifesta. Nam baptismus sanguinis baptismo aquæ comparatur. Ergo si baptismus aquæ ex opere operato gratiam producit, deletque culpam; potiori iure id concedendum est baptismo sanguinis, qui illo excellentior, & præstantior est, ut vidimus. Si tota baptismi sanguinis efficacitas penderet ex opere operantis, seu ex caritate; frustranea & superflua esset partitio in baptismum flaminis, & sanguinis. Accedit ferventiorem ardere posse caritatis ignem in confessoribus quam in aliquo martyre; nec propterea illi martyrii lauream assequuntur.

XI. Hanc sententiam docet S. Thomas in *IV. dist.* IV. *quæst.* III. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. his verbis. *Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex operante, neque quantum ad pœnam, qua aliquis martyrium sustinet, quam contingit non esset sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem iustæ voluntatis, quia contingit quod voluntate maiori caritate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni culpa liberari: sed hoc habet ex imitatione passionis Christi: unde de martyribus dicitur Apocal.* VII. *Laverunt stolas suas in sanguine Agni*.

gni. Similia docet 2. 2. *q.* CXXIV. *art.* 1. *ad* 1. Quam doctrinam tradit etiam Annibaldus in IV. dist. IV. quæst. unic. art. 4. *Baptismus sanguinis non habet supplere effectum baptismi fluminis ex opere operante, sicut obiiciebatur, sed ex imitatione passionis Christi.*

XII. Quæst. IV. *Quænam dispositiones requiruntur in adultis ad suscipiendum baptismum sanguinis?* Resp. Prævias dispositiones in adultis necessarias esse ad martyrium sustinendum, vera sententia docet. Prima est voluntaria acceptatio mortis in fidei odium illatæ. Martyrium enim actus fortitudinis est, & caritatis. Ergo necessaria est deliberata electio. Quare qui fugiens, aut dormiens a persecutore necaretur, martyr non haberetur. Si tamen deliberate martyrium quis acceptasset, & hanc voluntatem non retractasset, si in odium fidei occideretur dormiens, vel fugiens, martyr esset. Altera dispositio est, ut martyrium acceptetur ob fidem Christi, & ex motivo supernaturali per fidem proposito. Necessaria est quoque caritas saltem initialis & imperfecta: quoniam, ut S. Thomas 2. 2. *q.* CXXIV. *art.* 2. *ad* 2. docet, *ad actum martyrii inclinat quidem caritas sicut primum, & principale motivum, per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est quod martyrium est actus caritatis ut imperantis, fortitudinis ut elicientis. Inde etiam est quod utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex caritate, sicut & quilibet virtutis actus: & ideo sine caritate non valet.* Martyrium dicitur actus perfectissimæ caritatis, non hoc in sensu, ut caritas perfectissima illud semper antecedat, sed obiective, aut effective, quatenus vi sua caritatem producit. Necesse est ut præcedat caritas inchoata, & imperfecta, tamquam dispositio requisita: quæ postea vi ipsius martyrii perfecta evadit.

XIII. Adulti qui alicuius peccati conscii sibi sunt, purgare conscientiam suam debent eo modo quo ad baptismum aquæ, aut pœnitentiam se se disponerent. Si catechumenus est, baptismum præmittere debet; & si baptismo tinctus sit, confessionem, dum opportunitas adsit. Quæ omnia Ecclesiæ disciplina confirmantur. Nam, persecutione sæviente, aut imminente, Episcopi animabant omnes tum catechumenos, tum fideles aut ab baptisma suscipiendum, aut ad pœnitentiam præmittendam, & ad Eucharistiæ participationem, ut his roborati præsidiis, fortiores, alacrioresque fierent ad certamen luctamque sustinendam. Quot martyres catechumeni, in carceribus detenti, a sociis baptizari postulabant? S. Romanus, victima iam pro Christo destinata, S. Laurentium urgebat: *Festina me baptizare*. Alii latebras, & speluncas petebant, non ut martyrium declinarent, sed ut commodum quærerent aut baptismi suscipiendi, aut pœnitentiæ peragendæ. Omnes denique, ut milites Christi, ieiuniorum, precum, piorumque operum arma induebant, ut fortiores in futura pugna evaderent. Et hæc pauca de martyrio dicta obiter sufficiant.

CAPUT IX.

De ministro baptismi.

I. TRiplex baptismi minister. 1. Ordinarius ex officio. 2. Extraordinarius ex delegatione. 3. Necessitatis. Minister ordinarius, & solemnitatis Episcopus primum: Episcopis enim, tamquam Apostolorum successoribus, dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes* &c. Episcopi sunt dispensatores mysteriorum Dei, & potestate completa præditi sunt in mysticum Christi corpus. Post Episcopos Presbyteri sunt ministri ordinarii baptismatis: idque declarat Concilium Florentinum in decreto ad Armenos: *Minister huius sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Quamquam autem Presbyteri vi suæ ordinationis potestatem habeant solemni ritu baptizandi, sintque ordinarii ministri; dependent tamen in exercitio ab Episcopis. Quare dum olim Episcopi baptizabant diebus solemnibus, licitum non erat Presbyteris idem præstare: & etiam nunc, si Parochus præsens sit, non debet Sacerdos baptizare, eo inconsulto.

II. Diaconus, non ex officio, sed ex commissione administrare sacramentum baptismi valet, ad exemplum Philippi Diaconi, qui baptizavit Eunuchum Reginæ Æthiopum, & cum prædicasset Samaritanis, eosdem baptizavit, ut legitur Act. VIII. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.* Quamquam Diaconus vi suæ ordinationis potestate careat baptizandi; tamen, cum ordo Diaconatus proxime accedat ad Presbyteratum, consequitur ut gravi, licet non extrema, necessitate urgente baptizare & privatim, & solemniter possit, puta, si Parochus sit ægrotus, & desit Sacerdos; si differri absque gravi incommodo baptismus nequeat.

III. Laici sunt ministri, non ex officio ne-

neque ex delegatione, sed solius necessitatis, absque tamen solemni ritu. Plura obvia sunt antiquorum Patrum testimonia; sed sat est referre decisionem Concilii Florentini in decreto ad Armenos, ubi hæc statuta sunt. *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, immo etiam paganus, & hæreticus, baptizare potest; dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.* Negat hoc Calvinus *Lib. IV. Inst. cap.* XV. §. 20. Sed de more sola audacia, & odio adversus universalem Ecclesiæ disciplinam. Nam fatetur & ipse, antiquam esse hanc consuetudinem, inquiens: *Ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuit ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset.* At subdit, se non videre qua ratione id fieri possit. Sed rationem hanc viderunt probaruntque Patres, & Concilia.

IV. Tertullianus *Lib. de baptismo cap.* XVII. scribit: *Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi ius sibi pariet?* Rursus Lib. de præscript. c. XLI. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Tertullianus damnat mulieres audaces quæ in Ecclesia solemni ritu, necessitate sublata, & in virorum conspectu docere, & baptizare non reformidant. Carpit Tertullianus *petulantiam mulierum*, quæ Sacerdotum munere fungebantur, quales erant Quinctilla, & Priscilla. Ceterum sicut privatim docere mulieres valent, ita & tingere, necessitate urgente, ut idem Tertullianus docet his verbis. *Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis.* Nec amplius immorandum est in re aperta & certa.

V. Quæst. I. *Peccant ne mortaliter non Sacerdotes, qui extra necessitatis casum baptizant?* Resp. Negant aliqui, ut Caietanus, Soto, Henriquez, & alii. Sed sententia adfirmativa communis, & vera est. Quoniam solus Sacerdos est istius sacramenti ex officio minister. Ergo qui necessitate sublata baptizat, alienum ius sibi in re gravissima usurpat, & dignitatis ordinem pervertit. Ordo autem servandus eiusmodi est. Non licet mulieri, etiam necessitate urgente, si præsens sit masculus; neque laico, si adsit Clericus; nec Diacono, si adsit Sacerdos; nec Sacerdoti, si præsens sit Parochus, baptizare. Nec minori Clerico licet, si adsit Clericus superior. Hunc ordinem præscribit Rituale Romanum de ministr. baptis. *Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum; vel nisi melius femina sciret formam, & modum baptizandi.* Graviter quoque Sacerdos peccat, si, necessitate sublata, extra Ecclesiam baptizat. Verum de hoc infra.

VI. Quæst. II. *Peccat ne mortaliter laicus qui, necessitate urgente, & præsente Sacerdote, baptizat?* Resp. Venialiter tantum peccare laicum baptizantem in necessitate, præsente Sacerdote, docent Henriquez, Valentia, & alii, quos refert Leander *disp.* IV. *quæst.* VII. Sed vera sententia, quæ communis est, docet, laicum mortaliter peccare ob rationem datam, quod in re gravi sibi usurpat ius solius Sacerdotis proprium, & pervertit dignitatis ordinem. Nec soli Sacerdoti fit iniuria, sed sacramento. Quare peccaret & ipse Sacerdos, si consentiret; neque ex Sacerdotis consensu laicus culpam minueret, sublata gravi ratione præstandi talis consensus: quia sacramenti dignitas excelsa postulat ut per Sacerdotem, si fieri potest, administretur.

VII. Quæst. III. *Peccat ne mortaliter laicus qui in necessitate, præsente Diacono, baptizat?* Resp. Mortaliter peccare laicum baptizantem in præsentia Diaconi, docent Vasquez *disp.* CXLVII. *cap.* V. Reginaldus *Lib. XX. num.* 44. Filliucius *tract.* II. *num.* 82. Ioannes de la Cruz *Part. II. quæst.* II. *dub.* I. Venialiter tantum peccare probabiliter Leander defendit *quæst.* VIII. laudatque Laymanum, Bonacinam, & alios, quibus adhæret P. Viva *quæst.* I. *art.* 5. *num.* 4. quia, inquiunt, Diacono non competit baptizare ex officio. Prior sententia videtur probabilior: quia licet soli Sacerdoti ex officio tributum sit ius baptizandi, absente tamen Sacerdote, munus istud Diacono convenit, & post Diaconum ceteris Clericis. Porro falsum est in casu necessitatis ius baptizandi non devolvi ad eos qui ceteris præstant. Ordo enim hierarchiæ, naturali divinoque iure præscriptus, servari debet semper, nisi necessitas impediat. Et qui hunc violant, graviter eos peccare, probabilius mihi cum laudatis Theologis videtur. Hanc sententiam præter citatos Auctores defendunt Henricus a S. Ignatio *Lib. II. cap.* X. Vanroy *cap.* IV. Farvacquesius *cap.* IV. Laurentius Berti *Lib. XXXI. cap.* XII. Immo fatetur Leander, in hanc concedere sententiam P. Suarez *disp.* XXXI. *sec.* 4. addit tamen, eum oppositum docere *disp.* XXII. *sec.* 2. Sed, missis controversiis, ser-

servandus ordo est ab Ecclesia præscriptus. Sacerdos non baptizet, præsente Parocho, nisi consentiat; nec Diaconus, præsente Sacerdote; nec Clerici, præsente Diacono; nec laici, præsentibus Clericis; nec femina, præsente masculo. Femina tamen quandoque præfertur viro, aut formam ignoranti, aut pudori consulendi caussa.

VIII. Quæst. IV. *Laicus baptizans sine necessitate incurrit ne irregularitatem?* Resp. Si solemni ritu baptizet, adfirmat Leander *disp.* IV. *q.* X. & citat Suarez, Navarrum, Filliucium, Sotum, & alios. Idque determinatum est cap. I. *de Clerico non ordinato*. Quare hæc sententia vera est. Negat vero Leander cum aliis, laicum privatim absque solemnitate baptizantem incurrere irregularitatem. Sed etiam hoc in casu adfirmant Paludanus, Sylvester, Angelus, La-Cruz. Quid in hac opinionum diversitate dicendum? Auctoritas *Lib. V. Decret. tit.* XXVIII. *c.* I. hæc est. *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur ab Ecclesia, & numquam ordinetur.* Sermo videtur esse de Clerico non ordinato, & de laico solemni ritu exercente officium proprium Clerici ordinati. Ideo videtur non contrahere irregularitatem laicum qui privatim, & sine solemnitate baptizaret.

IX. Quæst. V. *An unus minister possit unica aspersione plures baptizare?* Resp. Adfirmant communiter omnes, probantque exemplo S. Petri, qui plurimos una die baptizavit. Tum quia non mutatur sensus formæ, inquit S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* 5. *ad* 4. per hoc quod dicatur, *Ego vos baptizo*, cum *Tò vos* nil aliud significet, nisi *te*, & *te*. Qui vero sic baptizarent absque necessitate, peccarent, & quidem mortaliter; ut docent Scotus, Gabriel, Ægidius, Filliucius, Hurtado. Leander vero consueto suo *probabiliter* quæst. XIII. contendit, hunc venialiter tantum peccare: quia, inquit, *administrare sacramentum contra usum Ecclesiæ non gravis materia, sed levis iudicari debet*. Sed hæc ratio futilis, & falsa est; immo e contrario disciplinam, & ritum Ecclesiæ in administratione sacramentorum pervertere, gravis materia iudicari debet. Quare opinio Leandri, & aliorum quos citat, mihi falsa est.

X. Quæst. VI. *Si duo essent quorum unus manibus, alter lingua careret, possent ne valide & licite baptizare, necessitate urgente?* Resp. Adfirmat Caietanus *III. Part. quæst.* LXVII. Leander *quæst.* XVI. de more respondet, id probabiliter verum esse, & varios Auctores citat. Paludanus quoque in *IV. dist.* V. huic accedit opinioni: quia, inquit, istos homines, unum elinguem, alterum brachiis truncatum, unum repræsentare hominem, & eum qui loquitur propria lingua, aliena vicaria manu baptizare. Piæ speculationes istæ sunt. Respondet S. Thomas III. Part. quæst. LXVI. art. 5. ad 4. *Si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente formam*. Nullum ergo esset præfatum baptisma, & saltem sub conditione repetendum. Addit ibidem S. Thomas, *quod plures non possunt simul baptizare: quia actus multiplicantur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur*. Quæ verba non sic intelligenda sunt, ut si singuli proferrent formam, applicarentque materiam cum intentione necessaria, non baptizarent. Supra enim *cap.* VII. *quæst.* III. dixi, validum esse hoc baptisma. Sed hæc doctrina S. Thomæ eo pertinet, ut omnes partialiter simul baptizantes formam immutarent, dicerentque, *Nos te baptizamus*; non singuli, *Ego te baptizo*. Ita se explicat ibidem Doctor sanctus. *Quod autem dicitur NOS, non est idem dicere, quod* ego, *&* ego, *sed* ego, *&* tu: *& sic iam mutaretur forma*. In hoc ergo quod plures baptizarent, dicentes, *Nos te baptizamus*, iuxta S. Doctorem, forma mutaretur. Sed clarius hanc doctrinam exponit Angelicus *q.* LXVII. *art.* 6. ubi hæc habet. *Sed considerandum est, quod ex tali forma*, Nos te baptizamus, *exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerii. Homo enim non baptizat nisi ut minister Christi, & vicem eius gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet. Propter quod signanter Apostolus dicit Ephes.* IV. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. *Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum. Si vero uterque diceret*, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret: quod posset contingere in eo casu in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur: & tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum; alius vero, quantumcumque ius baptizandi haberet, nihil faceret: &, si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus, tamquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem*

minem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione baptismi: quia utrque intenderet non baptizatum baptizare; & uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud, & aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.

XI. Quæst. VII. *Si duo tantum essent periclitanti puero præsentes, obstetrix, & Sacerdos excommunicatus, quis horum administrare baptismum deberet?* Resp. Leander *tract.* II. *de excom.* §. I. contendit, præferendum esse Sacerdotem excommunicatum: quia administrare sacramentum absque solemni ritu non est actus ordinis. Communior, & mihi probabilior opinio est, præferendum esse laicum, sive obstetricem. Quoniam Sacerdos excommunicatus est segregatus, & recisus a corpore Ecclesiæ. Porro mulier catholica præferenda est in baptismi ministerio homini ab Ecclesia separato, & satanæ tradito. Nec obstat, Sacerdotem excommunicatum in extrema necessitate absolvere posse: quoniam in nullo casu laicus absolutionem impertire potest; idcirco dispar est ratio. Hanc sententiam defendunt Navarrus, Sylvester, & plures alii.

XII. Quæst. VIII. *Valide ne quis baptizare seipsum posset, extrema urgente necessitate?* Resp. Negat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* 5. *ad* 4. inquiens: *Nullus potest baptizare seipsum, propter quod & Christus a Ioanne voluit baptizari*. Hoc idem Innocentius III. *Lib. III. Decret. tit.* XLII. rescribens Theodorico Metensi Episcopo, cui declarat, baptizandum ab alio esse *qui in mortis articulo constitutus, in aquam seipsum immersit dicens: Ego baptizo me in nomine Patris &c.* Quoniam, subdit Pontifex, *inter baptizantem & baptizatum debet esse discretio; sicut ex verbis Domini colligitur: Ite, baptizate omnes gentes* &c. Nec obest, olim laicos propria manu sumpsisse Eucharistiam, viros quidem nuda dextera, mulieres vero nitido tecta linteamine: quoniam quemadmodum quisque potest seipsum nutrire, secus generare; ita quisque potest seipsum cælesti epulo reficere, secus spiritualiter gignere. Sententia hæc communis est.

XIII. Quæst. IX. *An Parochus peccet qui, ut saluti infantis consulet, privatim baptismum administrat domi, expectans patrinum aut de longinquo venturum, aut alio negotio distentum, ut in Ecclesia solemnem ritum peragat?* Resp. Parochus iste peccare videtur: quia in Concilio Viennensi sub Clemente V. ut ex Clementina *Lib. III. tit.* XV. *cap. unic.* vetitum est *ne quis in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare; qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant*. Similia præscribit S. Pius V. in Rituali. *Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, & in aqua baptismali benedicta*. Quid quod clinici, de quibus supra dictum est, non promovebantur ad gradum Presbyterii, quod essent domi graviter decumbentes baptizati? Olim ipsi Reges, eorumque liberi ad baptisteria accedebant, ut de Theodosio iuniore narrat Baronius ad annum 401. & de Clodoveo, eiusque filio in vita S. Remigii Hincmarus Remensis Archiepiscopus. Verum hodie plurimi Regum, magnorumque Principum privilegio frui volunt. Nimis enim alicubi frequens abusus est, quo plures vel in ipsa spirituali regeneratione secerni a communi christiano populo ambiunt; ac si Christus Dominus discrimen aliquod constituisset in tanti beneficii concessione, & non æqualiter omnes ad æternam vitam regeneraret. Neque dicas, hodie superiores, ad hanc disciplinam quod attinet, dispensare. Quoniam mea non interest in aliorum inquirere dispensationes; sed quid sacramenti dignitas postulet, quid sacri canones præcipiant, explicare, atque sacrorum rituum observantiam suadere.

XIV. Quæst. X. *Parentes baptizare ne proprios filios valent, necessitate urgente: & an amittant ius debiti petendi?* Resp. Sententia adfirmans communis, & vera est quantum ad primam partem: quoniam in extremæ necessitatis casu nemo a ministrando baptismo excluditur. Quantum ad secundum similiter adfirmant omnes, parentes qui in extrema necessitate baptizarent, non amittere ius petendi debiti. Quid, si extra necessitatem pater, præsentibus multis qui baptizare possent, filium suum tingeret? Leander ut quid probabilius adfirmat, neque tum patrem amittere ius ad debitum petendum: quia, inquit *quæst.* XXXIII. nullo textu, nulloque iure evinci potest, patrem hoc ius amittere.

tere. Et pro hac opinione citat Suarez, Hurtadum, Ægidium. S. Thomas in *Supplem. quæst.* LVI. *art.* I. oppositum docet his verbis. *Sed quantum ad actum matrimonii est distinguendum: quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat filium in articulo mortis; & tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte: aut inducitur extra casum necessitatis ex ignorantia; & tunc si ille ex cuius actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sicut & de primo: aut ex industria extra casum necessitatis; & tunc ille ex cuius actu inducitur, amittit ius petendi debitum; sed tamen debet reddere, si petatur; quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare.* Falsum est quod Leander asserit, nulla probari lege posse, parentem, extra necessitatis casum baptizantem, privatum manere iure debiti petendi. Nam illa lex quæ decernit cognationem spiritualem contrahi inter baptizantem & parentes baptizati, eadem obicem ponit matrimonii usui.

XV. Quæst. XI. *Validum ne baptisma est, a Pagano, aut Iudæo administratum?* Resp. Primis Ecclesiæ sæculis de talis baptismi validitate a pluribus dubitatum fuit, & ab aliquibus declaratur nullus talis baptismus. Agrippinus Carthaginensis, S. Cyprianus, & plures alii, qui tertio sæculo nullum esse baptismum ab *hæreticis* administratum asserebant, potiori iure infidelium baptisma improbabant. S. Augustinus anceps hæsit, an baptisma ab infidelibus administratum validum esset. Nam *Lib. II. contr. epist. Parmen. c.* XIII. inquit: *Alia quæstio est, utrum & ab iis qui numquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari? Nec aliquid temere adfirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Fusius explicat hanc suam ambiguitatem *Lib. VII. de baptis. contr. Donatist. cap.* IIII. In adfirmantem tamen partem inclinat. Sæculo IX. dubitasse Bulgaros de baptismi validitate collati a Iudæo, vel Pagano, colligitur ex responsis Nicolai I. Sed S. Stephanus Papa adversus Cyprianum, aliosque Orientis Episcopos definivit, validum esse baptismum ab hæreticis administratum: & Nicolaus I. Bulgaris respondit, valere baptismum administratum sive a Iudæo, sive a Pagano; & Eugenius IV. in decreto ad Armenos declaravit, in necessitatis casu etiam Paganos baptizare posse. Et hæc est hodie universalis Ecclesiæ doctrina. Hæc omnia docet S. Thomas *III. Part. q.* LXVII. *art.* 5. ubi ait: *Hanc quæstionem Augustinus indeterminatam reliquit ..... Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est, quod non baptizati, sive sint Iudæi, sive Pagani, possunt sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizent.*

CAPUT X.

De baptismi institutione, eiusque obligatione.

I. A Christo Domino institutum baptisma fatentur omnes cum Catholici, tum hæretici. Institutionis tempus in disputationem vocatur. Contendunt aliqui, ut Albertus Magnus, & Alensis, post resurrectionem suam Christum baptisma instituisse, cum dixit Matth. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes* &c. Scotus cum aliis institutum docet ante passionem paulo post prædicationis exordium, cum Christus misit discipulos ad prædicandum, & baptizandum. Alii hanc institutionem ad tempus referunt quo Christus *Ioan.* III. dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Alii denique institutionem hanc illigant tempori quo Christus in Iordane baptizatus est.

II. Quæst. I. *Probabilius ne est Christum instituisse baptismum ante mortem, & tempore quo baptizatus in Iordane fuit?* Resp. Melchior Cano *Lib. VIII. de locis theolog. cap.* V. quamquam prudenter animadvertit posse hanc opinionem in utramque partem disputari, cum evidenter non constet istius institutionis tempus; fatetur tamen probabiliorem esse sententiam quæ institutum baptismum defendit ante passionem, & tempore quo Christus in Iordane baptizatus est; ut docent S. Augustinus, S. Ambrosius, Magister Sententiarum, S. Thomas, & graviores Theologi, quin & ipse Catechismus Romanus.

III. Prima pars ostenditur. *Ioan.* III. dicitur: *Venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Rursus cap. IV. *Ut ergo cognovit Iesus quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat quam Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.* Testimonia hæc baptismi institutionem produnt; cum institutio usum præcedat. Neque reponi potest, Christi discipulos Ioannis baptismum administrasse. Nam orta æmulatio inter utriusque, Christi, & Ioannis, discipulos, quod plures ad Christum quam ad Ioannem, baptismum percepturi accederent, clare ostendere videtur utriusque baptismatis diversitatem. Quid quod invicem disputabant, utra melior esset purificatio? Ergo

Ergo duo erant baptismata. Accedit, discipulos Christi illud ministrasse baptisma quod a Christo ipsi susceperant. Quamquam enim Christus passim plebem non baptizaret per se, sed per discipulos; verisimile tamen est, ipsum discipulis suis propriis manibus baptismum administrasse; ut S. Augustinus *epist.* CCLXV. ad Seleucianum, alias XVIII. inquit. *Baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos sive baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim baptizandi ministerium defugeret, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes.* Subdit ibidem S. Pater, utique in Evangelio non legi baptizatos a Christo discipulos; at plura facta scimus quæ scriptis commendata non fuerunt. *Sed non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur; verumtamen facta esse ex ceteris documentis probantur. Scriptum est, quando baptizatus est Apostolus Paulus, & scriptum non est, quando baptizati sunt alii Apostoli; verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus.* Tandem ante passionem Sacerdotio initiatos Apostolos, & Eucharistiæ participes effectos fuisse legimus. Ergo tincti iam erant; cum baptismus sit aliorum sacramentorum ianua.

IV. Altera quoque pars, nempe tunc Christum instituisse baptismum, cum ipse in Iordane baptizatus fuit, conformior est SS. Patribus, eamque docet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* 2. & Catechismus Concilii Tridentini *Part. II. de baptis.* §. 20. ubi hæc habentur. *Tunc a Domino hoc sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Ioanne baptizatus sanctificandi virtutem aquæ tribuit. Testantur enim Gregorius Nazianzenus, & Augustinus, eo tempore aquæ vim generandi, in spiritualem scilicet vitam, datam esse. Et alio loco ita scriptum reliquit:* Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua: *& alibi:* Baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundæ carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant. *Atque ad eam rem illud maxime argumento esse potuit, quod tum sanctissima Trinitas, in cuius nomine baptismus conficitur, numen suum præsens declaravit. Vox enim Patris audita, Filii persona aderat, & Spiritus sanctus in columbæ specie descendit: præterea cæli aperti sunt, quo nobis iam per baptismum licet ascendere.* Hæ sunt rationes cur Christus Dominus baptizari voluit, & quæ tunc institutum baptismum declarant.

V. Quæst. II. *Quando lex baptismi obligare cœpit?* Resp. Duplex est sententia. Altera contendit, hanc legem obligasse statim post resurrectionem, cum Christus dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Nam, peracta resurrectione, desiit lex antiqua, & Sacerdotium vetus in novum translatum est. Altera defendit, obligationem cœpisse solum tempore Pentecostes: quia tunc solum sufficienter promulgata fuit. At distinguenda est promulgatio, quæ subditis notitiam legis declarat, a promulgatione, quæ est ipsa publicatio legis. Cum Princeps solemniter legem suam pronuntiat, & publicat, lex ista vim obligandi habet; quamquam subditi ad eiusdem observationem non astringantur, usque dum legem invincibiliter ignorant. Tum ergo lex baptismi vim natura sua obligandi obtinuit, cum primum a Christo Domino publicata fuit. Verum si plura de hoc cupis, consule quæ scripsi *Tom. VI. dissert.* III. *de leg.*

CAPUT XI.

De baptismi necessitate.

I. Duplex necessitas, medii, & præcepti. Illud est necessarium primo modo, sine quo aut in re, aut in voto, nullo modo obtineri finis valet; uti sunt baptismus, & pœnitentia. Necessarium secundo modo dicitur quod præcepto imponitur, & sine peccato omitti nequit; haberi tamen sine eo salus potest, quoties vel ex ignorantia, vel ex alio obstaculo eiusdem observantia impeditur. Nulla vero ignorantia, nulla impossibilitas suffragatur respectu eorum quæ sunt necessaria necessitate medii. Potest quis invincibiliter ignorare baptismi legem; at non propterea gratiam quæ vi eiusdem infunditur, assequitur. Quo in casu negative ob gratiæ defectum, & positive ob peccatum sive originale, sive actuale damnationem incurrit. Hoc est etiam discrimen inter necessitatem medii, & præcepti: quod præcepti observatio respectu illius qui potest, & tenetur ad eiusdem observantiam, necessaria est necessitate medii, cum hac tamen diversitate, ut communiter Theologi animadvertunt, quod iis quæ absolute necessaria sunt necessitate medii, gratia annexa est necessaria ad salutem; ut patet in baptismo, & pœnitentia: observatio autem præcepti negative tantum necessaria necessitate medii dicitur ad salutem, ne propter præcepti violationem impedimentum aliquod ad salutem po-

ponatur, & culpa perpetretur, cui pœna respondeat damnationis. Istius necessitatis diversitas eodem modo interdum exprimitur in Scriptura divina, ut patet in baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: & in Eucharistia: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ex subiecta ergo materia diversa necessitas medii, & præcepti colligenda est. Si res conferat gratiam absolute necessariam ad salutem, ut est baptismalis; vocatur necessitas medii: si gratia non sit absolute necessaria, ut in Eucharistia; dicitur necessitas præcepti.

II. Rursus quæ cadunt sub necessitate medii, alia sunt extrinseca, ut ablutio baptismalis, alia sunt intrinseca, ut gratia sanctificans. Quæ sunt primo modo necessaria, suppleri possunt per fidem, & caritatem cum voto illa suscipiendi; quamvis in re poni ob impedimentum nequeant. Quæ sunt posteriori modo necessaria, suppleri nullo modo possunt; sed ita in re requiruntur, ut impossibilis sit salus sine eisdem. Quamobrem absque gratia sanctificante, reipsa infusa in anima, nemo salvus esse potest.

III. Tandem votum, seu desiderium alicuius rei necessariæ aliud est implicitum & generale, ut est votum servandi omnia Christi præcepta, quod seiungi a caritate perfecta nequit: fieri enim non potest ut quis salvus fiat, nisi implicitam saltem voluntatem habeat implendi omnia præcepta a Christo imposita. Aliud est votum, seu desiderium expressum, quod ex rei cognitione oritur, & tunc requiritur, quando res est necessaria necessitate medii: quia res ista tantæ est necessitatis, ut vel in re, vel in voto haberi debeat.

IV. Hæreticorum plures tum antiqui, tum novatores, baptismi necessitatem negarunt. Ex antiquis Caiani, Manichæi, Seleuciani baptismum reiecere. Ex novatoribus Wicleffus, ut ex Concilio Constantiensi *sess.* xv. constat, baptismum superfluum docuit. Eidem subscribit Bucerus.

V. Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* xv. §. 10. hæc docet. *Iam perspicuum est quam falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii persistunt, per baptismum solvi nos & eximi ab originali peccato, & a corruptione quæ ab Adam in universam posteritatem propagata est*. Rursus clarius suam hæresim exponit §. 20. *Infantes nostros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus, quum se nobis in Deum fore promittit, semique nostro post nos. Hoc verbo continetur eorum salus. Nec quisquam in Deum tam contumeliosus esse audebit, ut eius promissionem effectui suo sufficere per se neget. Quantum damni invexerit dogma illud male expositum, baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt: ideoque minus sibi cavent. Nam ubi invaluit opinio, perditos esse omnes quibus aqua tingi non contingit, nostra conditio deterior est quam veteris populi*. Non minori impudentia Sociniani, Calvinistarum soboles venefica, baptismi necessitatem de medio sustulerunt.

VI. Catholici omnes indicatos hæreticorum errores detestantur. Scholasticorum nonnulli aliquas opiniones Ecclesiæ doctrinæ adversas docuere. Caietanus in *III. Part. q.* lxviii. docuit, parvulos sine baptismo decedentes, parentum votis & precibus, præsertim signo externo adhibito, salvos fieri. Quæ sententia nulla fuit in Concilio Tridentino censura inusta, opera præsertim Cardinalis Seripandi, ut ex Cardinali Pallavicino *Lib. IX. cap.* viii. advertit Cl. Laurentius Berti *Lib. XXXI. cap.* xviii. Gersonius, Gabriel, Altisiodorensis, S. Bonaventura, Durandus probabiliter præsumi posse docent, divinam misericordiam aut parentum votis, aut aliqua alia via salvos facere infantes sine baptismo obeuntes. Cardinalis Sfondrati parvulos sine baptismo decedentes excludit quidem a regno Dei, sed a peccato præservari, & a naturalibus bonis non excludi contendit. Recensitæ opiniones, tamquam arbitrariæ, reiiciendæ sunt.

VII. Quæst. I. *Necessarius ne baptismus est necessitate medii infantibus ex fidelibus parentibus procreatis*? Resp. Adfirmant omnes Catholici adversus Calvinum. Ratio evidens est. Nam eiusmodi infantes contrahunt peccatum originale. Sed unicum remedium a Christo præstitutum ad peccatum istud abolendum, est baptisma; ut manifeste constat ex Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Vana Calvini commenta paucis verbis S. Augustinus *serm.* cciv. *alias* xiv. *de verb. Apost.* refellit, inquiens: *Christianus es? Christianus, inquis. Audi Evangelium, qui vis non baptizatos parvulos mittere in regnum cælorum; audi Evangelium*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua *&c. Domini sententia est. Huic non resistit nisi non Christianus*. Idcirco non Christianus est Calvinus, eiusque gregales, qui Domini sententiæ pertinaci obstinatione resistunt.

VIII. Quæst. II. *Adultis est ne necessarius baptismus necessitate medii in re, aut in voto*? Resp. Sententia adfirmans est omnium Catholicorum, & constat ex evangelicis adductis verbis. Rationem ex divinis Scripturis haustam promit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxviii. *art.* i. Nemo assequi Christi regnum valet, nisi per Christum, & nisi Christum induat, eique incorporetur; ut Apostolus *Rom.* v. docet. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*. Hæc autem coniunctio, & mystica incorporatio cum Christo, solo baptismate fit, teste eodem Apostolo ad Galatas iii. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Ergo sine baptismo obtineri regnum Christi non potest.

VIII. Secunda pars, quod adultis sufficiat baptisma in voto, quando reipsa haberi nequeat, colligitur ex ipsa baptismi divisione in baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis, ex communi Ecclesiæ consensu. Audiamus S. Thomam *III. Part. quæst.* lxviii. *art.* i. ubi hæc docet. *Sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse. Uno modo & re, & voto: quod contingit illis qui nec baptizantur, nec baptizari volunt; quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii. Et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt: quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto; sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam baptismum suscipiat: & talis sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: Quem regeneraturus eram, amisi; verum ille gratiam quam poposcit, non amisit*. Qui enim per baptismum regenerari aqua & spiritu desiderat, corde, licet non corpore, regeneratus est, subdit Angelicus.

IX. Quæst. III. *Ut baptismus adultis prosit, requiritur ne votum implicitum, aut explicitum eiusdem*? Resp. Duplex occurrit sententia. Recentiores non pauci votum implicitum sat esse defendunt, voluntatem scilicet servandi totam legem Christi, aut ingrediendi Ecclesiam catholicam, aut assequendi vitam æternam. Quis audiens Christi nomen, desiderio flagrat eius religioni nomen dandi, eiusque legem amplectendi, nihil de sacro lavacro cogitans, cuius invincibili tenetur ignorantia; simile votum seu desiderium sat esse defendunt plures.

X. Opposita sententia mihi est probabilior, necessarium nempe esse votum, seu propositum explicitum suscipiendi baptismi. Baptismi enim necessitas medii est, non præcepti tantum. Porro sicut fides explicita Trinitatis, & Incarnationis post Evangelii prædicationem ad salutem necessaria est iuxta probabiliorem sententiam; ita baptismi suscipiendi propositum expressum sit necessum est. Alioquin non maior baptismi quam cuiusque alterius christianæ legis præcepti necessitas ad salutem foret. Siquidem in qualibet contritione perfecta propositum implicitum includitur servandi omnia Christi mandata. Quare distincta supra sunt hæc duo: necessarium propositum alicuius præcepti; & res necessaria in re, aut in voto. Primum significat desiderium implicitum, aut explicitum servandi omnia quæ Christus in mandatis dedit. Posterius significat rem ita esse necessariam necessitate medii, ut aut in re, aut in voto expresse requiratur. Neque dicas, id absolute verum esse; at per accidens ratione ignorantiæ invincibilis contingere posse ut non maior sit baptismi quam aliorum præceptorum necessitas. Hoc enim responsum arbitrarium videtur ad argumenti vim elevandam. Nam licet admitti possit ignorantia invincibilis, & infidelitas negativa, ut docet S. Thomas, pro aliquo tempore; tamen numquam ipse concederem, quempiam laborare posse infidelitate negativa Trinitatis, & baptismi longo tempore. Atque adeo cui Deus concedit fidem per dilectionem operantem, seu cui infundit caritatem perfectam, profecto infundet eidem lumen splendidum & mysteriorum, & baptismatis, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, saltem in mortis articulo.

XI. Quæst. IV. *Quo tempore suscipere adulti baptismum debent*? Resp. Multa occurrunt antiquorum exempla, quorum alii in finem vitæ, alii ad provectiorem ætatem distulerunt baptisma. Paullo ante ordinationem S. Ambrosium baptizatum fuisse narrat Paulinus Notarius. S. Paulinus Nolanus baptizatus est, cum annum ageret 28. S. Augustinus anno 33. baptismum suscepit. Multæ assignantur huius dilationis caussæ. Alii, ut viri sancti, humilitatis caussa catechumeni longo tempore perseverare voluerunt. In aliis timor fuit ne sacramentum profanationis periculo exponeretur. In aliis vita voluptuosa,

sa, & vana spes obtinendæ mortis tempore omnium peccatorum veniæ. Et tandem laxata pluribus in locis disciplina in caussa fuit cur baptismus protraheretur.

XII. Verum rationes cur differri baptismus non debeat, cuique obviæ sunt. Quis enim prudens protrahere suæ servitutis vincula, quis antidotum suæ infirmitatis procrastinare vellet? Pravam antiquorum dilationis consuetudinem, quæ tum in Oriente, tum in Occidente serpebat, evellere Patres studuerunt. Itaque S. Ambrosius, ut Baronius ad an. 377. num. 14. narrat, *in eo multus fuit, ut pravam illam consuetudinem, quæ tam in Occidente, quam in Oriente usu temporis convaluerat, qua fideles quamplurimi usque ad provectiorem ætatem baptismum differrent; penitus ut malum germen ex agro dominico evelleret, & quod se fecisse doluit, ab aliis ne imposterum fieret, vehementer admonuit: præstiterintque apud Orientales Basilius, atque Gregorius Nazianzenus, nec non Gregorius Nyssenus, ut ipsorum de baptismo editæ orationes significant.*

XIII. In baptismo gratia infunditur, quæ e servitute dæmonis animam eripit, ad vitam æternam regenerat, delet perpetrata peccata, instaurat extenuatas vires, tenebras dissipat, vim præbet futura peccata vitandi, Christo Domino incorporat, & alia multa dona confert. Quis, nisi insipiens, tantam donorum copiam sponte differre in vitæ finem, aut in provectiorem ætatem velit? Sed quid contra antiquatum abusum verba fundo? Intorquenda hæc potius essent adversus illos qui susceptum baptismum profanant, & deturpant, qui sceleribus onusti secundum pœnitentiæ baptismum procrastinant, & in vitiorum cœno volutantur. Verum de hoc infra.

XIV. Quæst. V. *Quis ordo servatus olim fuit in catechumenis tingendis?* Resp. Catechumenus græcum vocabulum est, quod latine redditur *instructus*, seu ille qui instruitur; & qui instruit, *catechizans* nuncupatur; & instructionem in fide Græci *catechesin*, Latini *catechismum* appellant. Alii distinguunt catechumenos in *audientes*, *genuflectentes*, *& competentes*. Alii contendunt *genuflectentes* non fuisse diversos a *competentibus*. Idcirco tres classes constituunt, *audientium, competentium, electorum*. Qui christianæ religioni dare nomen cupiebant, ab Episcopis in *catechumenos* recipiebantur, impresso crucis signo illis in fronte. Ad audiendum verbum Dei admittebantur in loco dicto *Auditorium*: ipsique *audientes* dicti, quia, audita concione, dimittebantur: & Missa, quæ usque ad offertorium, catechumenorum dicebatur, pro fidelibus procedebat usque ad finem. Expleto *audientiæ* tempore ad secundam *competentium* stationem pergebant: & tunc nomina illorum ecclesiasticis tabulis inscribebantur, & crebris precibus, ieiuniis, pervigiliis, & geniculationibus ad baptismum suscipiendum sese præparabant. Ne vero indigni initiarentur, examen in illorum mores, quod *scrutinium* appellabatur, instituebat Ecclesia. Ex Ordine Romano septem scrutinia celebrabantur a tertia dominica Quadragesimæ; sed præcipuum fer. IV. *die scrutinii* dicta, celebrari solitum erat. Si quis catechumenorum flagitii alicuius reus deprehensus erat, ad *audientium* stationem remittebatur. *Competentibus* vero quorum mores probati constabant, *symbolum* una cum *oratione dominica* tradebatur, & continuo vocabantur *Electi*. Symbolum vero ipsi reddebant, idest memoriter recitabant, paullo ante baptismi susceptionem.

XV. Quantitas temporis quo in unaquaque statione morari deberent catechumeni, non erat ubique eadem. Concilium Eliberitanum *can.* XLII. iis qui in gentilitate honeste vixerant, biennii spatium præscripsit. Iudæis, in divinis litteris eruditis, & unius Dei cognitione imbutis, octo mensium intervallum determinavit Concilium Agatense anno 506. Concilium Nicænum I. id arbitrio, & prudentiæ Episcoporum definiendum reliquit. Instante mortis articulo, ante impletum tempus baptisma administrabatur. Hoc quippe tempore nec ipsis Ethnicis baptismum petentibus denegabatur.

XVI. Tempestate nostra, licet obsoleverit disciplina triplicis catechumenorum classis, viget tamen, si substantiam spectes. Pia enim loca consecrata sunt in quibus Ethnici, Turcæ, Iudæi recipiuntur, certo tempore a piis Sacerdotibus, probatisque viris imbuendi; neque ad sacrum lavacrum admittuntur, donec in præcipuis religionis nostræ mysteriis optime instructi sint. Methodus hæc ex ipso Evangelio originem trahit. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, inquit Paulus *Rom.* X. Et Christus Dominus Matth. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes* &c. Hæc instructio summa peragenda diligentia est, & altius baptizandorum animis imprimenda sunt christianæ religionis mysteria, & potissimum morum doctrina: morum quippe sanctitas fidem alit, & religionem firmat.

XVII. Quæst. VI. *Quo tempore baptizandi catechumeni sunt?* Resp. Antiqua Ecclesiæ consuetudo obtinuit ut in *sabbato sancto Paschæ, vel Pentecostes*, nisi impedimentum obsit, solemnis catechumenorum baptismus celebretur. Congruentiam assignat Tertullianus *Lib. de baptis. cap.* XIX. inquiens: *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat, cum & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est: exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa*. Hoc idem tempus præscribit Rituale Romanum. Alicubi die quoque Epiphaniorum collatum adultis baptisma legitur. Ludovicus Habert *cap.* XII. narrat, tempore suo gravem fuisse exortam controversiam inter duos Parisienses Theologos, altero negante, adfirmante altero, die Epiphaniorum celebratum baptisma fuisse: & relatis utriusque partis documentis, colligendum infert, in aliquibus Ecclesiis præfato die conferendi baptismi morem obtinuisse. Sed, missis catechumenis, de quibus obiter verba feci, in semitam regrediamur.

XVIII. Quæst. VII. *An præceptum suscipiendi baptismum obliget adultos, ut quamprimum commode possunt, sub pœna gravis culpæ baptismum suscipiant?* Resp. Diximus supra, necessitate medii requiri baptismum ad salutem. Quæ autem medii necessitate necessaria sunt, potiori iure necessaria sunt necessitate præcepti. Indicavimus quoque antiquam consuetudinem baptismum protrahendi in multum tempus. Disputatur nunc, sit ne præceptum quo obstringantur adulti ut quamprimum commode possunt, baptisma suscipiant. Negant Ledesma, & Filliucius. Sed adfirmat communis sententia, quam certissimam appellat Leander *disp.* I. *quæst.* XII. laudatque pro eadem Caietanum, Suarez, Vasquez, Victoriam, Bonacinam, Hurtadum, Dicastillum, Reginaldum, & alios, quibus subscribo ob rationes quas supra dedi contra baptismi dilationem.

XIX. Quæst. VIII. *Peccant ne mortaliter parentes, & tutores qui infantium sine rationabili caussa baptisma differunt?* Resp. Adfirmat communis sententia: quia sine necessitate exponunt illos periculo damnationis; ideoque peccant contra legem caritatis, & contra Ecclesiæ consuetudinem. Sic docent Sotus in *IV. dist.* V. *quæst. unic. art.* 3. & *dist.* III. *q.* X. Bellarminus *cap.* VIII. Bonacina *disp.* II. *quæst.* II. *punct.* 2. *n.* 6. Leander *disp.* I. *quæst.* XIII. & XIV. ubi citat Filliucium, Dicastillum, Henriquez, Dianam, & alios. Disputant recentiores, quot a nativitate dies differre parentes possint filiorum baptisma absque gravi culpa. Differri posse, sublato mortis periculo, usque ad octavum diem, vel duodecimum sine peccato mortali, docet Ledesma. Hanc dilationem usque ad mensem, ob maiorem baptismi solemnitatem, extendit Castropalaus. Leander cum Soto peccare mortaliter parentes docet qui, cum commode ad baptismum infantes adducere possint, differunt ultra octavum aut duodecimum diem. Negotium est summi momenti: idcirco summa diligentia curare parentes debent ut quamprimum fieri potest, infantes baptizentur.

XX. Quæst. IX. *Salvari ne hoc tempore aliqui possunt absque baptismo, si eiusdem legem ignorent?* Resp. Adfirmat Martinus Bonacina *disp.* II. *quæst.* II. *punct.* 2. *num.* 15. ubi alios citat. Pie credendum est, inquiunt, Deum infusurum lumen aliquod, & speciale auxilium, quo eiusmodi ignorantes se se convertant. Pia hæc credulitas, non ex divinis Scripturis, sed ex quadam naturæ teneritudine ortum ducit. Si piæ credulitati locus concedendus sit; præsumendum potius, Deum daturum & lumen tenebras dissipans ignorantiæ, & auxilium quo excitetur fervens baptismi desiderium. Cum enim Deus præfinierit baptismum tamquam unicum delendi peccati originalis remedium, si eiusmodi ignorantes salvos velit, eosdem illuminabit, ut baptismum aut expresso voto, aut reipsa suscipiant. Reiicienda itaque præfata opinio. Admissa ignorantia invincibili baptismi, damnabuntur negative ob defectum necessarii remedii, gratiæ nempe sanctificantis, & positive ob peccatum originale, & actualia.

CAPUT XII.

De baptismi subiecto.

I. EX iis quæ dicta sunt, constat omnem hominem in statu viæ degentem, sive virum, sive mulierem, baptismi subiectum capax esse. Certum quoque est infantes in utero matris inclusos, non esse baptismi capaces. In controversiam ab hæreticis vocatur baptismus parvulis administratus ante usum rationis. Ex iis quæ paullo ante dicta sunt, patet infantes baptizandos esse simul ac commoditas occurrit. Nihilominus quia hæretici plurimi denegant conferendum parvulis baptisma; ideo paucis controversiam resolvam iuxta Catholicorum doctrinam.

II. Quæst. I. *Administrandum ne parvulis ante rationis usum baptisma?* Resp. Præter antiquos hæreticos Hieracitas, Valdenses, Pe-

Petrobusianos, Henricianos, & Catharos, ex novatoribus *Anabaptistæ*, seu *Rebaptizantes* dicti, parvulos in infantia baptizatos, cum ad ætatem adultam perveniunt, rebaptizant. Michael Servetus infantium baptisma abominationem appellat. Lutherani, & Calviniani fidelium, non infidelium, filios baptizandos esse docent. Salmasius Vitringa, & alii novatores blaterant, neminem olim nisi in adulta ætate baptizatum.

III. Ad propositam quæstionem respondent Catholici omnes, parvulos baptismi capaces esse; adeoque & valide, & licite baptizari. Id eruunt tum ex divinis Scripturis, tum ex universa, & antiqua Ecclesiæ consuetudine. Et ad primum quod attinet, quemadmodum in veteri lege indefinite, & universe circumcidi omnes Deus mandavit *Genes.* XVII. ne anima incircumcisi *deleretur de populo suo*: ita Ioan. III. indefinite & universe præscribit baptismum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Sed circumcisioni subiecti parvuli erant: ergo baptismo tingendi parvuli sunt. Tam siquidem circumcisio, quam baptismus ad peccatum originale delendum instituta sunt. Omnes autem culpam originalem contrahunt. Ergo omnes præfinito remedio egent. Præterea nonne parvulis beneficia Christus suis manibus contulit? ut habetur Matth. XIX. *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret*: & discipulis increpantibus eos qui parvulos offerebant, dixit: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum*. Apostolos quoque baptizasse parvulos, haud obscure colligitur ex *Act.* XVI. ubi legitur, Paulum familiam Lydiæ Purpurariæ, & omnem domum custodis carceris baptizasse. In domo autem communiter & parvuli, & adulti reperiuntur. Accedit Ecclesiæ perennis traditio. S. Augustinus *Lib. I. de pec. merit. cap.* XXVI. Pelagianos parvulorum baptismo ad incitas adigit. *Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, proculdubio per Dominum, & Apostolos traditam, venire non possunt, concedant oportet, eos egere beneficio Mediatoris, ut oblati per sacramentum* &c. Iterum cap. XXXIV. *Proinde quod attinet ad baptismum parvulorum, ut eis sit necessarius, redemptione etiam ipsis opus esse concedunt, sicut cuiusdam eorum libello brevissimo continetur*. Si universalis non fuisset consuetudo, an tacuissent Pelagiani? An falsitatis non redarguissent Augustinum?

IV. Sed, missis plurimis aliis traditionis documentis, canones Concilii Tridentini rescribendi sunt. Adversus Anabaptistas *can.* XII. hæc statuta sunt. *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi in ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit*. Iterum can. XIII. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit*.

V. Erasmus errorem invexerat examinandi baptizatos parvulos, cum adultam ætatem attigerint, num ratum habeant susceptum baptisma. Adversus hunc errorem Concilium sequentem *can.* XIV. condidit. *Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, dum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad christianam vitam redigendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit*.

VI. Opponunt 1. Non minus doctrinam quam baptismum Christus præcepit. *Docete omnes gentes, baptizantes* &c. Infantes non sunt doctrinæ capaces: ergo neque baptismi. Rursus, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Resp. Utrumque præcipitur, quoties utrumque præstari potest. At minime iubetur ut utrumque omittatur, si unum peragi valeat, & non alterum. Credunt parvuli non propria, sed aliena fide. Sapienter de more Augustinus *serm.* CCXCIV. olim XIV. *de verb. Apost.* respondet. *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Iesum Christum? fit interrogatio. Respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, & quodammodo, ut subveniatur, orante, respondetur, & valet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur, quia non valet? Absit a cordibus qualiumcumque Christianorum. Ergo respondetur, & valet. Conspiratione quadam communicat spiritus: credit in altero, quia peccavit in altero. An vero inveniet vitam præsentis sæculi, quem parturivit infirmitas; & non inveniet vitam futuri sæculi quem parturivit caritas?* Ad huius doctrinæ conspectum in nihilum recidit argutatio Erasmi, effutientis iniquum esse insciis, & ratione destitutis parvulis iugum imponi, quod, velint, nolint, cum adoleverint, ferre debeant. Immo suspicienda est infinita Dei clementia, & sapientia, quæ dispo-

disponit ut qui per unius delictum perierunt, per alienam fidem salvi fiant. Iugum quod illis imponitur, non servitutis, sed libertatis est: non eos gravat, sed ad vitam erigit.

VII. Opponunt 2. Imitandum est Christi exemplum, qui anno tricesimo suscipere baptismum voluit. Respondet S. Gregorius Nazianzenus orat. XL. *Cum Deum dixisti, quæstio a te soluta est: nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgationis indigebat: verum tua caussa purgabatur, quemadmodum & carnem ferebat, cum carnis expers esset. Nec vero quicquam periculi ei metuendum erat baptismum proroganti: quippe qui passionis quoque suæ arbiter esset, quemadmodum & nativitatis. Tibi autem non leve periculum imminet, si hinc corruptioni soli genitus, nec incorruptibilitate indutus excesseris*. Heinc patet novatorum commenta nova non esse, sed vetusta, & a Patribus sanctis, antequam perduelles isti in medium prodirent, penitus evulsa. Nec est quod alia leviora quæ obtrudunt, discutiam, cum seipsis dissiliant.

VIII. Breviter, & prout instituti nostri ratio postulat, novatorum commentis explosis, quæstiunculæ nunc resolvendæ sunt quæ inter Theologos catholicos disputantur.

IX. Quæst. II. *An satyri, vel concepti ex bruto & femina sint baptismi capaces?* Resp. Leander *disp.* V. *quæst.* II. refert Dicastillum, innuentem opinionem adfirmativam probabilem esse. At nulla probabilitate frui talem opinionem, certum est. Nam soli homines rationales peccatum originale contrahunt, & baptismi capaces sunt. Sed satyri, vel fetus concepti ex bruto & femina, homines rationales non sunt. Ergo baptizari non debent. Quod opponunt probabile esse, active feminas ad generationem concurrere, vanum commentum est. Utcumque enim concurrant, masculi primas in generatione partes exercent; ineptumque est femineum semen ad prolis conceptum, nisi virile semen accedat. In proposito autem casu semen ferinum est: idcirco proles humana dici nequit. Quid, si homo coeat cum bestia? Tum sub conditione baptizari posse, docet Leander cum Dicastillo, Palao, Possevino. Si, quod minima mea opinio præfert, dicere debeam, ex bestia, licet virili semine fecundata, nasci posse hominem, commentum mihi est omnino arbitrarium, & omni fundamento destitutum.

X. Quæst. III. *An monstrum procreatum ex viro & muliere, baptizandum sit?* Resp. Communiter Auctores docent, inspiciendum esse, an monstrosus fetus humanæ naturæ speciem præferat, præsertim in capite, præcipua corporis humani parte, & rationis domicilio. Rituale Romanum, & S. Carolus Borromæus in instructionibus baptismi in casu dubio monent ut Episcopus consulatur. Si dubitetur, & immineat mortis periculum, baptizari potest conditione adiecta. Monstrosus autem fetus dicitur, cum a recta consueta forma declinat; ut si habeat quatuor crura, duplicem ventrem &c. Si duo capita in monstro appareant, duoque corpora distincta, sed unita; tum duo sunt homines, & singuli baptizandi sunt. Si periculum immineat, unico baptismo ambo baptizari debent hac forma: *Ego vos baptizo* &c. Si dubitetur, duo ne sint, aut unus homo; tunc unus absolute baptizetur, alter vero conditione adhibita. Verum, ut dixi, his in casibus Episcopus consulendus est. Ermaphroditas baptizandos esse, omnes docent. Quæ de *Centauris*, *Hippocentauris*, *Onocentauris* narrantur, fabulosa mihi sunt. Spurii, & filii excommunicatorum baptizandi sunt. De infantibus expositis ea servetur consuetudo quæ pro variis circumstantiis in propria Ecclesia viget.

CAPUT XIII.

Sint ne baptizandi infantes infidelium, invitis, & reluctantibus parentibus.

I. SApientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in epistola data ad Archiepiscopum Tarsensem Urbis Vicesgerentem anno 1747. controversiam hanc perspicue, & more suo eruditione summa illustrat. Regulas quæ in certis quibusdam ambiguis eventibus servandæ sunt, præscribit. Illarum specimen mox perstringam. Sed primum omnium status quæstionis expono. Sermo in præsentia est de infantibus ratione destitutis; cum certum penes omnes sit, adultos, invitis parentibus, baptizari posse. Pueris infidelium baptismum administratum validum esse, omnes adfirmant, Durando excepto, qui ad infantium baptismi valorem parentum consensum necessarium asserit. De licita administratione Theologi contra Theologos disputant.

II. Nomine infidelium intelliguntur sectæ a christiana religione aversæ, quales sunt Iudaismus, Mahumetismus, Ethnicismus. Quamvis omnes hæretici vera quadam ratione, inquit P. Druin *de re sacram. de baptis. c.* III. §. I. dici infideles possint; tamen Ecclesia

clesiæ, a qua descivere, subditi sunt. Idcirco publica Ecclesiæ auctoritate, si opportunitas postularet, istorum manibus eripi infantes possent, & in Ecclesiæ sinum, a quo iniuste avulsi detinentur, restitui, & si baptizati non essent, baptizari.

III. Triplex pro præsenti instituto infidelium status. In primo sunt qui a Christianorum potestate liberi omnino vivunt. In secundo sunt alii qui iure belli, emptionis, aut alterius tituli mera mancipia Principum cristianorum existunt. In tertio sunt illi qui civili, & mera politica subiectione Principibus christianis parent. Convenit penes omnes, infidelium primæ conditionis infantes baptizari licite non posse; quemadmodum convenit, licite conferri baptismum posse pueris infidelium secundi status. De pueris infidelium tertii status disputatur in utramque partem. Adfirmantem partem Scotus cum sua scola defendit. Negantem propugnat S. Thomas cum Thomistis, quibus communis accedit Theologorum, & Canonistarum consensus, & Ecclesiæ consuetudo.

IV. Quæst. I. *Illicitum ne est baptizare infantes infidelium, invitis eorumdem parentibus?* Resp. Adfirmat S. Thomas, & tribus rationum momentis suam confirmat sententiam 2. 2. *quæst.* x. *art.* 12. Eas omnes huc transcribere operæ pretium existimo. Inquit ergo: *Dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda: quia & ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus numquam habuit, quod Iudæorum filii, invitis parentibus, baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio; qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Iudæorum filii invitis parentibus baptizentur. Et huius ratio est duplex. Una quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facili possent a parentibus induci ut relinquerent quod ignorantes susceperunt: quod vergeret in fidei detrimentum. Alia vero ratio est, quia repugnat iustitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primo quidem a parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdiu in utero matris continentur; postmodum vero, postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat; continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero. Quamdiu enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Unde sicut bos, vel equus est alicuius, ut utatur eo cum voluerit, secundum ius civile, sicut proprio instrumento; ita de iure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra iustitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur, invitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, iam incipit esse suus; & potest quantum ad ea quæ sunt iuris divini, vel naturalis, sibi ipsi providere: & tunc est inducendus ad fidem non coactione, sed persuasione; & potest etiam invitis parentibus consentire fidei, & baptizari; non autem antequam habeat usum rationis. Unde de pueris antiquorum patrum dicitur, quod salvati sunt in fide parentum: per quod datur intelligi quod ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, præcipue antequam habeant usum rationis.*

V. Primum rationis momentum ab Ecclesiæ auctoritate arcessitum, peremptorium est. Nihil enim christiana Ecclesia prius habet quam Christi regnum amplificare. Ergo si hoc prædita iure fuisset, illud profecto executioni demandasset. At tantum abest ut hanc potestatem exercuerit aliquando, quin declaravit oppositum in Synodo Toletana IV. anno 633. *can.* lvii. videlicet, *nemini deinceps ad credendum vim inferendam. Cui enim vult Deus, miseretur, & quem vult, indurat: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiæ: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit; sic vocante gratia Dei propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* Similia habet S. Gregorius Magnus *Lib. I. epist.* xlv. ad Episcopos Arelatensem, & Massiliensem. Et quamvis sermo in canone rescripto sit de adultis, ratio tamen producta æque comprehendit parvulos. Vis enim parvulorum parentibus infertur, non secus ac ipsis adultis, dum, iisdem reluctantibus, ipsorum parvuli baptizantur. Altera ratio S. Thomæ apostasiæ periculo nixa, quam sit valida, ii omnes callent quibus com-

compertum est quam sit vehemens parentum in filios amor, & quanta sit in parentes filiorum observantia, & obsequium. Defectio igitur a christiana religione moraliter certa, nedum probabilis est. Exponeretur igitur baptismi sacramentum, reluctantibus parentibus administratum parvulis contemptui, scandalo, & ludibrio. Ratio tertia ex ipso naturali iure manat. Iure quippe naturæ, patriæ potestati filii subiecti sunt. Ergo violatur ius istud, dum, ipsis invitis, baptizantur. Nam aut eripiuntur huic potestati paternæ post baptismum; & tunc trasgressio iuris est manifesta: aut sub patria potestate relinquuntur; & tunc periculo subversionis subiacent, & sacramentum profanationi exponitur. Hanc suam sententiam confirmat S. Thomas *III. Part. quæst.* lxviii. *art.* 10. & *quodlib.* 11. *art.* 7. His in locis omnia argumenta quæ ab adversariis opponuntur, resolvit. Pontifex summus BENEDICTUS XIV. *loc. cit. num.* 5. testatur, in tribunalibus S. Thomæ sententiam prævalere. *E' prevaluto però ne' tribunali l' opinione di S. Tommaso, come attesta il Cardinal Albizi* de inconstantia in fide; *ed è anche più comune fra i Canonisti, ed i Teologi.* Quæ sic latine reddo. „ Prævalet tamen in foro opi„ nio S. Thomæ, ut testatur Cardinalis Al„ bizi *de inconstantia in fide*. Est etiam apud „ Canonistas, & Theologos communior. "

VI. Opponunt 1. Scotistæ. Falsum est, violari ius naturale, dum, invitis parentibus, baptizantur parvuli: quia carent parentes impediendi iure ne filii baptizentur. Quando enim duo iura pugnant, quod præstat alteri, servandum est. Ius autem divinum præcipit baptismum. Sed *magis oportet obedire Deo quam hominibus*: Act. v. Resp. Falso laborat supposito argumentatio isthæc. Præcipit Deus omnes baptizari servato iuris ordine. Ius autem divinum est, ne quis invitus & reluctans ad fidem compellatur. Quod dicitur *Luc.* xiv. compellendos infideles esse, ut domum Dei impleant, sensum hunc reddit, nempe compelli debere suasione, prædicatione, & consilio, ut luci divinæ oculos aperiant, secus vi adiecta. Vana ergo est & commentitia pugna quam obtrudunt inter duo iura: quoniam, ut dixi, Deus non præcipit ut vi adhibita baptismus conferatur.

VII. Opponunt 2. Parentes reluctantes ne filii baptizentur, abutuntur potestate patria: ergo privari eadem iure possunt. Nam si parentes necare filios vellent, aut filiam ad stuprum compellere; tum filii, vel filiæ iure a potestate patria subtraherentur. Ergo potiori iure subducuntur, dum illos baptizari impediunt, ex quo animæ mors consequitur, quæ magis quam mors corporis timeri debet. Accedit, Mathathiam *Machab. I. cap.* 11. circumcidisse *pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel*. Resp. Ut ab hoc ultimo incipiam, Mathathias, quemadmodum Lyranus cum Estio animadvertit, circumcidit pueros incircumcisos, qui erant Iudæorum filii. Præceperat enim Antiochus ut Iudæi incircumcisos relinquerent filios suos: cui iniquo præcepto Iudæorum plures mortis timore, aut defectione a lege paruerunt: & hos circumcidi Mathathias imperavit. Quod si filios Gentilium, iusto bello captos, & in veram servitutem redactos, circumcidi fecit, licitum fuit mandatum, ut sub initium adnotavi. Quamquam Sotus Mathathiam, zelo nimio legis succensum, in hoc errasse innuat. Sed prior responsio vera est. Quod autem obtruditur, parentes infideles, renuentes baptizari filios suos, iure naturali abuti, falsum est. Peccant dumtaxat adversus religionem. In religionis autem negotio soli Deo, non Ecclesiæ, extra quam reperiuntur, subiecti sunt. Idcirco nullam in eos, ad hoc quod attinet, exercere Ecclesia potestatem valet: neque dominio naturali quo in filios potiuntur, expoliare eosdem potest. Contra vero dum filios suo necare, & filias prostituere pertentant, abutuntur revera iure naturali, peccant in humanam societatem, & ius naturale: quamobrem merito privantur hoc dominio naturali quod habent in filios, qui subtrahendi sunt ab illorum impia tyrannide. At dum baptismum illorum impediunt, peccant in ius supernaturale, vi cuius soli Deo subiecti sunt. Ergo ob istius iuris violationem privari ab homine nequeunt iure naturali patriæ potestatis in filios.

VIII. Opponunt 3. Sisebutus Hispaniarum Rex Iudæos vi ad baptismum compulit. Alia exempla quoque similia occurrunt. Resp. Inepta sunt omnia quæ opponuntur exempla. Sisebuti factum improbavit Toletana Synodus; aliaque præclara facinora pii Regis merito extollit. Carolus Magnus ad baptismum Saxones, aliosque adegit: quia iuraverant, se christianam Religionem, quam libere susceperant, servaturos. Si qui vero Reges zelo minus prudenti infideles aliquando ad baptismum suscipiendum vi coegerunt; respondeo, non ex istorum factis, sed ex Ecclesiæ decretis colligendas esse regulas baptismi administrandi.

IX. Quæst. II. *An filii Iudæorum, aliorumve infidelium in periculo mortis licite bap-*

ptizari valeant? Resp. Quamvis sententia S. Thomæ hactenus explicata absolute vera sit, aliquas tamen excipit limitationes. Quarum prima est mortis articulus, in quo licite baptizari posse infantes infidelium omnes affirmant: quia tum cessat absurdum perversionis; & filii morti proximi a patria potestate discedunt. In confirmationem huius doctrinæ refert Pontifex summus BENEDICTUS XIV. decisionem Congregationis S. Officii ann. 1675. his verbis conceptam. *Cum filius Hebræorum consignatus fuisset nutrici Christianæ in deficientia nutricum Hebræarum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus: & sacra Congregatio declaravit, prædictum puerum fuisse licite baptizatum.* Aliam similem decisionem refert ibidem Pontifex summus, datam anno 1705.

X. Quæst. III. *Filii infidelium expositi, aut patriæ potestati subducti, licite ne baptizari valent?* Resp. Affirmant communiter Theologi, dummodo infans vere expositi tius sit. Ille autem vere expositi tius nuncupatur qui a parentibus derelictus est, & sub nullius cura reperitur. Cum enim tunc sit extra potestatis patriæ ius, nemini fit iniuria, dum tali filio expositito baptismus administratur. Idem dicendum de filiis infidelium qui a piratis capiuntur; ut quando triremes Turcarum in potestatem veniunt Christianorum, & pueri in eisdem reperiuntur. Isti, cum a patria potestate extracti sint, licite baptizantur. Quando tamen per vim puer Iudæus a parentum cura eripitur, remittendus sub patria potestate est. Pueros vero infidelium, sive iure, sive iniuria parentibus ereptos, & in regiones ita longinquas translatos, ut nulla sit reditus spes, baptizare Ecclesia consuevit.

XI. Quæst. IV. *Si unus parentum infidelium consentiat, baptizari ne puer licite valet, altero dissentiente?* Resp. sententia affirmans communis, & mihi vera est. Prævalere enim consensus ille debet qui cedit in religionis favorem, & pueri utilitatem. Quare si pater ad fidem christianam veniat, matre in Iudaismo persistente, baptizandus puer est; ut definivit Gregorius IX. in sua Decretali ad Episcopum Argentinensem; & refertur in cap. *Ex litteris* de convers. infidelium. Idem dicendum est, si mater convertatur, patre in Hebraismo remanente, ob rationem datam: & colligi videtur ex præfata Gregorii Decretali; tametsi expresse patris tantum mentio fiat. Parentum nomine venit etiam avus paternus, qui si christianæ religioni nomen det, offerat que nepotem, baptizari debet, etiam matre dissentiente. Casus hic cum Romæ contigisset, prævalere dissensum matris Navarrus *Lib. III. de convers. infidel. consil.* 4. propugnabat. Contra, in favorem consensus avi scripsit Rutilius Benzoni. Et Gregorius XIII. declaravit, sententiam Benzoni præferendam esse: & Benzonius ipse infantem tinxit, ut narrat in suo *speculo Episcopor. Lib.* I. *quæst.* IX. *dub.* I. Quare sub finem consilii Navarri hæc adiecta sunt. *Advertendum autem contra hanc opinionem latam sententiam, infantemque traditum fuisse avo christiano, & demum baptizatum, perseverareque adhuc in fide.* Infantes sic baptizati invitis parentibus, in dictis casibus debent ab illis separari.

XII. Quæst. V. *Infidelium plures infantes suos offerunt baptizandos, ut infirmitatibus curentur: validum ne eiusmodi baptisma est?* Resp. Iam a tempore S. Augustini infideles offerre infantes baptizandos consueverant, non ut a culpa originali mundarentur, sed ut a spiritibus immundis liberi fierent. Qua de re sic scribit S. Augustinus *epist.* XCVIII. ad Bonifacium. *Nec illud te moveat quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.* Non enim parentum, sed ministrorum intentio spectanda est. In Synodo habita an. 1148. sub Patriarcha Luca, cuius meminit Balsamon in *can.* LXXXIV. *Trullanum* disputatum de hocce baptismo fuit, de quo videri Baronius potest *ad ann.* 1148. Validum esse baptisma istud, sententia communis, & certa defendit. Verum infidelium aliqui tanta superstitione tenentur, ut spe liberandi infantes suos ab infirmitate, minentur mortem Sacerdotibus, consciis illorum pravæ superstitionis, & baptizare reluctantibus, nisi baptismum administrent. Negavit Navarrus, licite conferri baptismum posse ad mortem vitandam. Opinionem affirmantem propugnabant alii. Congregatio S. Officii an. 1625. hanc edidit decisionem: *Sacra Congregatio universalis Inquisitionis, habita coram Sanctissimo, relatis litteris Episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: an, cum Sacerdotes coguntur a Turcis ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & lupis, an in tali*

tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia, sine debita forma. Respondit negative: quia baptismus est ianua sacramentorum, ac protestatio fidei; nec ullo modo fingi potest. Et Innocentius XI. hanc thesim proscripsit: *Urgens metus gravis est iusta caussa sacramentorum administrationem simulandi.* Verum de hac simulatione sacramentorum alibi fusius dictum est.

XIII. Quæst. VI. *Si puer petat baptismum, & dubitetur, an usu rationis præditus sit, potest ne invitis parentibus baptizari?* Resp. Negant Vasquez, Hurtado, Henriquez, & alii plures. Affirmant vero Sotus, & Candidus: quia in dubio decidendum est in religionis favorem. Prudentius consilium hoc in casu videtur, custodiendum esse puerum in loco tuto, donec perfectum assequatur rationis usum; & tunc, si perseveret, baptizandum. Si periculum mortis adsit, iam dictum est, baptizari posse.

XIV. Quæst. VII. *An requiratur aliqua dispositio in infantibus ad baptismum suscipiendum?* Resp. Lutherus defendit, infantes, cum baptizantur, habere fidem actualem. Sed nullam in iisdem reperiri fidem actualem, cum baptizantur, catholici Theologi docent. Quoniam actualis fides est mentis assensus rebus revelatis, ex divina illustratione, & ex motione voluntatis præstitus. Infantes autem nec intelligunt quid agant, nec voluntate moventur ad cogitandum, & credendum; sed illorum fidem supplet Ecclesia.

XV. Quæst. VIII. *An amentes, & furiosi baptizandi sint?* Resp. S. Thomas *III. Part. quæst.* LXVIII. *art.* 12. primum considerat amentes a nativitate, omni lucido intervallo destitutos: & hos baptizandos esse instar infantium in fide Ecclesiæ decernit. Quamvis enim rationis usu careant, nec speretur illum umquam assecuturos; hoc tamen non impedit quominus baptizari debeant: quoniam cum in iisdem sit anima rationalis, per accidens, idest propter impedimentum organi corporei, usu rationis carent. Alii sunt amentes qui ex sana mente quam prius habuerunt, incidunt in insaniam: & tales sunt iudicandi secundum voluntatem quam prius habuerunt, dum sanæ mentis erant. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi, in furia, & amentia constitutis; etiamsi tunc actu contradicant. *Si autem tempore lucidi intervalli non apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti.* Ad dormientes quod attinet, respondet ad 3. baptizandos non esse, nisi mortis periculum immineat: quo in casu baptizandi sunt, si prius in eis apparuit voluntas suscipiendi baptismi. Quæ doctrina communis est.

CAPUT XIV.

De baptismo adultorum, vivorum, mortuorum, & campanarum.

I. De dispositionibus quæ præcedere in adultis debent ad martyrium sustinendum, supra dictum est. Pauca nunc delibabo de dispositionibus quæ absolute in omnibus adultis sanæ mentis requiruntur ut digne baptisma suscipiant.

II. Quæst. I. *Requiritur ne in adultis ad digne baptismum suscipiendum fides in Christum, dolor de peccatis, & amor Dei inchoatus?* Resp. Fidem necessariam in adultis esse, declarat Scriptura divina: nam *Marc.* XVI. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* & Matth. XXVIII. Christus iubet ut baptizandi instruantur: *Docete baptizantes.* Rursus Philippus dixit Eunucho: *Si credis ex toto corde, licet:* Act. VIII. Non minus perspicue iubetur ut baptismo præmittatur pœnitentia. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum,* inquit S. Petrus *Act.* 2. Innumera sunt testimonia quæ amoris Dei saltem initialis necessitatem evincunt ad veram in Deum conversionem. *Qui non diligit, manet in morte:* inquit Ioannes *cap.* III. Sed de istius amoris necessitate fusius in tractatu de pœnitentia.

III. Quæst. II. *Licite ne conferri baptismus aut mortuis, aut vivis pro mortuis, valet?* Resp. Cataphrygas, Hæresiarchæ Montani progeniem, mortuos baptizasse, narrat S. Philastrius Episcopus Brixiensis *hæres.* LIX. ubi inquit: *Hi mortuos baptizabant.* Cataphrygis accesserunt Archontici, de quibus Theodoretus *Lib. I. hæret. fabul. cap.* XI. scribit: *Post mortem oleum, & aquam mortuorum capitibus iniiciunt, sic fore dicentes ut ipsi invisibiles sint, superioresque evadant interiectis dominationibus, & potestatibus.* Cerinthiani, a Cerintho, Apostolis suppare, descendentes, vivos pro mortuis baptizabant, ut Epiphanius *hæres.* XXVIII. narrat his verbis. *Ex traditione res quædam ad nos pervenit, quod, ut quidam apud ipsos de vita decesserunt morte præoccupati citra baptisma, alii pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur, ne ubi resurrexerint, illi in resurrectione pœnas luant, eo quod non acceperunt baptisma, & subditi fiant potestati quæ mundum condidit.* Similia de Marcionitis refert Chrysostomus *hom.* XL. *in*

cap.

cap. xv. *Epist.* I. *ad Corinth.* & Tertullianus *Lib. V. contra Marcionem cap.* x.

IV. Originem istius baptismi alii eruebant ex frequentibus Pharisæorum lotionibus, alii ex prava intelligentia sequentis textus S. Pauli I. Cor. cap. xv. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Mortuos non esse baptizandos, nec vivos pro mortuis, certum est, idque definitum fuit in Concilio Carthaginensi III. can. vi. *Cavendum est ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.* Ratio evidens est. Cadavera enim, anima rationali destituta cum sint, nec gratiam, nec regenerationem spiritualem recipere valent. Nec prodesse baptismus nisi suscipientibus potest; sicut resurrectio unius non est alterius resurrectio.

V. Hæc cum ita se habeant, germanus apostolici textus sensus exponendus est. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis* &c.? Estius in hunc locum, Calmet, & alii varias promunt interpretationes. Alii volunt, Apostolum ex consuetudine illorum qui viventes baptizabantur pro mortuis, inferre mortuorum resurrectionem; eosque *ad hominem*, ut aiunt, revincere, non illorum consuetudinem approbando, sed ex illa resurrectionis fidem inferendo. Quam interpretationem fuse illustrare, & confirmare Calmet nititur. Altera interpretatio textum applicat iis qui in lecto morti proximi decumbentes baptismum suscipiunt; & baptizari *pro mortuis* intendunt, idest pro seipsis, quatenus sibi vita functis baptismus profuturus est. Tertio alii interpretantur *pro mortuis*, idest pro corporibus morti obnoxiis: quæ interpretatio hunc reddit sensum: si non est carnis resurrectio futura, cur baptizantur corpora morti obnoxia? Frustranea quippe esset corporum ablutio, si post mortem resurgere non deberent. Hanc interpretationem præ aliis præbet S. Ioannes Chrysostomus *hom.* xl. *in I. ad Cor.* inquiens: *In memoriam revocans Paulus dicebat: Si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis, idest pro corporibus? Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, idest quod non maneat mortuum.* Hæc Chrysostomi interpretatio non arridet Estio. Omnes tres interpretationes suas patiuntur difficultates.

VI. S. Thomas *lect.* iv. in hunc textum duas promit expositiones. *Hoc*, inquit, *potest dupliciter intelligi. Un modo, ut per hoc quod dicit*, mortuis, *intelligantur opera peccati, quæ sunt mortua, quia carent vita gratiæ, & dicunt ad mortem .... Et secundum hoc plana est littera.* Quid *scilicet* facient *illi* qui baptizantur pro mortuis, *idest pro peccatis abluendis, si non sint vitam gratiæ habituri? Alio modo, quia quidam tunc temporis volebant quod homines possent primo baptizari, ut sibi ipsis remissionem peccatorum consequerentur, & iterum baptizabantur pro aliquo consanguineo suo defuncto, ut etiam post mortem dimitterentur ei peccata: & secundum hoc sit littera*: Quid facient qui baptizantur pro mortuis, *scilicet consanguineis, pro quorum salute baptizantur, si non sit resurrectio mortuorum? Sed isti in aliquo commendari possunt, scilicet in hoc quod fidem resurrectionis videbantur habere; sed in aliquo possunt reprehendi; in hoc scilicet quod unum credebant posse pro alio baptizari. Sed tunc est quæstio. Si oratio unius prodest alteri, quare non etiam baptismus? Ad hoc est duplex responsio. Una est, quod opera quæ faciunt vivi, prosunt mortuis propter unionem caritatis, & fidei: & ideo non prosunt nisi illis qui decedunt cum caritate, & fide: unde infidelibus nec oratio, nec baptismus vivorum prosunt; tamen oratio prodest illis qui sunt in purgatorio. Alia responsio, & melior, quia bona opera valent mortuis, non solum ex vi caritatis, sed etiam ex intentione facientis. Sicut si ego dicerem psalterium pro aliquo qui est in purgatorio, qui tenebatur dicere, ut satisfaciam pro eo; valet quidem quantum ad satisfactionem solum illi pro quo dico. Dicendum est ergo secundum hoc, quod baptismus non habet virtutem ex intentione nostra, sed ex intentione Christi. Intentio autem Christi est ut baptismus illis proficiat qui in Christi fide baptizantur. Consequenter istud inconveniens explicat dicens*: Si omnino mortui non resurgunt. *Et ista explicatio videtur magis convenire secundæ expositioni suprapositæ; quasi dicat*: Ut quid baptizantur pro illis, *idest pro mortuis, si non resurgunt?*

VII. Interpretationum varietas prodit perdifficilem esse Apostoli textum. Secunda S. Thomæ interpretatio mihi ceteris præferenda videtur. Est enim litterali sensui magis consentanea & obvia. Nec est quod opponas, non esse vero simile, Apostolum voluisse ex prava quorumdam consuetudine resurrectionem adstruere. Nam alibi invictis rationum momentis absolute S. Paulus mortuorum resurrectionem evincit. Hic argumento utitur illis revincendis valde tempestivo qui in more habebant vivos pro mortuis baptizare, hac pia credulitate, quod quemadmodum preces, ita & baptismus prodesse defunctis posset. Quisque tamen eam præeligat interpretationem quæ probabilior sibi apparet.

VIII. Quæst. III. *Licitum ne est, & cuiusque superstitionis expers baptismus campanarum?* Resp. Ritum baptizandi campanas, ut superstitionis plenum, arguunt novatores Magdeburgenses, Hospinianus, Vossius, aliique. Istius ritus inventorem fuisse contendunt Ioannem XIII. qui anno 968. Lateranensis Ecclesiæ campanam consecravit, nullo præcedente talis ritus vestigio. Campanæ autem, argutantur isti, sunt baptismi incapaces. Ex quo inferunt, superstitiosum & ridicularium esse baptismum illis collatum. Vana hæc sunt, & futilia.

IX. Ad antiquitatem campanarum quod attinet, vel in ipso veteri testamento consuetudo obtinuit convocandi populum ad Deum colendum sonitu tubarum, ut habetur *Num.* x. Hæc eadem consuetudo viguit primis christianæ Ecclesiæ sæculis convocandi ad templa fideles alicuius instrumenti sonitu. Græci nunc tabulam, nunc laminam ferream malleis pulsabant, antequam Ursus Participatius circiter annum 865. Campanas mitteret ad Michaelem Imperatorem.

X. In Ecclesia occidentali campanarum usum sæculo v. viguisse, communia hactenus opinio fuit, quas a S. Paulino Episcopo Nolano invectas asserit, dictasque propterea Campanas, & Nolas a Nola Campaniæ urbe. Hanc opinionem plures nostri temporis eruditi viri oppugnant, tamquam solido destitutam fundamento; non desunt tamen alii eruditi viri, qui communem opinionem defendant. Verum dissidium istud & parvi momenti est, & ab instituto alienum.

XI. Ritum benedicendi campanas antiquiorem Ioanne XIII. evincunt rerum liturgicarum periti. Martene *Lib. II. cap.* xxi. *de antiq. Eccl. Rit.* Bona *Lib. I. cap.* xxii. *de reb. liturg.* Cl. Ioseph Catalanus in *Pontif. Rom. Part. II. tit.* xxiii. & alii plures. At non propterea licitus, & cuiusque superstitionis expers dicitur ritus iste, quia Ioanne XIII. vetustior; sed ideo licitus ritus est, quia Ecclesia fruitur potestate qua novos instituere ritus valet. Baptismus campanarum lata quadam, & ampla significatione dicitur, quatenus ablutionem significat. Nec enim in hoc baptismo forma adhibetur sacramentalis, nec instructio, & catechismus, nec ministri intentio huc tendit. Sed benedicuntur campanæ: ut sacro illo sonitu, & fragore turbinum impetus, grandinum tempestates, spiritusque infernales procul pellantur, ut fideles intelligant se ad fidei christianæ mysteria celebranda, Dei verbum audiendum, Deumque colendum convocari. Qui plura de hoc sacro ritu scire cupit, legat Gretserum *Lib. de benedict. cap.* xlv. Angelum Rocca *cap.* vii. Ex his constat, ab omnis superstitionis labe immunem esse ritum istum. Sed Novatores nostri, non secus ac obsessi & energumeni, sacras benedictiones omnes, & exorcismos detestantur, & reformidant. Ritus Romanæ Ecclesiæ omnes qui eorum palato delicatissimo non sapiunt, continuo superstitionis insimulant, & accusant, ac si ipsi supremi iudices esset constituti ad iudicium ferendum in Romano-catholicæ Ecclesiæ ritus. Quam sit & ridicularia, & insana eorum audacia, nemo prudens non videt.

CAPUT XV.

De baptismi effectibus.

I. SAnctus Thomas *III. Part. quæst.* lxix. fuso sermone, in decem articulos tributo, effectus quos sacramentum baptismi producit in anima baptizati, recenset, & explicat. Præcipuos hic ego perstringam; & errores hæreticorum obiter indicabo.

II. Origenistæ, ut refert Epiphanius *hæres.* lxiv. docuerunt, peccata non deleri per baptismum, sed sopiri, & tegi. Pelagiani, cum peccatum originale negarent, necessaria consecutione illud per baptismum auferri inficiabantur. Iovinianus in aliud extremum lapsus est. Non modo per baptismum auferri peccatum originale docuit, sed legitime sacro lavacro tinctum peccare postea non posse effutiit. Lutherani, & Calviniani negant peccata per baptismum tolli, & revera deleri, sed tantum tegi, & non imputari, Origenistarum errorem innovantes. His paucis delibatis, breviter effectus baptismi recenseo.

III. Quæst. I. *Confert ne baptismus gratiam sanctificantem?* Resp. Sententia adfirmans de fide est, innumeris Scripturarum testimoniis declarata. S. Paulus *I. Cor.* inquit, *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Iterum ad Titum iii. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* Hæc gratia nos in Dei filios regenerat, & membra Christi efficit; ut inquit Apostolus ad Galat. iii. *Omnes filii Dei estis ... Christum induistis.* Rursus Rom. viii. *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Plura alia testimonia, alioquin obvia, prætereo. Gratia sanctificans, quæ infunditur baptizato, animam efficit divinæ naturæ consortem, & secum

cum comites habet infusas virtutes, & dona Spiritus sancti, quibus expeditiores fiunt ad omnia pietatis officia fideles sacro lavacro tincti, & evadunt filii Dei, non per extrinsecam deputationem, sed per participationem divinæ naturæ, & communicationem eiusdem spiritus.

IV. Quæst. II. *Aufert ne baptismus omnia peccata quoad rationem culpæ?* Resp. Adfirmant Catholici omnes, & luculentis Scripturæ divinæ oraculis evincunt. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: Act. II. Item I. Ioan. I. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato*. Item idem Ioannes *cap.* XIII. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*. Et S. Paulus Rom. VIII. *Nihil ergo damnationis est in iis qui sunt in Christo Iesu*. Hæc autem testimonia evincunt non tegi, non imputari, sed penitus deleri peccata omnia. Qui enim *renascuntur, regenerantur, & renovantur*, ut Scripturæ loquuntur, exuunt veterem immunditiem omnem. Rationem adfert S. Thomas *III. Part. quæst.* LXIX. *art.* I. Per baptismum moritur homo peccato, & vitam vivit divinam, ut asserit Paulus Rom. VI. *Existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu*. Ergo omnia peccata, quæ ad vetustatem vitæ pertinent, in baptismo non teguntur, sed vere moriuntur. Idque docet constans, & perpetua Ecclesiæ traditio, ut definit Concilium Tridentinum *sess.* V. *can.* V. his verbis. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit*.

V. Nec est quod opponatur, remanere in baptizatis concupiscentiam, quæ, teste Apostolo, peccatum est. Quandoquidem peccatum concupiscentia ab Apostolo dicitur, non quod proprie ipsa peccatum formaliter sit; sed quia ex peccato proficiscitur, & ad peccatum inclinat, & allicit; ut Concilium Tridentinum *sess.* V. *can.* VI. definit. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit*. Quod alii obtrudunt, pœnitentiam quæ baptismum præcedit, delere peccata, nullius momenti est; quia contritio etiam perfecta, si baptismi voto careat, peccatum originale non delet.

VI. Quæst. III. *An baptismus deleat reatum pœnæ æternæ, & temporalis?* Resp. Sententia adfirmans definita est in Concilio Florentino in decreto ad Armenos, in quo de baptismo definitum est: *Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ*. Et hoc confirmatum in Tridentino fuit *loc. cit.* Rationem congruentem perhibet S. Thomas *loc. cit. art.* 2. Aqua enim, inquit, non abluit modo, sed refrigerat etiam: & hoc suo refrigerio significat subtractionem reatus pœnæ, sicut sua ablutione significat emundationem a culpa. Præterea hoc constat Ecclesiæ consuetudine, quæ numquam catechumenis sacro lavacro tinctis ullam satisfactoriam pœnam imposuit. Remanent tamen pœnæ temporales, nempe fames, sitis, morbus, & mors ipsa, quæ stipendium peccati est: quoniam, inquit S. Thomas loc. cit. art. 3. *baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ; non tamen eas aufert in præsenti vita; sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione*. Sunt enim eiusmodi pœnalitates materia & occasio certaminis spiritualis & pugnæ, in qua homo victor coronam assequetur. Advertit insuper S. Thomas, per baptismum remitti pœnæ reatum apud Deum, secus apud homines. Quare homicidia, & alia crimina, infesta societati, perpetrata ante baptismum, puniuntur a magistratibus, quorum interest ea plectere quæ publicam pacem turbant.

VII. Quæst. IV. *Baptismus imprimit ne characterem?* Resp. De fide est baptismum imprimere characterem: idque perpetua tum scripta, tum orali Ecclesiæ traditione firmum est; ut definivit Concilium Tridentinum sess. VII. can. IX. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit*. Plura rationum momenta Patres assignant. Baptismus est regeneratio, & nova quædam nativitas spiritualis. Porro sicut una est generatio, ita una est regeneratio. Rursus baptismus est similitudo, & imago mortis Christi Domini; ut ex S. Paulo evincunt Augustinus, & Thomas. At Christus, ait Paulus, *semel mortuus est*. Ergo &c. Item peccatum originale semel contractum, & deletum, numquam revocatur. Ergo neque remedium iterandum est. Quæ omnia evincunt, baptismum characterem imprimere, quo semel regenerati secernantur ab aliis.

VIII.

VIII. Quæst. V. *Quandonam in praxi iterandus baptismus sit?* Resp. Baptismus rite administratus numquam iterandus est, ut ex dictis patet. Diligenter tamen quandoque investigandum est, num error aliquis baptismi essentiam destruens admissus fuerit in eodem tradendo: de quo si constet, aut prudenter dubitetur, baptisma conferri debet. Et primo qui in aliqua hæresi baptizatus est, examinari debet, num *in sanctæ Trinitatis nomine baptizatus sit*: & imbuendus, quo in sensu hoc mysterium credatur. Quod si inventus fuerit sub integra Trinitatis invocatione tinctus, manus impositione confirmandus erit; ut declaratur cap. *Si qui apud illos*, de consecr. dist. IV. Si asserat, *se in nomine Domini tantum* baptizatum fuisse, baptizandus denuo est in nomine SS. Trinitatis; ut statutum est cap. *Si revera*. Si ignoretur num baptizatus sit, neque baptismi indicia extent, similiter baptizari debet. Inquirendum ulterius est, num forma vitiata baptizare hæretici illi a quibus tinctus est, soleant. Siquidem novatorum aliqui, ut facto probent, verba esse non *consecratoria*, sed *concionatoria*, unus aquam fundit, alter evangelica verba recitat. Quem abusum animadvertens Synodus Mechlinienſis, celebrata anno 1607. & a Paulo V. approbata *tit.* III. *cap.* VI. statuit *ut ab hæreticis (qui non sunt ad baptismum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati iterum sub conditione baptizentur*. Ex quibus constat serio examinandos esse qui ab eiusmodi hæreticis baptizati sunt.

IX. Quæst. VI. *Qui ab obstetrice baptizati sunt, debent ne iterum baptizari?* Resp. Adfirmant Synodus Mechlinienſis *loc. cit.* & Iprensis *tit.* XII. Sylvius *III. Part. quæst.* LXVI. *art.* 9. Farvacquesius *quæst.* VIII. & alii. Quoniam, inquiunt, mulieres, necessitate urgente, turbari solent, & aliter Parocho interroganti respondere ac in ea perturbatione fecerint. Sed hoc verum esse potest; dum adest probabilis suspicio obstetricem errasse in aliquo quod ad baptismi substantiam attineat. Ceterum si obstetrix prudens sit, & in examine Parochus eam constantem deprehendat in asserendo, se & materiam aptam adhibuisse, & veram formam pronuntiasse, baptismus iterandus non est etiam sub conditione. Et hoc in sensu loqui videntur Synodi, & Auctores citati.

X. Quæst. VII. *An infantes expositi, schedam collati baptismi collo appensam habentes, sint rebaptizandi?* Resp. Adfirmant plures, negant alii. Ut mihi videtur, certo casus resolvi absolute nequit; sed circumstantiarum varietas spectanda. Rituale Romanum, iussu Pauli V. editum, *tit. de bapt.* hæc statuit. *Infantes expositi, & inventi, si, re diligenter investigata, de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur*. Cum sacramentum istud sit summæ necessitatis, quando auctor schedæ non agnoscatur, & fide dignus non iudicetur, baptismum sub conditione repetendum existimo. Et quia communiter eiusmodi schedarum auctores ignorantur, ideo baptizandus sub conditione infans est.

XI. Quæst. VIII. *An baptismus ficte susceptus, sublata fictione, peccata deleat?* Resp. Duplex fictio. Altera, qua quis exterius se simulat suscipere baptismum, sed interius nec credit, nec vult baptismum suscipere. De hoc nulla quæstio in præsentia: nam is nec effectum, nec sacramentum baptismi accipit; cum desit voluntas illum suscipiendi. Altera fictio est, qua quis revera suscipere baptismum vult; peccata tamen non detestatur, sed illa amore prosequitur, non credit reipsa, non sperat. Hic baptismum recipit, quia vult illum sincere recipere; sed effectum eiusdem non recipit, ob impedimenta indicata. Heinc qui baptismum suscipit in hæresi, in schismate, aut in Ecclesia catholica cum affectu ad peccatum mortale, dicitur ficte accedere ad baptismum. De hoc quæritur, num recedente fictione remissionem peccatorum assequatur?

XII. Sententiam negantem propugnat Scotus. Alii fatentur, remitti peccatum originale, secus actualia perpetrata ante baptismum. Sententia adfirmans vera est, quam defendunt S. Augustinus, S. Thomas, & communiter Theologi, nempe recedente fictione, revivisscere sacramentum, & peccata tum originale, tum actualia ante baptismum perpetrata deleri. Luculenta sunt S. Augustini testimonia. Nam *Lib. I. de bapt. cont. Donat. cap.* XII. scribit: *Tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit*. Item *Lib. III. cap.* XIII. de hæreticis ait: *Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit*. S. Thomas *III. Part. quæst.* LXIX. *art.* 10. hanc promit rationem. Caussa quæ natura sua est effectus productrix, remoto impedimento, illum producit. Baptismus valide susceptus natura sua gratiam producit, nisi impedimentum obsistat. Ergo, obstaculo sublato, reipsa illam efficit. Quamvis enim in se transierit, remanet tamen in charactere, qui, recedente fictione, virtute divina ad

gra-

gratiam producendam elevatur. Tandem peccatum originale deleri nequit nisi per baptismum in re, aut in voto susceptum. At baptizatus in hæresi, in schismate, vel cum affectu ad peccatum mortale, remissionem peccati originalis non obtinet: ex alia parte is non rebaptizatur: neque enim hæretici, cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, iterum tinguntur. Ergo baptismus susceptus, ablata fictione, gratiam producit, deletque peccata omnia tum originale, tum actuale ante baptismum perpetrata, & quæ ipsum comitantur, ut docet S. Thomas *loc. cit. ad* 2. inquiens: *Baptismus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismo*. Subtiles quæstiunculas quas movere nonnulli solent de peccatis perpetratis in instanti *initiativo*, & *terminativo* baptismi, prætereo. In praxi enim peccata commissa in ipsa baptismi susceptione cum affectu ad illa etiam post baptismum administratum confitenda sunt; & hæc per pœnitentiam delentur.

XIII. Quæst. IX. *An qui scienter rebaptizat, incurrat irregularitatem?* Resp. Adfirmant omnes. Cum de fide sit, baptismum rite administratum iterari non posse; sacri canones iure pœnam irregularitatis statuunt contra eos qui scienter rebaptizant. Cap. *Eos quos* de consecrat. dist. IV. Disputant Theologi, num hanc pœnam incurrat qui rebaptizat sub conditione, quando scienter agnoscit esse baptizatum. Negat Leander *quæst.* IX. Verum disputatio hæc superflua videtur. Nam qui evidenter scit aliquem esse baptizatum, nisi aut hæresi aliqua sit inquinatus, aut dementia laboret, non iterabit baptismum; & si iteret, non videtur a pœna præfata immunis.

CAPUT XVI.

De baptismi cæremoniis.

I. MUlti & eruditi Scriptores fuso calamo, & uberi eruditione sacras cæremonias quibus baptismus administratur, illustrarunt, quos inter Iosephus Vicecomes *de antiquis Ecclesiæ ritibus*, Alba Spinæus *Lib. II. antiq. observat. cap.* XXXVI. Christianus Lupus *dissert. de act. S. Leonis IX.* Pauca ego hic delibabo.

II. Cæremoniæ aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur baptismum. Plures in desuetudinem abierunt. Nam aliquando tradita fuit baptizatis *Eucharistia*, adultis sub utraque specie, & parvulis sub specie vini, aut digito Sacerdotis intincto, aut admoto calice. Istius ritus meminerunt Tertullianus *de bapt. cap. ult.* Ambrosius *Lib. de initiand. cap.* VIII. Hugo Victorinus *Lib. I. de sacram. cap.* XXIX. Concilium Tridentinum *sess.* XXI, *cap.* IV. decernit, nulla parvulos obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem. *Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit*. Præterea narrant Casalius, Vicecomes, Martenius post Tertullianum, Clementem Alexandrinum, S. Hieronymum, *lac*, & *mel* degustanda, fuisse tradita baptizatis, & alicubi *vinum dulce*. Imponebatur etiam sertum baptizatorum capiti, tamquam lætitiæ, & evangelicæ libertatis symbolum. Christiani enim dicuntur I. Petri II. *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Tradebantur quoque baptizatis decem *filiquæ*, & *calceamenta*, tamquam symbolum mortis, & Decalogi servandi. Cæremoniæ istæ iam pridem obsolevere. Paucas nunc delibabo earum quæ in usu sunt.

III. *De tempore*. In christianæ religionis primordiis quolibet tempore baptismus administrabatur: post diebus Paschatis, & Pentecostes, ut iam supra indicavi: cuius ritus aliqua vestigia adhuc supersunt; cum in pervigilio Paschatis, & Pentecostes fontes baptismales solemniter benedicantur. Tandem propter fidelium auctam multitudinem quovis tempore tum infantes, tum adultos baptizare cœptum est. Rituale tamen Romanum præscribit ut in baptizandis adultis, nisi vitæ periculum instet, antiquus ritus, quantum fieri commode potest, præsertim in metropolitanis, & cathedralibus Ecclesiis retineatur.

IV. *De loco*. Nullus fuit nascentis Ecclesiæ tempore baptismo administrando designatus locus; sed in viis, in fontibus, in fluminibus, in domibus, in plateis baptizabantur tum pueri, tum adulti. Deinde destinatus fuit locus sacer penes Ecclesiam cathedralem. Istius moris *Florentiæ*, & *Pisis* duo extant baptisteria perinsignia: quia antiquitus soli Episcopi baptizabant. Devoluto ad Parochos baptismi conferendi ministerio, in Ecclesiis parochialibus erecta sunt baptisteria. Digna hæc cultu quodam sunt, quod consecrata sint; & a Patribus vocantur *mater adoptionis*, & *regenerationis sacrarium*.

V. *De sacro baptismatis fonte*. Aqua naturalis est baptismi materia necessaria. Ex præcepto Ecclesiæ, ab apostolica traditione accepto, aqua hæc sacro ritu benedicta sit oportet, orationibus Sacerdotis, contactu ma-

manus, repetito crucis signo, cerei immersione, insufflatione, & chrismatis mixtione.

VI. *Cæremoniæ aliæ quæ baptismum præcedunt*, sunt sequentes. Præsentatio baptizandorum ante Ecclesiæ ianuam, quam ingredi nequeunt; cum sint per culpam originalem filii diaboli: quibus ingressus non conceditur, donec vel per se, vel per susceptores declaraverint se velle, excusso diabolicæ servitutis iugo, Christi servitutem amplecti. Deinde quid petant ab Ecclesia Dei, Sacerdos inquirit: reponuntque, Baptismum. Succedit exorcismus ad expellendum dæmonem, & Sacerdos ter spirat in faciem baptizandi, ut antiqui serpentis flatum expellat. Sal in os eiusdem immittit; ut vitiorum pulsa putredine, bonorum operum saporem baptizatus gustet. Crucis signo obsignantur frons, oculi, aures, humeri, pectus, ut eius sensus excitentur, & muniantur ad divina præcepta intelligenda, & servanda. Nares & aures saliva liniuntur, & *Ephpheta*, idest *adaperire*, pronuntiatur.

VII. *Cæremoniæ quæ baptismum comitantur*. Baptizandum ad sacrum fontem Sacerdos adducit, eumque ter interrogat: *Abrenuntias satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius?* Respondet baptizandus aut per se, si sit adultus, aut per patrinum, si sit infans, ad singulas interrogationes, *Abrenuntio*. Deinceps Sacerdos interrogat: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Respondet baptizandus, *Credo*. Et iterum de aliis symboli articulis interrogatur: & respondet, *Credo*. Tandem interrogatur: *Vis baptizari?* & consentientem baptizat *in nomine Patris* &c.

VIII. *Cæremoniæ quæ baptismum consequuntur*. Baptismo peracto, Sacerdos baptizati capitis verticem inungit: veste candida illum induit, si sit adultus; si infans, linteolum album capiti eius imponit, dicens: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam æternam*. Cereum ardentem ad manum baptizati, aut eiusdem susceptoris tradit Sacerdos, in symbolum fidei caritate ardentis, quam in baptismo cum aliis virtutibus, & donis acceptam custodire debet. Nomen quoque imponitur alicuius ex sanctis viris qui verum Deum coluerunt, missis profanis Gentilium nominibus.

IX. Quæst. I. *Utrum requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat?* Resp. Adfirmant omnes; & congruentem rationem assignat S. Thomas III. *Part. quæst.* LXVII. *art.* 7. his verbis. *Spiritualis regeneratio quæ fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur I. Petri* II. Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite. *In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo. Unde in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & instruendo eum, quasi novitium in fide* &c. Officium autem patrinorum multiplex est. Nam 1. offerunt baptizandum Ecclesiæ. 2. pro illo promittunt. 3. loco eius ad interrogata respondent, symbolum recitant, fidem profitentur, & satanæ abrenuntiant. 4. testes baptismi sunt, & dubio occurrente fidem faciunt. 5. debitum contrahunt imbuendi susceptum suum in fidei morumque præceptis. Advertit tamen S. Thomas *loc. cit. art.* 8. excusari communiter inter fideles ab eiusmodi debito patrinos, quod hæc instructio communiter a parentibus, & a Parochis præstetur. *Si tamen*, inquit, *quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere*.

X. Quæst. II. *Utrum quilibet indifferenter eligi in patrinum possit?* Resp. Nequaquam. Qui hoc munus suscipit, debet esse Catholicus, & etiam, si commode possit, confirmatus, bonisque moribus instructus. Nullo modo admittendi sunt ad hoc officium hæretici, & schismatici, quibuscum nullum commercium Ecclesia habet.

XI. Quæst. III. *An pueri præditi usu rationis possint hoc munus subire?* Resp. Adfirmat Leander cum pluribus aliis. Quidquid sit, an possint admitti in aliquo necessitatis casu; reipsa tamen, ut mihi videtur, admitti non debent. Sed illi ad hoc munus vocandi sunt qui vices pædagogi, & magistri docentis in rebus fidei, & morum implere valent.

XII. Quæst. IV. *An Parochi administrantes baptismum sine patrinis peccent mortaliter?* Resp. Adfirmat communis sententia. Licet enim ritus patrini non sit de necessitate sacramenti; est tamen de necessitate præcepti ecclesiastici. Et qui ritus ab Ecclesia præscriptos violant, peccant mortaliter; cum materia gravis sit, sicuti est in casu proposito. In privato tamen baptismo non videtur astringere præceptum istud, præsertim necessitate urgente; ut docent Suarez, Sanchez, Layman, & alii, quos citat, & sequitur Leander *disp.* VII. *quæst.* III.

XIII. Quæst. V. *An plures debeant esse patrini; & an Monachi, & Regulares possint hoc officium exercere?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* II. statuit, *ut unus tan-*

tantum, sive vir, sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Si tamen plures tangerent, & nemo esset designatus; tunc iuxta ius antiquum omnes contraherent, ut communior opinio docet.

XIV. Quantum ad secundam partem, Monachi sunt expresse exclusi ab hoc officio: cap. *Non licet* de consecr. . . . dist. IV. & cap. *Monach.* Si tamen puerum ex sacro fonte susciperent, cognationem spiritualem contraherent.

XV. Regulares Mendicantes non comprehendi laudato *cap.* contendit Leander *quæst.* XVI. cum aliis. Verum probabilior mihi videtur sententia opposita: quia non minus dedecet Regulares Mendicantes quam Monachos familiaritatem habere cum feminis. Et hanc sententiam defendunt *Angelus*, *Vivaldus*, *Sanchez*, *Filliucius*, *Bonacina*, *Ledesma*, *Rodriguez*, *Diana*, *Layman*, & alii, quos citat ipse Leander. P. Druin *de re sacrament. quæst.* IX. *cap.* I. §. 2. in confirmationem hujus sententiæ adducit decretum Concilii provincialis Aquensis his verbis conceptum. *Compater ne adhibeatur Regularis aliquis, nec passim Clericus sæcularis sacris initiatus; aut beneficium ecclesiasticum obtinens . . . . . Quod idem de confirmatione intelligatur.* Quid quod cuiusque fere ordinis constitutiones id vetant? Et profecto rationibus pluribus congruum est ut Regulares ab hac cognatione spirituali abstineant. Nec superiores indulgere, licentiamque concedere debent, ne sint occasio plurium cognationum.

XVI. Quæst. VI. *Quot sunt personæ quibuscum patrinus contrahit cognationem spiritualem?* Resp. Tres sunt, nempe baptizatus, pater, & mater eiusdem, ut constat ex Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* II. Quare inter illum & istos matrimonium esse nequit. Nulla ergo nunc est cognatio fraternitatis spiritualis inter baptizatum, & filios patrini. Nulla quoque cognatio inter patrinum & matrinam, seu inter duos susceptores, nullumque inter eos oritur impedimentum, ut docent communiter Auctores, inquit Leander *quæst.* XXIX. Similiter baptizans contrahit cognationem spiritualem cum baptizato, cum patre, & matre eiusdem. *Sanchez*, *Reginaldus*, *Bonacina* contendunt, patrinum non contrahere cognationem spiritualem, si per errorem suscipiat filiam Pauli, credens eam esse filiam Petri. Sed hæc opinio falsa est; cum diversitas hæc materialis omnino sit, respectu officii patrini. Quando quis mittit procuratorem, ut nomine suo suscipiat baptizandum, quis contrahit spiritualem cognationem? Sotus *in IV. dist.* IV. *quæst.* I. *art.* 2. Toletus *Lib. VII. cap.* VIII. & alii defendunt, cognationem spiritualem contrahi a procuratore, qui nomine principalis suscipit infantem de sacro fonte. Alii contendunt contrahi a principali. Alii tandem nec a procuratore, nec a principali contrahi docent: non a procuratore, quia gerit vices alterius; non a principali, quia reipsa officium patrini non exercet. Hanc opinionem defendit Leander *dis.* VII. *quæst.* XXII. & pro eadem citat *Sa*, *Reginaldum*, *Filliucium*, *Dianam*, & alios. Hæc opinio mihi falsa est, & primam probabiliorem existimo.

CAPUT XVII.

Professionis baptismalis onera. Abrenuntiationis vis, & significatus.

I. HActenus baptismi naturam, proprietates, effectus, & plura quæ disputari inter Theologos solent, brevi calamo exposui. Illud nunc reliquum est ut sacrum illud fœdus quod Christiani baptizati cum Deo adversus diabolum, eiusque pompas, mundum, eiusque oblectamenta, & lenocinia ineunt, paucis perstringam. Fœdus conventio inter partes duas est, qua altera alteri sese obstringit ad aliquid præstandum, adiectis symbolis externis, quibus contractum mutuum fœdus solemni testificatione sanciatur. Porro Christiani in sacro regenerationis lavacro solemni ritu in faciem Ecclesiæ, spectantibus Angelis, perpetuam servitutem Deo spondent, eiusque mandatorum observantiam; & Deus vicissim suam gratiam, dona, auxilia impertitur, atque æternam pollicetur coronam.

II. Sancti Ecclesiæ Patres, præsertim Dionysius, Ephrem Syrus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Chrysostomus, Au-

gustinus, Hieronymus, & ceteri fere omnes professionis baptismalis onera fusa oratione exponunt, & Christianorum animis imprimere student. Illorum prolixiora testimonia prætereo, & pauca dumtaxat ex Chrysostomo, Ambrosio, & Augustino delibabo. Ille *homil.* XXI. *ad popul. Antioch.* renunciationem in baptismo factam his verbis extollit. *Dic igitur continue: Abrenuntio tibi satana: nihil hac voce tutius, si ipsam per opera exhibeamus. Hanc & vos, initiandi, ut discatis obsecro. Hæc enim vox confœderatio cum Domino est. Et sicut nos servos ementes, ipsos qui venduntur, prius interrogamus, an nobis servire velint; ita facit & Christus: cum te in servum assumpturus est, prius interrogat, an velis illum crudelem tyrannum, & immitem deserere, & fœdera tecum percutit ac suscipit. Non enim coacta, & violenta est eius dominatio.* Lege ibi plurima. S. Ambrosius *Lib. I. de sacrament. cap.* II. scribit: *Venimus ad fontem: ingressus es: considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi levita Christi, quasi luctamen huius sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona. Luctaris in sæculo, sed coronaris a Christo, & pro certaminibus sæculi coronaris. Nam etsi in cælo præmium, hic tamen meritum præmii colligitur. Quando te interrogavit: Abrenuntias diabolo, & operibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo, & voluptatibus eius? Quid respondisti? Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam eius accipias: teneris astrictus, & reluctantem te fenerator astringit: si recusas, vadis in iudicium, atque illic tua cautione revinceris. Ubi promiseris, considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti: sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrantem. Ergo chirographum tuum tenetur, non in terra, sed in cælo. Considera ubi capias sacramenta cælestia . . . . Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti sæculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem considerat. Et tu, qui fidem debes Christo, fidem serva, quæ multo pretiosior pecunia est.*

III. S. Augustinus pluribus in locis professionis istius meminit. Pauca ex *Lib. IV. de symbolo ad catechum.* transcribam. *Cum exclusus fuerit pessimus invasor, introducatur optimus possessor. Quis est invasor? Diabolus. Quid invasit? Hominem, quem non fecit, insuper & decepit. Promisit ei immortalitatem, & propinavit iniquitatem. Huic vos renuntiare professi estis, in qua professione, non hominibus, sed Deo, & Angelis eius conscribentibus, dixistis, Renuntio. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed & actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo, & veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, non iure vos attrahat in servitutem suam. Deprehenderis enim, & detegeris, Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem: modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare . . . . Quid tibi cum pompis diaboli, amator Christi? Noli te fallere: odit enim tales Deus, nec inter suos deputat professores quos cernit viæ suæ desertores . . . . Eligite amare Creatorem mundi, & renuntiate pompis mundanis, quibus princeps est diabolus cum angelis suis.*

IV. Intrepide Christiani omnes, & audenti animo respondent, se diabolum spernere, detestari, reiicere, se cum eodem certamen habere, & eiusdem victores evadere, numquam eidem fasces submittere, aut obsequium præstare. Hæc ore pronuntiant: at numquid opere implent? Renuntiasti diabolo, & operibus eius. Opus illius superbia, cuius ille primus auctor est, quæque illum ex Angelo diabolum effecit. Hæc omnis peccati radix & initium. Hanc in nos per Adamum prævaricatorem ille transfudit. Hæc est lues sævissima, quam per originalem culpam contraximus omnes, quæque dominatur, & bonis ipsis operibus nostris insidiatur. Sicut ex peste dominante communiter moriuntur homines; sic immanissima superbiæ lue plures quam ex aliis morbis qui inde proficiscuntur, pereunt, & ad dæmonum orcum corruunt. Recogita ergo, o Christiane, num revera opere superbiæ renuntiaveris, num humilitatis spiritum, nempe Christum Dominum, indueris: alioquin fallax est renuntiatio tua, mendax est professio tua. Superbiæ germina sunt pompæ mundi, ambitio, arrogantia, vanagloria, prudentia carnis, elatio cordis: hæ, & aliæ id genus interiores pompæ diaboli sunt; exteriores vero, vestes nimium vanæ, ædes nimium superbæ, spectacula, choreæ, lautiores epulæ, magnifica supellex, quibus homines efferre se supra ceteros gestiunt.

V. Quid? Diabolo ne adhærent, professionemque baptismalem violant qui splendidas induunt vestes, qui superbas inhabitant ædes, qui lautis epulis vescuntur, qui spectacula & choreas frequentant, & ceteris mundi oblectamentis fruuntur? En occultissimos scopulos, quos declinare difficillimum est. Quoniam ex superbia ignorantia nascitur, quæ impedit, nisi divinum affulgeat lumen, eorum quæ indicavi, sive honestatis, sive malitiæ confinia dignoscere. Dum homo in eisdem ultimum finem constituit, proculdubio peccat. Porro quandonam præfata homo tamquam ultimum finem, in quo sistat, & quiescat, sibi constituat, quis scire hominum absolute valet? Quisque interrogare conscientiam suam, & serio examinare debet, num pompas, epulas, oblectamenta ludorum, chorearum, spectaculorum, & pomparum in Dei gloriam, & cultum referre sincere possit.

VI. Tria sunt præ oculis habenda, ut diiudicetur, an aliquid ad diaboli pompam pertineat, 1. christianæ professionis sanctitas, 2. iustitia, 3. christiana moderatio, ut inquiunt communiter graviores Theologi, quos inter Merbesius *III. Part. quæst.* 11. Quis inficias iverit, quæ ex peccato manant, aut ad peccatum inducunt, patrandique peccati occasiones proximæ, vel propinquæ sunt, ut choreæ promiscuæ, saltationes nocturnæ, feminarum nuditates, superfluæ, & immodestæ vestes, pompæ immoderatæ, comœdiæ obscenæ, spectacula impudica, & plura alia eiusmodi, ad diaboli pompam pertinere? *In spectaculis* (inquit Salvianus Lib. VI. de gubernat. Dei) *quædam fidei apostasia est, & a symbolis ipsius, & cælestibus sacramentis letalis prævaricatio. Quæ est enim in baptismo salutaris Christianorum prima confessio? Quæ scilicet, nisi ut renuntiare se diabolo, ac pompis eius, atque spectaculis, & operibus protestentur? Ergo spectacula, & pompæ etiam iuxta nostram professionem opera sunt diaboli.*

VII. Sumptus effusi, ædes plus æquo magnificæ & superbæ, opipara convivia quotidiana, vestitus plus iusto splendidus, servorum turba, curruum, equorum multitudo, & alia similia, si impediant quominus debitæ eleemosynæ erogentur, mercenariorum, & mercatorum debita solvantur, & liberi honeste educentur; si ad illicita perpetranda inducant, & in miseriam, angustiasque detrudant; professioni christianæ adversantur, & ad diaboli pompam attinent, & christianæ moderationis limites transiliunt. Quod enim sive in superbo vestitu, sive in divitiis conquirendis, sive in epulis exquisitioribus, sive in comœdiis frequentandis, sive in ludorum abusu discrimen inter Christi, & diaboli professores? Porro Christianis omnibus hæc Apostolus Paulus *I. Cor. cap.* VII. denuntiat. *Hæc itaque dico, fratres: tempus breve est; reliquum est ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præteriit enim figura huius mundi.* Qui sunt casuisticis disputationibus assueti, expectabunt ut definita confinia honestatis, & malitiæ, ut limites peccati mortalis, & venialis patefaciam, & alias similes distinctiones multiplicem. At hæc me ignorare confiteor: nec aliud reponere valeo, nisi ut professionis baptismalis memores sint; & ut serio pauca quæ ex Patribus delibavi, meditentur. Quoniam si pro viribus, quæ Deo solemni ritu spoponderunt, implere studuerint, lumen cæleste assequentur, quo & laqueos diaboli devitare, & divina implere mandata poterunt.

VIII. Abrenuntiationem nostram votum appellant Patres. S. Augustinus epist. lix. *Voventur*, inquit, *omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio; quo sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos novimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi, cuius rei sacramentum est, quod unus panis, unum corpus multi sumus.* In baptismo maximum emittimus votum, quo spondemus in compage corporis Christi nos permansuros. Hæc promissa exsolvimus, cum sacrum eucharisticum panem sumimus, cuius participatione, veluti quodam divinæ caritatis vinculo copulati, unum corpus cum Christo capite constituimur; & hac ratione maximum votum persolvimus. Christianus ergo religiosus est, cuius vita ad religionis, quam Christus ipse instituit, normam exigenda est: quæ religio omnes religiones, seu sacros ordines peperit. Votum istud, inquit Cardinalis Berullus apud Merbesium *loc. cit.* religionis Christi (quam Christus ipse instituit, quamque omnium prima professa est Beata Virgo, & Apostoli, primique Præpositi) votum est non secundum, aut quartum, aut nonum privati cuiuspiam Ordinis; sed votum in primariis christianæ religionis officiis fundatum. Votum est, non religionis quæ suam originem viro cuipiam sanctissimo referat acceptam, quæ ad sui regimen præscriptam habeat regulam, quæ se ab aliis externo habitu differre patefaciat; sed religionis quam Sanctus sanctorum, & ipsemet Dei Filius instituit, quæ totius orbis terræ limitibus circumscribitur, quæ unum Evangelium, veluti divinam suæ directionis regulam, intuetur, quæ habitum induit ipsum Christum Dominum. Hoc est votum, hæc est professio solemnis quam Christiani omnes in baptismo sacro ritu Deo vovent, & a qua ceteræ omnes religiones proficiscuntur. Absit tamen ut simplicem Christianorum statum, & ordinem præferre contendam monasticæ professioni, quæ tria consilia evangelica Deo servanda vovet. Sed professionis christianæ dignitatem, altitudinem, & perfectionem, in caritate sitam, dumtaxat expono, ut Christianos excitem ad ea quæ Deo voverunt, implenda. Christianam abrenuntiationem non modo antiqui Patres, sed Theologi ipsi graviores votum appellant. S. Thomas Theologorum Princeps 2. 2. *quæst.* lxxxviii. *art.* 2. *ad* 1. docet. *Hoc modo sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis diaboli, & fidem Christi servare: quia voluntarie fit, licet sit de necessitate salutis.*

IX. Merbesius *loc. cit.* plura rationum momenta in medium promit, ut evincat, abrenuntiationem in baptismo factam, veram voti rationem habere. Verum quæstionem hanc tanti non facio, ut longius eam producendam existimem. Illud sat est, omnes fateri, abrenuntiationem baptismalem deliberatam, & solemnem professionem esse de re grata Deo, & accepta, qua Christiani fœdus cum Christo Iesu ineunt, illique perpetuam spondent servitutem. Omnes quoque fateri debent, gravius Christianum peccare, violando aliquod mandatum, quam Ethnicum & infidelem; ut S. Thomas in *IV. dist.* xxxviii. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3. docet. *Magis peccat baptizatus eodem genere peccati quam non baptizatus, ut patet Hebr.* x. Quanto putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? *&c. Et ideo non frustra emittitur* (commune baptismi votum) *cum addat aliquam obligationem; sicut lex scripta addit aliquam obligationem supra legem naturæ; & ita non facit aliud peccatum, sed novam deformitatem addit.* Neque cavilleris, inauditum esse quod hæc addita circumstantia aperiri in confessione debeat: quoniam Confessarii non ignorant, pœnitentes suos baptizatos esse; & consequenter peccata ab iisdem perpetrata, multo graviora esse ratione voti, seu professionis emissæ in baptismo violatæ. Ipsi enim præ oculis habeant oportet monitum Concilii Tridentini *sess.* xiv. *c.* viii. ubi hæc habentur. *Divinæ iustitiæ ratio exigere videtur ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti iniurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Missis itaque disputationibus, quæ subtiliter vitilitigare, non recte vivere docent, ea meditentur pii lectores quæ ex Patribus, & Conciliis brevi calamo delibavi.

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

PRÆLOQUIUM.

Amquam ineptum commentum, & otiosam cæremoniam, novatores reiiciunt CONFIRMATIONIS sacramentum. Eruditorum plures contendunt, Lutheranos, & Calvinianos non esse primos huiusce hæresis fabricatores; sed istis præivisse Novatianos, Donatistas, Arianos, Apollinaristas, Valdenses, Wiclefistas, & Ussitas. Alii contra sustinent, non esse Protestantibus hanc gloriam invidendam, quod fuerint novæ huius hæresis repertores. Illud est certum, antiquorum hæreticorum neminem adeo audacter, & impudenter sacramentum istud improbasse. Calvinus *Lib. IV. Inst. cap.* XIX. §. 4. fatetur, morem obtinuisse ut ipsis primis antiquis temporibus pueri baptismo initiati iterum a parentibus repræsentarentur Episcopo, a quo manuum impositionem recipiebant. *Quo autem*, inquit, *hæc actio, quæ alioqui gravis sanctaque merito esse debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur manuum impositionis... Huius moris sæpe mentionem faciunt veteres. Leo Papa* (*epist.* XXXIX.) *Si quis ab hæreticis redit, ne iterum baptizetur: sed quod illic ei defuit, per episcopalem manuum impositionem virtus Spiritus sancti ei conferatur. Clamabunt hic nostri adversarii, sacramentum iure vocari in quo Spiritus sanctus conferatur.* Non clamant Catholici, sed lugent potius dementem Calvini cæcitatem. Fatetur ille, antiquos Patres docuisse, baptizatis collatum fuisse Spiritum sanctum per manuum impositionem: & continuo subdit §. 5. posteriorem ætatem *fictitiam nescio quam confirmationem pro Dei sacramento* posuisse. Lutherus quoque *Lib. de captiv. Babylon.* e numero sacramentorum expungit confirmationem; subdit tamen: *Satis est pro ritu quodam ecclesiastico, seu cæremonia sacramentali confirmationem habere.* Theologi catholici, convulsis hæreticorum fabulis, pleno in lumine controversiam hanc constitutam omni argumentorum genere, & solida eruditione illustrarunt. Actum agerem, si vellem ex instituto eamdem versare. Pauca ex iisdem delibabo, ut lectores meos non solum in disputationibus casuisticis, verum etiam in iis quæ dogma sacramenti confirmationis spectant, imbuam.

CAPUT I.

Confirmatio est verum sacramentum novæ legis.

I. EX ingenti documentorum multitudine quæ a Theologis catholicis adduci solent, pauca decerpam. Et principio *Act. cap.* VIII. hæc habentur. *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei; miserunt ad eos Petrum, & Ioannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Ad veram rationem sacramenti novæ legis requiruntur quatuor. 1. Ut sit signum sensibile: & hic habemus *manuum impositionem, & orationem*. 2. ut sit a Christo Domino institutum: & hanc institutionem divinam factum Apostolorum evincit. 3. ut habeat vim producendi gratiam: & in confirmatione gratiam infundi, ostendunt illa verba, *Accipiebant Spiritum sanctum*. 4. ut perpetuum sit in Ecclesia catholica.

II. Respondet Dallæus (qui præ ceteris Calvinistis catholicam de hoc sacramento doctrinam oppugnare pertentavit) per Spiritum sanctum, quem Apostoli manuum impositione conferebant, non intelligi gratiam interiorem, sed donum linguarum. Verum commentum istud tamquam vanissimum, & oppositum tum Scripturis ipsis, tum perpetuæ Ecclesiæ traditioni, & Patrum consensui, evidenter demonstrarunt Theologi catholici. Apostolorum tempore utrumque infundebatur; ut perspicue S. Augustinus *Lib. III. de baptis. cap.* XVI. docet. *Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur, propter vinculum pacis, eorum cordibus divina caritas inspirari.* Quis nunc incredibilem Calvini audaciam ferat, qui *Lib. IV. inst. cap.* XIX. §. 6. scribillat. *Qua igitur in parte histriones isti Apostolos se imitari dicent? Hoc agendum erat manuum impositione, ut evidens Spiritus sancti virtus statim se exereret. Id non efficiunt. Quid igitur pro se iactant manuum impositionem, quam Apostolis quidem in usu fuisse legimus, sed prorsus in alium finem?* Calviniani, & Lutherani Scripturas divinas petunt: cum illas, & quidem luculentas, damus, cavillantur eas alio in sensu ab illo in quo hactenus Ecclesia, in qua illi ipsi nati sunt, accepit, intelligendas. Quare nulla cum hominibus istis esse disputatio potest.

III. Evincitur catholica veritas ex perpetua Ecclesiæ traditione. Concilium Eliberitanum anno circiter 305. *can.* XXXVIII. hæc habet. *Peregre navigantes, aut, si Ecclesia in proximo fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum habet integrum, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum; ita ut, si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Similia decernit *can.* LXXVII. Concilium Nicænum I. *can.* VIII. definit, *Novatianos ad Ecclesiam redeuntes, recipiendos esse per manus impositionem.* Concilia posteriora, Arausicanum I. ann. 441. *can.* 2. Hispalense II. ann. 619. Parisiense VI. ann. 829. *cap.* XXXIII. & cetera sequentia hanc catholicam veritatem confirmant.

IV. Sancti Patres unanimi consensu confirmationem loco sacramenti habent. Tertullianus *Lib. de baptism. cap.* VII. inquit: *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant... In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quo in aqua mergimur, spiritualis effectus, quo delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans, & invitans Spiritum sanctum.*

V. S. Cyprianus *epist.* LXXIII. ad Iubaianum hæc scribit. *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.*

VI. S. Cyrillus Hierosolymitanus *cateches.* III. *mystagog.* in qua ex instituto de confirmatione agit, hæc inter alia scribit. *Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus sanctus.... Vos uncti estis unguento; facti participes, & consortes Christi. Ceterum vide ne illud esse putes unguentum tantum: quemadmodum enim panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi; sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquam iam consecratum est, quod Christi, & Spiritus sancti præsentiam efficit.* Hæc, & plurima alia similia Cyrillus, qui sæculo IV. floruit, ibidem scribit. Quid ad hæc Calvinus? qui *Lib. IV. Instit. cap.* XIX. §. 5. inquit: *Videmus oleum, crassum scilicet, & pinguem liquorem, præterea nihil.* Non est mirum, hominem carnalem, extra Ecclesiæ arcam reiectum, & cælesti lumine destitutum, nihil videre, præter *oleum*, & quidem *crassum*. At nobis sat est sanctos Apostolos, & Ecclesiæ Patres, quemadmodum sub symbolo panis corpus Christi, ita sub symbolo olei Spiritum sanctum videre. Sed ad revincendam Calvini, & Protestantium omnium cæcitatem aliorum Patrum testimonia proferam.

VII. S. Ioannes Chrysostomus in *cap.* XVIII. *Act. Apost.* inquit: *Quare non acceperunt Spiritum sanctum ii qui baptizarentur? Vel forsan quia Philippus in hoc Apostolos brevi venturos honorabat, vel quod donum non habebat, erat enim ex septem illis: quod magis videtur dicendum.... Nam virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum.* Alia ergo ex Chrysostomo est virtus faciendi signa, alia est virtus dandi Spiritum sanctum: quidquid in oppositum cum Calvino fabuletur Dallæus.

VIII. S. Augustinus *Lib. II. contr. litter. Petilian. cap.* CIV. hæc docet. *In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed potest esse in hominibus pessimis.... Discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse*

& in bonis, & in malis potest .... ab invisibili unctione caritatis, quæ proprie bonorum est. Colligere heinc Calvinus, & Calviniani debent, quam turpiter fallantur, dum ex epistola Augustini ad Ianuarium inferre contendunt, duo tantum recognovisse Augustinum sacramenta; cum hic conceptis verbis confirmationem sacramentum esse doceat. Quod confirmat *Lib. XV. de Trinit.* inquiens: *Unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia*.

IX. S. Hieronymus in dialogo adverf. Luciferianos: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret*. Aures arrigite Lutherani, & Calviniani. Etiamsi Scripturæ auctoritas aperta non esset, consensus omnium Ecclesiarum veritatem catholicam demonstraret. Plura enim oretenus a Christo acceperunt Apostoli quæ scriptis non consigarunt. Sed pergit S. Doctor. *Non quidem abnuo hanc Ecclesiæ consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus, ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus, excurrat... Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem non asserimus in vero baptismate tribui; disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit*. Si confirmatio sola esset cæremonia, ut Lutherus, & Calvinus effutiunt, non esset solis Episcopis reservata; sed quilibet Sacerdotes exercere eamdem possent.

X. Missis pluribus aliis tum Patrum, tum Conciliorum testimoniis, transcribo ex Concilio Tridentino *sess.* VII. *de confir. can.* I. definitionem catholicæ doctrinæ. *Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit*.

XI. Opponunt 1. heterodoxi, potissimum Dallæus. Ignatius, Polycarpus, Clemens, Iustinus, Athenagoras, Theophilus, Tatianus, Irenæus, qui propinquiores Apostolis floruerunt, nihil scriptum de confirmatione reliquerunt. Ergo confirmatio ab Apostolis non proficiscitur. Resp. Argumentum istud negativum ex silentio aliquorum Scriptorum in aliorum conspectu vanissimum est. Numquid novatores nostri omnia quæ præfati Patres scriptis mandarunt, legerunt? Numquid ad istorum manus omnia illorum scripta pervenere? Numquid citati Patres omnia religionis nostræ dogmata scriptis illustrata ad nos transmiserunt? Secundo, tertio, & sequentibus sæculis Tertullianus, Cornelius, Cyprianus, & ceteri posteriores Patres confirmationem sacramentum ab Apostolis acceptum, a Christo institutum, testantur. Quid quod S. Clemens *epist.* I. *ad Corinthios*, istius sacramenti meminit; sicut & Theophilus in eo quod restat ad *Autolycum* opere, ut adductis testimoniis Theologi catholici ostenderunt?

XII. Opponunt 2. Apostoli nonnisi gratias quas vocant gratis datas, per manuum impositionem conferebant. Hic effectus nunc non producitur. Ergo confirmatio non est sacramentum. Resp. Iam inter disputandum dictum est, duo Apostolorum tempore collata fuisse, nempe & gratiam sanctificantem, & linguarum dona, aliasque gratias gratis datas. Nunc unum confertur, nempe gratia sanctificans.

XIII. Opponunt 3. Plures Scriptores *sæculi* IX. nullum discrimen constituunt inter unctionem quam Sacerdos in baptismo adhibet, & unctionem quam peragit in confirmatione. Ergo confirmatio non est sacramentum distinctum. Resp. Antecedens falsum est. Nam triplex illius sæculi Scriptores discrimen assignant inter baptismi, & confirmationis sacramenta; ut ipse Valafridus Strabo declarat. 1. unctio baptismalis fit in vertice capitis; & in confirmatione frons ungitur. 2. in baptismo Sacerdos, in confirmatione Episcopus ungit. 3. in confirmatione, secus in baptismo, fit manuum impositio. Idcirco errat Dallæus, dum asserit, eamdem esse in utroque sacramento materiam. Siquidem licet sit idem chrisma, seu materia remota, diversa tamen est materia proxima; cum in confirmatione, ut dixi, unctioni adiecta sit manuum impositio. Si plura hoc de argumento cupis, legesis *Druyn*, *Vitassium*, *Berti*, *Turnely*, & alios qui ex instituto sophismata Dallæi convellunt.

C A-

CAPUT II.

De confirmationis materia. Plures quæstiunculæ resolvuntur.

I. Convenit penes omnes Theologos catholicos, materiam confirmationis esse vel chrisma, vel manuum impositionem, vel utrumque simul, contra Lutherum, Calvinum, Dallæum, aliosque novatores. Pro confirmationis materia solam manuum impositionem assignant Petrus Aureolus, Sambovius, Isacius, Habert, L'Hermenier. In chrismate illam constituunt Theologi alii. Nonnulli, ut Tapperus, & Morinus, utramque disiunctive volunt esse materiam essentialem, ita ut satis sit unam, aut alteram adhibere. In utraque simul, unctione, & manuum impositione, eam constituunt Merbesius *III. Part. diss.* II. *quæst.* V. Natalis Alexander *cap.* I. *art.* 2. Iuvenin *diss.* III. *quæst.* II. *cap.* III. Ludovicus Habert *cap.* III. §. 2. Cardinalis Gotti *quæst.* 2. *dub.* I. Honoratus Turnely *quæst.* I. *art.* 3. Vitassius *quæst.* II. *art.* 3. *sec.* 5. & 6. Druin *de re sacrament. quæst.* III. *cap.* I. Boucat *diss.* 2. *concl.* I. Laurentius Berti *Lib. XXXII. cap.* IV. Huic ultimæ sententiæ, ut probabiliori, subscribo.

II. Dico igitur, *materiam adæquatam sacramenti confirmationis esse manuum impositionem, & chrisma*. Primam partem evincunt manifeste divinæ Scripturæ. Nam *Act.* VIII. dicitur: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Rursus cap. XIX. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu: & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos*. Heinc sic argumentor. Aut nullum est sacramentum confirmationis; & hæc est novatorum hæresis: aut manuum impositio est illius materia. Nam nullum in divinis Scripturis testimonium occurrit, quo adversus hæreticos evincere possimus, Apostolos alio ritu quam manuum impositione administrasse confirmationis sacramentum.

III. Confirmant hanc veritatem Patres, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus *epist.* LXXIII. ad Iubaianum. *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur*. S. Ioannes Chrysostomus in *cap.* VIII. *Act.* inquit, *hoc nunc facere Episcopos quod Apostoli manuum impositione, & oratione super neophytos faciebant*. S. Hieronymus in dial. adverf. Luciferian. *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipit Spiritum sanctum*. S. Augustinus *Lib. XV. de Trinit. cap.* XXVI. asserit. *Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum: orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant; non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia*. Nec diutius immoror in re apertissima.

IV. Alteram partem, nempe unctionem chrismatis esse partem essentialem materiæ sacramenti confirmationis, traditio Ecclesiæ tum orientalis, tum occidentalis evincit. Innocentius I. *epist. ad Decentium* scribit, solos Episcopos *frontem ex oleo signare, cum tradunt Spiritum Paracletum*. S. Leo *ser. de Nativit.* inquit: *Renati per aquam, & Spiritum sanctum accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ*. Item Gregorius Magnus in Sacramentario ait: *Episcopus tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte*. Nec solum Pontifices, sed omnes antiqui Scriptores, & Patres Ecclesiæ hoc idem confirmant. Tertullianus *de baptism. cap.* VII. hæc habet. *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit*. S. Cyprianus epist. ad Numidas. *Ungi quoque necessum est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*. S. Augustinus tract. III. in Epist. Ioan. *Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cuius sacramentum est in unctione visibili*. Accedit consensus Patrum Græcorum, Dionysii, Irenæi, Cyrilli Hierosolymitani, Theodoreti, & aliorum, quorum aliqua testimonia dedi supra.

V. In utraque parte igitur, nempe & in manuum impositione, & in chrismate, integra, & adæquata materia sacramenti confirmationis constituenda est: quia utriusque meminerunt Patres, & tam manuum impositioni, quam chrismati, gratiæ spiritualis effectum tribuunt; ut ex iis quæ dicta sunt, patet.

VI. Opponunt 1. Ecclesia Græca chrisma dumtaxat in sacramento confirmationis adhibet, omissa manuum impositione. Ergo hæc manuum impositio non est pars essentialis materiæ huius sacramenti. Resp. Adducta sunt testimonia in quibus manuum impositionis confirmatoriæ meminerunt Patres Græci. Porro sicuti isti non excludunt unctionem; ita qui unctionem nominant, non excludunt manuum impositionem. Silentium quorumdam Scriptorum nullo modo officere

 lucu-

luculentis Patrum aliorum testimoniis potest. Plura adducunt nostræ sententiæ propugnatores Euchologia Græcorum in quibus unctio cum manuum impositione adhibetur.

VII. Opponunt 2. Innocentius III. cap. *Cum venisset*, docet, *per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum*. Et huic sententiæ accedit Eugenius IV. in decreto ad Armenos, inquiens, *loco manus impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum sanctum, in Ecclesia dari confirmationem*, idest chrismationem. Quid quod in ipso Rituali Romano nulla fit impositionis manuum mentio? Resp. Sensus utriusque Pontificis eodem recidit. Istorum neuter asserit, chrismationem accipiendam esse pro manuum impositione, hac exclusa. Sensus itaque utriusque Pontificis est, modo *confirmationem* appellari quæ Apostolorum tempore dicebatur *manuum impositio*. Quod verba Innocentii hunc præseferant sensum, colligitur ex verbis quibus evincit, ad solum Episcopum pertinere frontis chrismationem: *quia*, inquit, *de solis Apostolis legitur (quorum Vicarii sunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant*. Non ergo Innocentius manuum impositionem excludit, sed chrismatione exprimit Apostolorum ritum, nempe manuum impositionem. Quod de Romano Rituali additur, falsum est, immo in eodem aperte dicitur, extendendas versus confirmandos manus. Nec est quod opponatur, extensionem manuum non esse manuum impositionem: nam eiusmodi cavillatio ineptissima est. Extendere quippe manus versus confirmandum in subiecta materia idem est ac manus super eumdem imponere.

VIII. Opponunt 3. contra secundam partem. Nullibi in sacra Scriptura chrismationis, sed solius manuum impositionis fit mentio, ut ex *Act. cap.* VIII. constat. Ergo sola manuum impositio est istius sacramenti materia adæquata. Resp. Legitimus Scripturarum sensus ex Patribus Apostolis propinquioribus eruendus est. Expressa commemoratio manuum impositionis non excludit unctionem; sed eidem annexam fuisse laudati Patres docent, ut ex productis testimoniis exploratum est. Rationem cur Scriptura divina non meminerit chrismatis, assignat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXII. *art.* 2. *ad* 1. quia nempe chrismatio significat invisibilem Spiritus sancti descensum: tunc enim visibiliter in suis donis Spiritus sanctus descendebat. *Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionys. cap.* IV. *eccl. Hierarch. Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri (idest Apostoli) chrismatis hostiam nominant.*

IX. Quæ super celebri canone Concilii I. Arausicani, anno 441. celebrati, in utramque partem disputant Sirmondus, & Sancyranus, seu Petrus Aurelius, discutere non vacat; cum ab eruditis Theologis enucleata iam sint. Communior sententia defendit, ex hoc canone expungendam esse particulam *non*; qua sublata, sensus canonis apertus est. Disputari etiam solet, num ad fidei dogma pertineat, unctionem esse istius sacramenti *essentialem* materiam. Adfirmant Suarez, Valentia, Filliucius, Tannerus, Sylvius, & alii: idque evincunt auctoritate decreti Eugenii IV. & Concilii Tridentini. Negant alii multi. Mea non interest sententiam pronuntiare inter has duas sententias. Prior tamen absque temeritatis nota sperni non potest.

X. Quæst. I. *Quid sit chrisma, & ex quibus conficiatur?* Resp. *Chrisma* vox Græca est, quæ idem significat ac *unguentum*; cum derivetur a verbo χρίω, idest *ungo*. Et quamvis solo oleo unctio fieri possit; tamen in usu ecclesiastico chrisma unguenti speciem, ex oleo aliisque odoriferis quibusdam partibus conflatam, significat. Partes autem componentes hoc chrisma aliæ in Ecclesia Græca, aliæ in Ecclesia Latina adhibentur. Græci præter oleum, & balsamum, triginta quinque aromatum, seu herbarum fragrantis odoris species miscent, vinumque adiiciunt: quam mixtionem describit P. Iacobus Goarius in notis ad hunc Euchologii locum.

XI. In Ecclesia Latina chrisma conficitur oleo ex olivis, & balsamo; ut colligitur ex omnibus Ritualibus. Congruentem rationem usus olei olivarum perhibet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXII. *art.* 2. *ad* 3. Quoniam, inquit, *proprietates olei, quibus significatur Spiritus sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum quam in quocumque alio oleo. Unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem, & misericordiam Spiritus sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu ubi haberi potest; quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur, nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum huius, & quorumdam aliorum sacramentorum.* Non ergo sufficit oleum expressum ex nucibus, amygdalis, aliisque fructibus.

XII. Quæst. II. *Est ne necessarium balsamum in confirmationis materia necessitate sacramenti?* Resp. Auctores constituentes materiam essentialem confirmationis in sola manuum impositione, defendunt, oleo immiscendum esse balsamum necessitate solius præcepti, non sacramenti. *Caietanus, Dominicus Soto, Valentia, Estius, Iuvenin, Turnely, Druin, Vitasse* defendunt, necessariam quidem esse unctionem; sed asserunt obsignari baptizatos, & confirmari simplicis olei unctione posse: quamvis crimen esse fateantur, linire frontem confirmandorum absque balsamo; cum id ex veteri institutione, & præcepto præstandum adfirment. Bellarminus, Merbesius, Natalis ab Alexandro, Ludovicus Habert, rem dubiam esse aiunt, definiendam ab Episcopo; & sub conditione iterandum sacramentum, si oleo absque balsamo administretur confirmatio. Necessariam necessitate sacramenti admixtionem balsami defendunt Gonet *disp.* VI. *art.* 6. cum pluribus Thomistis, *Sylvius, Durant, Hosius, Mastrius, Farvacquesius, Pontius, Bonacina, Salmanticenses*, qui citant *Suarez, Tannerum, Coninch, Laymanum*, & permultos alios.

XIII. Prudenter animadvertit Bellarminus *Lib. II. de confirm. cap.* IX. ubi hæc scribit. *Neutra opinio est de fide, & fallitur Kemnitius ubi docet, Concilium Florentinum definivisse contra Scholasticos, balsamum requiri in chrismate. Nam Concilium non expressit, quomodo requiratur; sed dixit materiam esse oleum cum balsamo; ut etiam in Eucharistia dixerat, materiam esse vinum cum aqua: & tamen fatentur, aquam non esse ita de essentia, ut sine ea sit irritum sacramentum.* Utraque igitur opinio absque fidei dispendio defendi potest.

XIV. Postremam sententiam præferendam existimo, tum ob auctoritatem Conciliorum Florentini, & Tridentini, tum ob maiorem Theologorum consensum; præsertim quod huic sententiæ accedere videatur S. Thomas *III. Part. q.* LXXII. *art.* 2. & *Lib. IV. cont. Gent. c.* LX. & Thomistæ communiter, a quibus tamen dissentit Cardinalis Gotti *q.* 1. *dub.* 3. §. 1. *n.* 7. Simplex oleum absque balsami permixtione dici chrisma nequit, neque unguentum. Sed in administratione confirmationis materia, cui verborum forma applicatur, chrisma est. *Confirmo te chrismate salutis.* Præterea ex antiquis & Rituali bus, & Sacramentariis, editis a Thomasio, clare colligitur, oleum permixtum balsamo esse materiam essentialem confirmationis.

XV. Opponunt, balsamum nasci tantum, teste Plinio, in duobus hortis. Materia autem sacramenti debet esse facilis cognitu, & obvia. Resp. Falsum est quod scribit Plinius; cum Iosepho *Lib. I. de bello Iudaico*, teste *c.* VII. Palæstinæ regiones, & littora Sabæorum balsamo abundent. In Arabia quoque, & India balsami copia extat. Sufficit autem, inquit S. Thomas *loc. cit. ad* 4. quod materia *huius sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri*. Experientia compertum est, numquam defuisse balsami copiam pro sacramenti istius materia.

XVI. Quæst. III. *Utrum chrisma debeat necessario ab Episcopo esse consecratum?* Resp. Principio certum est, chrisma consecratum esse debere. Sed disputant Theologi, necessaria ne sit hæc consecratio necessitate sacramenti, an præcepti. Posteriorem partem defendunt Iuvenin, Cardinalis Gotti, Druin, Turnely. Priorem partem, nempe necessariam esse necessitate sacramenti, propugnant magis communiter Theologi. Et huic sententiæ accedere videtur S. Thomas *III. Part. q.* LXXII. *art.* 3. Et hæc opinio mihi probabilior est. Convenit penes omnes iure ordinario ad solos Episcopos chrismatis consecrationem pertinere.

XVII. Disputant vero Theologi, utrum ab Apostolica Sede committi facultas possit simplici Sacerdoti chrisma benedicendi. Negantem sententiam defendunt gravissimi Theologi, Suarez, Salmeron, Sylvius, Toletus, Gonet, & alii plures. Adfirmant vero Sirmondus, Soto, Caietanus, Turnely, Vitassius, Cardinalis Gotti. Hanc secundam sententiam existimo probabiliorem. Quoniam sacri canones æque prohibent Presbyterum simplicem confirmare ac chrisma conficere. Sed simplex Sacerdos potest ex dispensatione Ecclesiæ confirmare. Ergo valet quoque chrisma benedicere. Minorem infra patefaciam. In confirmationem adducitur Bulla Eugenii IV. edita anno 1444. in favorem P. Fabiani de Bachia Ord. Min. in qua eidem facultas conceditur, non modo confirmandi, verum etiam consecrandi chrisma. Hanc Bullam iuxta autographum Vaticanum Lucas Vadingus inseruit *Tom. V.* Annalium ad dictum annum 1444. Tandem BENEDICTUS XIV. de Synod. *Lib. VII. cap.* VIII. *num.* 2. post relata præfata exempla concludit. *Ultro ta-*

tamen fatemur, eiusmodi exempla, si vera sint, paucissima tamen esse, atque ut plurimum non aliter consuevisse a summis Pontificibus simplices Sacerdotes insigniri potestate administrandi sacramentum confirmationis, nisi sub expressa conditione adhibendi chrisma, non a se, sed ab Episcopo consecratum.

XVIII. Quæst. IV. *Unctio in modum crucis, facta in fronte, est ne materia proxima sacramenti confirmationis?* Resp. Materia remota est chrisma; proxima vero est applicatio chrismatis, seu unctio; sicut ablutio est materia proxima baptismi. Hæc unctio fieri in fronte debet; ut ex traditione, & decreto Eugenii IV. ad Armenos perspicue colligitur. Quæ unctio per modum crucis facienda est digito pollice ipsius Episcopi. Disputant Casuistæ, num peccaret mortaliter Episcopus, qui ungeret confirmandum alio digito quam dextero pollice. Negat Leander *disp.* III. *quæst.* XIII. & citat Nugnum, Dianam, Trullenchum. Adfirmant vero Suarez, Layman, Filliucius, Reginaldus, & alii. Et hæc sententia est valde probabilis: quia violare ritus Ecclesiæ in re gravissima, non est res levioris momenti.

CAPUT III.

De forma sacramenti confirmationis.

I. NOn leve diffidium est inter Theologos catholicos circa formam essentialem, & adæquatam sacramenti confirmationis. Qui sustinent, solam manuum impositionem esse totam & adæquatam materiam huiusce sacramenti, consequenter propugnant, orationem qua Episcopus manus imponens invocat Spiritum sanctum, esse totam huiusce sacramenti formam. Contra, Auctores qui docent, solam unctionem esse adæquatam huius sacramenti materiam, necessaria consecutione inferunt, formam sacramentalem esse sequentia verba quæ chrismationem comitantur: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Qui materiam adæquatam confirmationis constituunt & in manuum impositione, & in unctione, defendunt, formam confirmationis coalescere ex oratione quam recitat Episcopus dum manus imponit, & ex verbis recitatis quæ comitantur unctionem. Postremum istorum plures, & graves Theologi distinguunt duplicem impositionem manuum; alteram quæ præcedit chrismationem; alteram quæ in ipsa unctione sita est; & hanc posteriorem aiunt esse materiam partialem huius sacramenti. Heinc inferunt, sola recitata verba quæ comitantur unctionem, & hanc manuum impositionem, pertinere ad formam sacramentalem.

II. Natalis Alexander *tract.* III. *cap.* I. *art.* 3. Iuvenin *quæst.* III. *art.* 3. Turnely *quæst.* I. *art.* 4. Cardinalis Gotti *quæst.* I. *dub.* 4. Druin *Lib. III. de re sacram. quæst.* IV. defendunt, formam confirmationis coalescere ex oratione quam recitat Episcopus in prima manuum impositione, & ex adductis verbis, *Signo te* &c. quæ comitantur unctionem. Quoniam, inquiunt, forma concomitari materiam debet. Sed materia adæquata sita est tum in manuum impositione, tum in unctione. Ergo verba quæ comitantur utramque partialem materiam, ad formam pertinent sacramentalem.

III. Respondet Cl. Laurentius Berti *Lib. XXXII. cap.* VI. hanc argumentationem laborare falso supposito: quia manuum impositio, quæ partialem materiam constituit huiusce sacramenti, non est illa extensio & elevatio manuum, quacum Episcopus recitat orationem, *Omnipotens sempiterne Deus* &c. sed illa quæ fit in ipsa unctione, dum Episcopus tincto pollice signat frontem confirmandi, extensa superiori manus parte supra illius caput. In prima quippe manuum extensione Episcopus non tangit confirmandi caput; sed tantum ostendit, se orantem invocare super illum *septiformem Spiritum sanctum*. Addunt, Pontificale Romanum præscribere ut, completa oratione præfata, Episcopus sedeat super faldistorium, & inquirat de nomine cuiuslibet confirmandi, illosque genuflexos confirmet: quod sane indicat, nondum præcedenti oratione fuisse confirmatos. Præterea extensio, seu impositio manuum non solum facta aliquando est post orationem quæ præcedit unctionem, sed etiam post unctionem ipsam; ut ex verbis Tertulliani *de resurrect. carnis cap.* VIII. colligitur. *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Unde infert Menardus *not.* 332. in Sacramentarium Gregorii, *ex illo textu observandum, aliquando manus impositionem fuisse unctioni postpositam.* Postremum quamvis ritus ecclesiastici pro temporum, & locorum diversitate mutationi obnoxii fuerint; tamen sacramentorum *forma* numquam fuit prætermissa. Sed oratio præcedens unctionem, aliquando fuit prætermissa; ut constat ex libro sacramentorum Monasterii Mo-

sacensis annorum 800. a Martenio edito *cap.* II. *art.* 4. *ord.* 7. in quo nulla habetur oratio, nisi quæ post peractam confirmationem recitari solet: *Deus qui Apostolis tuis* &c. Insuper præfata oratio recitata aliquando est immediate post baptismum a Presbytero, non administrante confirmationis sacramentum. Ergo hæc oratio constituere nequit sacramenti formam, sed est quædam precatio formam præcedens; sicut absolutionem sacramentalem antecedit oratio, *Dominus noster Iesus Christus* &c. & formam Eucharistiæ præcedit oratio, *Ut nobis fiat corpus* &c.

IV. Opponunt defensores prioris opinionis. Apostoli confirmarunt orando, & manus imponendo, ut habetur Act. VIII. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum* &c. Argumentum istud sibi opponit S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXII. *art.* 4. & respondet ad I. *Per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre: & tunc non erat necessaria nec materia, nec forma huius sacramenti. Quandoque autem, tamquam ministri sacramentorum, hoc sacramentum præbebant: & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita.* Nihil ergo ex præfato textu in suum favorem colligere laudati Theologi valent. SS. Ecclesiæ Patres, tribuentes manuum impositioni, & orationi Spiritum sanctum, ritum describunt confirmationis, non *formam* designant; sicut quando dicunt, corpus Christi confici *per orationem, & Crucis signum*, ritum indicant, non formam Eucharistiæ perhibent.

V. Delibavi utriusque partis momenta, ex quibus colligo, non esse a communi sententia recedendum. Dico igitur, formam adæquatam sacramenti confirmationis esse verba quæ comitantur unctionem: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXII. *art.* 4. in huius sententiæ confirmationem adducit auctoritatem Ecclesiæ, *quæ hac forma utitur.* Et reipsa Eugenius IV. in Concilio Florentino in decreto ad Armenos definivit. *Forma autem est: Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* S. Thomas congruentiam istius formæ exponit *loc. cit.* his verbis. *In hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum est caussa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sancta Trinitas: quæ exprimitur, cum dicitur*, In nomine Patris *&c. Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materiæ visibilis, ad salutem: quod quidem tangitur, cum dicitur*: Confirmo te chrismate salutis. *Tertium est signum, quod pugnatori datur; sicut & in pugna corporali milites insigniis Ducum insigniuntur: & quantum ad hoc dicitur*: Consigno te signo Crucis, *in quo scilicet Rex noster triumphavit.* Similia docentur in Catechismo Romano *Part. II. cap.* III. §. II. Præfata igitur verba exprimunt actualem applicationem, & administrationem sacramenti. Hæc tamen forma obnoxia fuit variis mutationibus accidentalibus, salva semper substantiali significatione; ut animadvertit Laurentius Berti *Lib. XXXII. cap.* VI. allegatque exempla. Nam in vetustissimo Pontificali, quod Egeberto inscriptum est, & exaratum sæculo VIII. hæc habentur: *Accipe signum sanctæ Crucis chrismate salutis in Christo Iesu: Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Aliis verbis exprimitur hæc forma in MS. Pictaviensi octingentorum annorum. *Signat te Deus sigillo fidei suæ in confirmatione fidei.* Pontificale Ecclesiæ Caturigensis non minus antiquam sub aliis verbis hanc formam perhibet: *Confirmo, & consigno te in signum sanctæ Crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Si plura cupis, lege Martenium *Tom. I. de antiq. Eccl. rit.* Hæ, & aliæ similes diversitates accidentales sunt, quæ substantiam non immutant. Quare resolutæ manent quæstiunculæ quæ disputantur a Casuistis, num validum administretur sacramentum, si aliquod præfatæ formæ verbum immutetur. Nisi enim varietur substantialis significatio, sacramentum valide administratur, etiamsi unum pro alio verbo substituatur. Peccaret tamen, & quidem graviter, qui data opera ritum suæ Ecclesiæ non observaret.

VI. Græcorum formula est eiusmodi: *Signaculum Spiritus sancti.* Forma hæc valida est, quia Ecclesia Latina semper ratum habuit sacramentum confirmationis, administratum in Ecclesia Græca. Plura differere Theologi solent de hac formula. Sed tanti momenti non sunt, ut egeant maiori discussione: præsertim quod eruditi doctique Theologi omnia huc pertinentia pleno in lumine constituerint.

CA-

CAPUT IV.

De auctore, & ministro confirmationis.

I. NOvatores, qui sacramentum confirmationis de medio sustulerunt, consequenter negant Christum esse eiusdem auctorem. Sed, misso hæreticorum errore supra convulso, quid Theologi catholici sentiant, paucis exponendum est.

II. S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxii. *art.* i. *ad* i. duas refert opiniones circa auctorem istius sacramenti. Prima illorum est qui contendunt, nec a Christo, nec ab Apostolis institutum hoc sacramentum fuisse, *sed postea*, inquit, *processu temporis in quodam Concilio*: quam opinionem sustinuit Alexander Alensis *Part. IV. quæst.* xxiv. *memb.* i. Alensis opinionem hæreticam asserit Gregorius de Valentia *Tom. IV. disp.* v. *quæst.* i. *part.* i. Sed ab hac censura celebrem Alensem purgant viri docti, animadvertentes, eum negare, Christum immediate instituisse hoc sacramentum, non mediate. Et reipsa S. Thomas hæresis notam non impingit huic opinioni, sicuti nec secundæ, quam ibidem refert, quæ ait, hoc sacramentum institutum fuisse ab Apostolis. Dumtaxat concludit his verbis. *Sed hoc non potest esse: quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.*

III. Dico igitur cum communi Catholicorum sententia, Christum esse immediatum institutorem huius sacramenti, sicuti ceterorum omnium: idque in superiori libro de sacramentis in genere ostensum est. Disputant Theologi, quo tempore Christus Dominus hoc instituerit sacramentum. Alii contendunt, institutum a Christo fuisse pridie quam obierit; alii post resurrectionem; & alii in die Pentecostes. Convenit penes eruditos Theologos, nihil certi constitui posse neque ex Scripturis, neque ex traditione. *Ideo* (inquit prudentissime de more S. Thomas loc. cit.) *dicendum est, quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioannis* xvi. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem, secundum illud Ioan.* vii. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Nonnulli epistolam Fabiani laudant, ut designent institutionis tempus. Sed epistolam hanc, sicuti & alias ante Siricium Decretales Pontificum, ut suppositiam reiiciunt communiter eruditi.

IV. Quæst. I. *An solus Episcopus sit ordinarius minister istius sacramenti?* Resp. Photius, schismaticorum Græcorum dux, quoscumque Presbyteros esse huius sacramenti ministros effutiit. Errori huic subscripserunt Valdenses, Wiclefistæ, Hussitæ. Lutherus, distinctionem Presbyterorum ab Episcopis deridens, hos redarguit, quod sibi ius confirmandi usurpaverint. Luthero Calvinus accedit *Lib. IV. Instit. cap.* xix.

V. Ad quæsitum cum omnibus Catholicis adfirmative respondeo. Idque definitum est tum in Concilio Florentino in *Instruct. Armen.* ubi hæc habentur: *Ordinarius minister est Episcopus, & cum ceteras actiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre*: tum in Concilio Tridentino *sess.* vii. *can.* iii. his verbis: *Si quis dixerit, sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.* Conciliorum definitiones ex divinis Scripturis, & SS. Patribus haustæ sunt. Siquidem *Act.* viii. narratur Petrum, & Ioannem iviisse Samariam, ut iis qui baptizati a Philippo Diacono erant, traderent Spiritum sanctum. Cur Philippus manus non imposuit, confirmavitque baptizatos? Nec reponas, Petrum, & Ioannem, non ut Apostolos, sed ut Presbyteros baptizatos confirmasse. Quoniam arbitraria cavillatio hæc est, Patrum traditioni adversa. S. Cyprianus *epist.* lxxiii. ad Iubaianum inquit: *Qui baptizantur, Præpositis Ecclesiæ* (nempe Episcopis) *offerantur, ut per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico confirmentur.* Sanctus Ioannes Chrysostomus *hom.* xviii. *in Act.* expressius refellit cavillationem indicatam. *Mea sententia hæc. Philippus unus e septem erat, secundus a Stephano: ideo & baptizans Spiritum sanctum non dabat: neque enim facultatem habebat: hoc enim donum solorum Apostolorum erat. Nam virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare. Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* Innocentius I. *epist. ad Decentium cap.* iii. inquit: *De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel con-*

signent, vel Paracletum Spiritum sanctum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum, & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.

VI. Congruentem rationem post constantem Ecclesiæ traditionem perhibet S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxii. *art.* ii. his verbis. *In quolibet opere ultima consummatio supremæ arti, aut virtuti reservatur; sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum. Unde epistola, quæ a notario scribitur, a Domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud I. Cor.* iii. Dei ædificatio estis. *Sunt etiam quasi quædam epistola spiritu Dei scripta, sicut dicitur II. Cor.* iii. *Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi; ita scilicet quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata, dedicatur in templum Spiritus sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo Crucis. Et ideo collatio huius sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut & in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, ut habetur Act.* viii. *Unde Urbanus I. Papa dicit . . . . . Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*

VII. Opponunt i. Ananias, qui Episcopus non erat, manus imposuit Saulo, ut habetur *Act.* ix. S. Hieronymus in dialogo ad Luciferianos docet, Episcopos ex *consuetudine, non ex necessitate*, ministros esse confirmationis: alioquin lugendi essent plurimi qui in remotioribus locis baptizati a Presbyteris obeunt, antequam ad Episcopos deferantur. *Quid enim* (inquit epist. ci. olim lxxxv.) *facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod non facit Presbyter?* Resp. Principio falsum est, Ananiam non fuisse Episcopum; cum fuerit unus ex lxx. discipulis, quos Episcopos extitisse, & plurium sedium episcopalium fundatores certum est. Respondent alii, Ananiam, facultate ab Apostolis obtenta, chrisma contulisse. Aliis placet, Ananiam non confirmasse Paulum, sed a cæcitate eum curasse. *Vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Quare hæc manuum impositio non fuit confirmatoria, cum baptismum præcesserit, sed similis illi cuius meminit S. Marcus cap. ultim. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* S. Hieronymus de consuetudine loquitur, non hominum arbitrio, sed Apostolorum auctoritate invecta. Ad honorem utique Episcopatus solis Episcopis tributa est facultas confirmandi. Poterat Christus aliter præscribere; sed hac speciali prærogativa insignire Episcopatum voluit. *Epistol.* ci. S. Hieronymus audaciam coercet cuiusdam Falcidii, qui Diaconos Presbyteris præferebat. Idcirco Presbyterorum supra Diaconos gradum effert: nequaquam vero omnia ibi episcopalia munia recenset; cum id eius instituti non esset. Alii respondent, S. Hieronymum respexisse ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua Presbyteri ex Episcoporum commissione confirmabant.

VIII. Instat Calvinus *Lib. IV. Inst. cap.* xix. §. 10. consueta insania abreptus, declamans. *Os sacrilegum, tu ne pinguedinem fœtore dumtaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam audes Christi sacramento opponere? . . . . Nonne se Donatistas produnt qui vim sacramenti a ministri dignitate æstimant? . . . Si quis ab illis scisciteur, unde tanta prærogativa Episcopis delata fuerit, quam rationem afferent, præter suam libidinem? . . . Cur non eodem argumento contendunt solis Episcopis sacramentum sanguinis in cœna Domini attingendum esse?* Resp. Furit de more capitis vertigine ductus nebulo iste. Donatistæ errabant, asserentes vim sacramenti a fide & probitate ministri pendere; nullumque sacramentum a ministro improbo collatum contendebant. Quod aliqua sacramenta a ministro in maiori dignitate constituto conferri possint, exclusis inferioribus, nullam umquam cum Donatistis disputationem Ecclesia catholica habuit. Perperam ergo obtrudit Calvinus Donatistarum errorem in hac caussa. Cur autem solis Episcopis tribuat Ecclesia potestatem confirmandi, concedatque singulis Presbyteris facultatem conficiendi Eucharistiam; responsum iam est, ex Christi institutione id proficisci; & hoc sacrarum litterarum, & perpetuæ traditionis documen-

mentis ostensum est. In aliquibus Presbyteri Apostolis succedunt, secus in omnibus.

IX. Opponunt 2. Synodus Illiberitana ann. 315. *can.* XXXVIII. & LXXVII. præscribit ut baptizatus a Diacono, *per manus impositionem perficiatur*. Ergo Diaconis, nedum Presbyteris, concessa olim erat confirmandi potestas. Concilia Carthaginensia I. & III. prohibent *ne chrisma conficiatur a Presbyteris*. Concilium Toletanum I. an. 400. *can.* II. hæc definit. *Statutum est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum*. Hæc, & alia aggerit Dallæus, ut inferat, Presbyteros chrisma administrasse. Resp. Canones Illiberitani decernunt ut Episcopus baptizatos in necessitate a laico, vel a Diacono, *per benedictionem perficiat*. Concilium Carthaginense I. & III. reprimit quorumdam Presbyterorum ausum qui chrisma confecerant contra antiquas definitiones. Ambo Concilia laudata supponunt, in præteritis Conciliis vetitam esse Presbyteris chrismatis confectionem, & solum prævaricationem contra antiquos canones damnant. In Concilio Toletano agi non de chrismatione *sacramentali*, sed *verticali* dumtaxat, contendunt plures: cuius unctionis peragendæ facultatem concesserat S. Sylvester Presbyteris, absente Episcopo; aut eodem præsente, si annuat, & præcipiat. Christianus Lupus concedit, Toletanum Concilium loqui de chrismatione *sacramentali*, quam peragebant Presbyteri ex facultate extraordinaria concessa. Plura alia obiiciuntur a Dallæo, quæ cum resoluta communiter a Theologis nostris sint, prætereo.

X. Quæst. II. *Concedi ne potest simplici Sacerdoti facultas confirmandi?* Resp. Negantem sententiam defendunt Robertus Pullus Cardinalis, Hugo Victorinus, Altissiodorensis, Durandus, Gabriel, Estius, Sambovius, Petrus Aureolus. Adfirmantem sustinet S. Thomas cum universa eiusdem Schola, celebriores quoque ex Franciscana familia Theologi, sicut & ex Augustiniana Schola huic adfirmanti parti accedunt. Item Bellarminus, Suarez, Valentia, & communiter recentiores alii. Dissident tamen quod aliqui velint a solo summo Pontifice, alii a singulis Episcopis in suis diœcesibus, alii solis Presbyteris, alii etiam Diaconis concedi ministerium istud posse. Denique alii existimant, absque ulla dispensatione Presbyteros confirmare valide, tametsi illicite posse.

XI. Demonstratur sententia communis S. Thomæ, & aliorum Theologorum, auctoritate Concilii Florentini, seu Eugenii IV. in decreto ad Armenos, ubi postquam statuit, *solum Episcopum ordinarium esse confirmationis ministrum*, continuo subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum*. Colligitur quoque ex Tridentino Concilio, damnante eos qui negant, *confirmationis ordinarium ministrum esse solum Episcopum*. Unde infertur, extraordinarium ministrum ex facultate delegata administrare sacramentum istud posse. S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXII. *art.* 2. *ad* 1. exemplum allegat S. Gregorii Magni, qui, cum *epist.* IX. *Lib. IV.* data ad Ianuarium Episcopum Calaritanum, redarguisset quosdam in Sardinia Presbyteros ius administrandæ confirmationis sibi usurpantes, postea facultatem iisdem indulsit, ut auferret scandala quæ ob talem prohibitionem orta fuisse rescripserat laudatus Episcopus: cui respondet Pontifex Summus *epist.* XXVI. his verbis. *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant concedimus*.

XII. Varia respondent adversarii, ut vim huius exempli elevent. Durandus ait, Pontificem errasse. Sed turpiter oberrare Durandum, nos reponimus. Estius, Petrus de Marca, & alii reponunt, Gregorium concessisse unctionis cuiusdam cæremonialis peragendæ facultatem. Hoc responsum seipso corruit. Pontifex loquitur de unctione peragenda in fronte, quæ non antecedit, sed subsequitur baptismum. Præterea eam unctionem concessit quam prius secundum antiquum Ecclesiæ Romanæ morem negaverat. Hæc autem est confirmatoria, solis Episcopis reservata. Nec verbum *baptizandos* quidquam præfert difficultatis; cum expresse Gregorius loquatur, ut iam dictum est, de unctione facienda non in vertice, sed in fronte; quæ a solo Episcopo post baptismum peragitur.

XIII. Alia exempla allegantur summorum Pontificum, qui confirmandi facultatem indulserunt Sacerdotibus. Nam Missionariis Ord. Min. hanc facultatem concessere Ioannes XXII. Nicolaus IV. Leo X. Nicolaus V. Urbanus V. Idem indultum concessum narrat Arcudius *Lib. II. de concord. Eccles. orient. & occid.* Missionariis in Brasilicis regionibus. Tandem summus Pontifex BENEDICTUS XIV. *Lib. VII. de Synod. capit.* VII. *num.* 7. concludit: *Quare non videtur hodie fas esse, potestatem, de qua olim disceptabatur, summo Pontifici abiudicare*.

XIV. Obiiciunt 1. Summi Pontifices Nicolaus I. Innocentius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Clemens VIII. damnarunt consuetudinem Græcorum Presbyterorum confirmantium baptizatos. Resp. Iusta fuit istorum Pontificum condemnatio. Nicolaus I. improbavit errorem Photii, qui contendebat, Presbyteros esse ordinarios istius sacramenti ministros, iuxta ac Episcopos; nulloque Scripturarum testimonio evinci posse, solis Episcopis ius confirmandi addictum esse. Quamobrem merito Nicolaus Pontifex nullam declaravit confirmationem quam Presbyteri Græcis, ut ordinarii ministri, conferebant. Innocentius III. Presbyteris tantum Latinis, Constantinopoli degentibus, interdixit ne confirmarent: quia nullum super hoc indultum obtinuerant. Ceteri Pontifices, qui Presbyterorum Græcorum confirmationem nullam declararunt, id definiere quod de iure ordinario iisdem competebat, præscindentes ab indulto illis concesso a Gregorio Magno confirmandi, tamquam ministris extraordinariis. Clemens VIII. anceps fuit, num Presbyteri Græci in Italia degentes eodem indulto præditi essent: idcirco iussit, sub conditione eos iterum confirmari qui signati ab illis fuerant.

XV. Obiiciunt 2. Summus Pontifex nequit Diacono facultatem conferre absolvendi a peccatis, & consecrandi Eucharistiam: ergo neque confirmandi. Resp. Transcribenda est S. Thomæ doctrina, tametsi prolixa: quia hac sola plures resolvuntur in hac controversia difficultates. Igitur in *IV. dist.* VII. *quæst.* III. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. hæc scribit. *Sciendum est, quod, cum Episcopatus non addat aliquid supra Sacerdotium per relationem ad corpus Domini verum, sed solum per relationem ad corpus mysticum; Papa per hoc quod est Episcoporum Summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per ralationem ad corpus Domini verum, sed per relationem ad corpus mysticum. Et quia gratia sacramentalis descendit in corpus mysticum a capite; ideo omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum: & ideo solus Sacerdos potest absolvere in foro pœnitentiali, & baptizare ex officio. Et ideo dicendum, quod promovere ad illas perfectiones quæ non respiciunt corpus Domini verum sed solum corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem pontificalis potestatis, committi Sacerdoti, qui habet actum summum super corpus Domini verum; non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum, sicut nec absolvere in foro pœnitentiali. Non autem potest simplici Sacerdoti committere promovere ad perfectionem quæ respicit aliquo modo corpus Domini verum: & ideo simplex Sacerdos ex mandato Papæ non potest conferre ordinem Sacerdotii: quia ordines sacri habent actum supra corpus Domini verum, vel supra materiam eius. Potest autem concedere simplici Sacerdoti, quod conferat minores ordines, quia isti nullum actum habent supra corpus Domini verum, vel materiam eius, nec etiam supra corpus mysticum actum per quem gratia conferatur; sed habent ex officio quosdam actus secundarios, & præparatorios. Et similiter potest concedere alicubi Sacerdoti, quod confirmet; quia confirmatio perficit eum in actu corporis mystici, non autem habet aliquam relationem ad corpus Domini verum*. Simplices Sacerdotes habent potestatem inchoatam, & imperfectam confirmandi ratione characteris sacerdotalis. Ideo, adveniente dispensatione, possunt tamquam delegati hoc sacramentum administrare: quia potestas illa inchoata, imperfecta, & dependens, medio indulto evadit perfecta, & completa in suo genere.

XVI. Quæst. III. *An solus Papa possit simplici Sacerdoti potestatem confirmandi impertiri, secus Episcopus?* Resp. Posse Episcopum simplici Sacerdoti potestatem impertiri administrandi confirmationem, defendunt Christianus Lupus, Thomassinus, Farvacquesius, Vanespen, Iuvenin, Vanroy, Layman, & alii permulti. Sed communis, & vera sententia negat. Quia Eugenius IV. clare in suo decreto asserit, aliquando Presbyteros *per Apostolicæ Sedis dispensationem* hoc sacramentum administrasse. Clemens IV. in litteris ad Patriarcham Armenorum, ut refert Raynaldus ad ann. 1351. hæc scribit. *Primo de consecratione chrismatis, si credis quod per nullum Sacerdotem qui non est Episcopus, potest chrisma rite & debite consecrari. Secundo, si credis quod sacramentum confirmationis per alium quam per Episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio, si credis quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis Presbyteris qui non sunt Episcopi, committi. Quarto si credis quod chrismati per quoscumque Sacerdotes qui non sunt Episcopi, nec a Romano Pontifice super hoc commissionem, seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos*

ſcopos ſint confirmandi. Poſtremum BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in Bulla *Etſi paſtoralis*, edita an. 1742. declaravit irritas collatas confirmationes a Presbyteris Italo-Græcis inquiens: *Cum neque per Prædeceſſores noſtros, neque per nos Græcis Presbyteris in Italia, & in inſulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis ſacramentum confirmationis conferant, facultas conceſſa ſit, aut concedatur*. Hanc eamdem ſententiam defendit S. Thomas *III. Part. q.* lxxii. *art.* ii. Tandem BENEDICTUS XIV. *de Synodo Lib. VII. num.* 7. ſic concludit. *Ceterum, quidquid ſit de hac perdifficili, & valde implexa controverſia, omnibus in confeſſo eſt, irritam nunc fore confirmationem a ſimplici Presbytero Latino ex ſola Epiſcopi delegatione collatam: quia Sedes Apoſtolica id iuris ſibi unice reſervavit*.

XVII. Quæſt. IV. *An chriſmatis ſacramentum adminiſtratum ab Epiſcopo hæretico validum ſit?* Reſp. Sententia adfirmans communis & vera eſt; dummodo adminiſtratum ſit ſub præſcripta verborum forma. Sicut enim validum eſt baptiſma ab hæreticis adminiſtratum, ita quoque valida eſt confirmatio.

XVIII. Quæſt. V. *An peccet mortaliter Epiſcopus non confirmans opportunis temporibus in ſua diœceſi, aut confirmans ſubditos alterius diœceſis?* Reſp. Adfirmant primam partem communiter Theologi: quia Paſtor aſtringitur paſcere gregem ſuum. Et, cum deficit in adminiſtratione ſacramentorum, illius omiſſio gravis culpæ plena eſt. An vero graviter peccet, ſi alterius diœceſis ſubditos confirmet, diſputant in utramque partem Theologi. Sed ſpectandæ circumſtantiæ ſunt. Alicubi enim uſu receptum eſſe poteſt ut Epiſcopus confirmet omnes accedentes ex quacumque diœceſi. Alibi Epiſcopis prohibitum erit ne ſubditos alienæ diœceſis confirment. Quare prudens ſit Epiſcopus oportet in huiuſce ſacramenti adminiſtratione. Et quando Epiſcopi diligentes erunt in proprio munere obeundo, quiſque confirmabit ſubditos ſuos. In aliena vero diœceſi confirmare Epiſcopus nequit; cum hoc vetitum ſit a Tridentino Concilio *ſeſs.* vi. *de Refor. cap.* v. Epiſcopus hoc ſacramentum adminiſtrans, immunis eſſe debet a culpa: adhibere chriſma debet illius anni, ſervare ritus ab Eccleſia præſcriptos, & in Eccleſia illud conferre.

CAPUT V.

De ſubiecto, de diſpoſitionibus, deque effectibus ſacramenti confirmationis.

I. Quæſt. I. *Quinam ſint capaces ſacramenti confirmationis?* Reſp. Omnes homines ſive adulti, ſive infantes, baptiſmo initiati ſunt iſtius ſacramenti capaces; ut Eccleſiæ tum Græcæ, tum Latinæ conſuetudo duodecim ſæculorum evincit. Quoniam, ut S. Thomas *III. Part. quæſt.* lxxii. *art.* 8. *ad* 2. inquit, *ætas corporalis non præiudicat animæ. Unde etiam in puerili ætate homo poteſt conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis .... Et inde eſt quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus ſancti perceptum, uſque ad ſanguinem fortiter certaverunt pro Chriſto*. Omnis itaque ætas, baptiſmo præcedente, capax confirmationis eſt. Aliquando tamen baptizatis denegata confirmatio fuit; ut ex Concilio Eliberitano *can.* xxxix. colligitur, ubi hæc habentur. *Gentiles, ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Chriſtianos*. Ergo, ſi inhoneſta eorum extitiſſet vita, denegata illis confirmatio fuiſſet.

II. Quæſt. II. *Convenienſne eſt ut poſt rationis uſum pueris confirmatio adminiſtretur?* Reſp. Leander *diſs.* iv. *quæſt.* iii. aſſerit convenientius eſſe, infantes ante uſum rationis confirmari. Laudat pro hac opinione plures alios. Frequenter Auctor iſte ad extrema declinat. Revereri debuiſſet Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, ſuæ opinioni manifeſte adverſam. Quamvis omnis ætas, ut dictum eſt, apta ad confirmationem ſit; tamen plura Concilia ſtatuerunt ut hæc ſacramenti adminiſtratio differatur poſt adeptum rationis uſum. Quia cum non ſit neceſſaria hæc confirmatio neceſſitate medii, expediens eſt ut confirmandi ferventiori devotione accedant ad illam ſuſcipiendam. Ut plurium Conciliorum canones præteream, reſcribo determinationem Catechiſmi Romani in quo *de confirm.* §. 18. hæc habentur. *Omnibus quidem poſt baptiſmum confirmationis ſacramentum poſſe adminiſtrari; ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc ſacramentum differre maxime convenit. Neque enim confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt; ſed ut eius virtute optime inſtructi, & parati inveniremur, cum nobis pro*

pro Chriſti fide pugnandum eſſet: ad quod ſane pugnæ genus pueros, qui adhuc uſu rationis carent, nemo aptos iudicavit. Expectandus ergo eſt rationis uſus; at non videtur differenda confirmatio uſque ad duodecimum annum, inquit Catechiſmus. Diligenter ergo & parentes, & Parochi curent ut pueri ratione præditi manuum impoſitione roborentur, animenturque ad certamen cum hoſtibus ineundum. Urgente tamen mortis periculo, ante ſeptennium, rationiſque uſum maxime expedit hoc ſacramentum adminiſtrari.

III. Quæſt. III. *Num amentes, ægroti, & energumeni ſint confirmandi?* Reſp. Si amentes lucida intervalla habeant, tum adminiſtrandum illis hoc ſacramentum eſt. Si perpetuo amentes ſint, ſuperfluum eſt opportunum expectare tempus. Dominicus Soto in *IV. diſt.* vii. *art.* 8. docet, ſacramentum hoc collatum perpetuo amentibus, validum eſſe. Ceterum, poſtquam ex uſu Eccleſiæ, inquit, non confirmantur infantes uſque ad uſum rationis, fit ut neque poſſit idem ſacramentum adminiſtrari amentibus. Leander *q.* v. contendit probabilius eſſe quod perpetuo amentes confirmandi ſint; & citat Laymannum, Sylvium, Dianam, & ipſum D. Thomam; ſed prorſus falſe. Epiſcopi arbitrio & prudentiæ hoc relinquendum eſt. Si in amentiam gravi ſcelere inquinati inciderint, non ſunt confirmandi. Ægroti confirmari debent, tum ut armentur in ultima lucta, tum, inquit S. Thomas *cit. quæſt.* lxxii. *art.* 8. ut *in reſurrectione perfecti appareant*. Energumeni ſacro chriſmate liniendi ſunt, ut robuſtiores contra dæmones fiant. Surdos, & mutos confirmandos eſſe docent omnes.

IV. Quæſt. IV. *Quænam diſpoſitiones requiruntur in adultis confirmandis?* Reſp. Si confirmandi alicuius gravis culpæ ſibi ſint conſcii, præmittere confeſſionem debent. Dominicus Soto in *IV. diſt.* vii. *art.* 8. docet, culpam utique eſſe accedere hoc in caſu ad hoc ſacramentum ſine confeſſione; at putat non eſſe mortalem, ſi adſit contritio. Leander *quæſt.* vi. docet, neque ſub culpa veniali aſtringi confirmandum conſcium gravis culpæ præmittere confeſſionem: & pro hac opinione citat Reginaldum, Toletum, Henriquez, Trullenchum, & alios. Sed hanc opinionem reiicio ut falſam, & laxam. Merbeſius *III. Part. quæſt.* xx. Natalis Alexander *cap.* v. plures Conciliorum canones adducunt, qui, ut præmittatur confeſſio, iubent. Concilium Lingonenſe, ann. 1404. celebratum, ſtatuit. *Priuſquam quis confirmetur, ſi annos diſcretionis habet, confiteatur peccata ſua, & ſit ieiunus, ſi fieri poteſt*. Synodus Senonenſis an. 1524. inquit: *Suſcepturi hoc ſacramentum, ſi commode fieri poteſt, ſint ieiuni: & ſi adulti fuerint, contriti, & confeſſi*. Concilium Burdigalenſe an. 1582. *Moneantur qui adulti ſunt, ut ad tantum ſacramentum non accedant niſi præmiſſa peccatorum confeſſione, aut ſaltem maximo peccatorum dolore, & mature confitendi propoſito*. Synodus Rhemenſis ann. 1583. *Epiſcopi conferent hoc ſacramentum gratis, & iis qui uſum aliquem rationis habent, confeſſis, &, ſi commode fieri poteſt, ieiunis; admoneanturque ut ſymbolum apoſtolicum, & orationem dominicam memoriæ mandent*. Martene *Tom. IV.* plures alios colligit canones huc ſpectantes. Laurentius Berti *Lib. XXXII. cap.* viii. ut hanc ſententiam confirmet, plura ex eodem Martene promit.

V. Reſpondent adverſæ ſententiæ patroni, præfatas Synodos non eſſe œcumenicas. Id verum habet. Sed quid inde? An propterea non prævalent plurimorum Caſuiſtarum auctoritati? Inſiſtent, hæc Concilia monere, non præcipere, ut confeſſio præmittatur. At falluntur. Quamvis enim præceptum expreſſum abſolute non ſit; ita tamen Concilia loquuntur, ut inde præceptum valde probabiliter colligatur: ratioque urget, quoniam ſancta ſancte tractanda ſunt. Sententiam hanc tamquam certam confirmat BENEDICTUS. XIV. *Volum. VI. Notif. de ſacr. chriſ.* his verbis latine redditis. *Ad ſacramentum pœnitentiæ quod attinet, ratio nimis evidens eſt. Siquidem cum gratia pugnet cum peccato, quamvis non cum charactere, ſi quis infelix peccato pollutus chriſmatis ſacramentum perciperet, characterem, non gratiam reciperet, novoque crimine ſuam gravaret animam*. Sententiam noſtram, ſacris canonibus omnino conformem, S. Antoninus *III. Part. tit.* xiv. *cap.* iii. 5. 1. confirmat his verbis. *Qui renuntiat gratiæ baptiſmali, quod fit per mortale commiſſum, poſtea accedens ad confirmationem cum eo, non confirmaretur in gratia, nec augeretur ſibi gratia, immo mortaliter peccaret, & magis debilitaretur in anima: quamvis characterem reciperet indelebilem, & hoc niſi reſtitueretur prius gratia amiſſa, quod non fit niſi per pœnitentiam*. Miſſa itaque Caſuiſtarum opinione tamquam nimis laxa, ſententia quam docent canones, & ſancti viri, amplectenda eſt.

VI. Quæſt. V. *Requiritur ne ut confirmandi ſciant ſymbolum apoſtolicum, ſintque ieiuni?* Reſp. Ita præcipiunt non ſolum laudatæ Synodi, ſed plures aliæ; immo præter ſyn-

ſymbolum, orationem quoque dominicam calleant confirmandi adulti oportet. Quandoquidem ſacramentum iſtud robur præbet maxime ad fidem Chriſti, eiuſque dogmata intrepide confitenda, & propugnanda. Sciant ergo illa neceſſium eſt qui ſignari in hac ſacra militia debent. Quomodo enim fieri poteſt ut qui religionis quam profeſſi in baptiſmate ſunt, dogmata & leges ignorant, apti ſint ad illa profitenda in adverſariorum conſpectu? Nec ſat eſt præfata ſcire; ſed debent adulti confirmandi ardentiori precum ſtudio ſeſe præparare ad tantum ſacramentum exemplo ſanctorum Apoſtolorum, qui dum expectarent Spiritum ſanctum, perſeverantes erant in oratione, & ieiunio. Placet huc tranſcribere quæ Ludovicus Habert de confirmatione *cap.* VIII. ſcribit. *Abſit ergo ab Eccleſiæ Paſtoribus falſa illa quorumdam perſuaſio, ſubditos ad hoc ſacramentum tum eſſe diſpoſitos, cum peccata confeſſi ſunt, aridamque memoriter tenent unam aut alteram definitionem, cuius vim cum non percipiant, mens eorum ſine fructu eſt. Unde contingit fideles ad hoc ſacramentum præ ceteris temere & irreverenter accedere (quod ſæpius cum dolore advertimus) vacuoſque nonnumquam recedere. Deus enim theſauro ſuo invigilat, nec ſinit obrepere indignos: ait Tertullianus.* Solliciti itaque Parochi ſint in imbuendis, exercendiſque pueris ante Epiſcopi adventum. Dignitatem ſacramenti, Spiritus ſancti effuſionem, in illorum corda futuram, gratiarum, & donorum plenitudinem iiſdem exponant. Poſt ſuſceptam confirmationem vero illos moneant ne pro tantis beneficiis Deo ingrati ſint. Recordentur illi ut impoſterum tamquam obſignatos Chriſti milites ſe ſe gerant; ut Chriſti fidem, & præceptorum veritatem intrepide confiteantur; ut mundum contemnant; ut numquam erubeſcant Chriſti crucem, ſeſeque paratos ſemper oſtendant ad Evangelium Chriſti coram univerſo adverſante mundo profitendum.

VII. Quæſt. VI. *Quinam ſunt confirmationis effectus?* Reſp. Duplex iſtius ſacramenti effectus, *gratia*, & *character*. Gratiam hoc ſacramento conferri negant novatores, non ſolum eo titulo quod omnibus ſacramentis gratiæ efficientiam denegent; ſed etiam quod per manuum impoſitionem apoſtolicarum donum dumtaxat linguarum, ſecus gratiæ ſanctificantis beneficium, infuſum velint. Duos recenſitos effectus produci hoc ſacramento, Catholici omnes docent.

VIII. Quæſt. VII. *Confertur ne gratia ſanctificans, ſeu gratum faciens, confirmationis ſacramento?* Reſp. Adfirmant Catholici omnes: idque evincunt ex *Act. cap.* VIII. ubi hæc habentur. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Spiritus ſancti communicatio ſine gratiæ infuſione non fit. Ergo ſi Spiritus ſanctus in ſacramenti iſtius ſuſceptione communicatur, gratia ſanctificans confertur. Præterea omnia ſacramenta novæ legis gratiam conferunt: ergo & ſacramentum confirmationis.

IX. Quæſt. VIII. *Sacramentum confirmationis confert ne primam aut ſecundam gratiam, quæ primam perficiat?* Reſp. Sacramentum confirmationis vivorum eſt, non mortuorum: ideo non prima, quæ expellat culpam, ſed ſecunda, quæ perficiat primam gratiam, hoc ſacramento confertur. Evincit id S. Thomas *III. Part. quæſt.* LXXII. *art.* 7. *ad* 2. hac ratione. *Dicendum, quod ſicut ex ipſo nomine apparet, hoc ſacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit: & ideo non debet dari his qui non habent gratiam. Et propter hoc ſicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, niſi per pœnitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianenſi Concilio, ut ieiuni ad confirmationem veniant, ut moneantur confeſſionem facere prius, ut mundi donum Spiritus ſancti valeant accipere. Et tunc per hoc ſacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, ſicut & baptiſmi: quia per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur pœnitens pleniorem remiſſionem peccati.* Hæc Angelici ratio non ſolum evincit quam ſupra defendi ſententiam; videlicet, adultis peccatoribus præmittendam confeſſionem eſſe, ut aſſequantur gratiam ſanctificantem; verum etiam hanc præſentem confirmat; nempe, ſacramentum iſtud ſecundam producere gratiam, quæ primam perficiat.

X. Quæſt. IX. *Gratia quæ ſacramenti confirmationis effectus eſt, quomodo differt a gratia baptiſmali?* Reſp. Gratiam ſanctificantem eſſe qualitatem inhærentem, & ſuperadditam animæ habitudinem, certum eſt. At ſicuti Theologi decertant, ſit ne abſolute gratia *entitas* realiter diſtincta; ita diſputant, differat ne realiter, ut aiunt, gratia confirmationis a gratia baptiſmali; an potius ſecundum *magis & minus*. Verum cum hoc diſſidium philoſophicum potius ſit quam theologicum; idcirco illud præterco, & quæ docet S. Thomas *III. Part. quæſt.* LXXII. *art.* 7. *ad* 3. tranſcribo. *Gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam gratum facientem communiter ſumptam aliquid effectivum ſpecialis effectus, ad quod ordinatur ſacramentum. Si ergo conſideretur gratia in hoc ſacramento collata, quantum ad id quod eſt commune, ſic per hoc ſacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptiſmum ſed quæ prius inerat, augetur; ſi autem conſideretur quantum ad illud ſpeciale quod ſupradditur, ſic non eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſa.* Animadvertendum, gratiam confirmationis, non abſolute, ſed comparative dici perfectiorem gratia baptiſmali; cum longe maius ſit regenerari ad vitam quam bene, & perfecte vivere. Dicitur ergo hæc gratia perfectior, quatenus hominem baptiſmate regenitum, fortem, robuſtum, intrepidumque reddit. Advertendum etiam, hoc ſacramentum *per accidens* producere primam gratiam poſſe, ut docet idem S. Thomas *loc. cit. ad* 2.

XI. Quæſt. X. *Animat ne confirmatio non modo ad fidei articulos, verum etiam ad moralis doctrinæ integritatem propugnandam?* Reſp. Gratia huiuſce ſacramenti propria roborat ſpiritualiter confirmatos, intrepidoſque conſtituit ad pugnandum in chriſtiana militia, ad ſuperandas carnis, mundi, & dæmonis tentationes, ad profligandos hoſtes omnes. Primis Eccleſiæ ſæculis, dum immaniſſimi perſecutores in Dei Eccleſiam ſæviebant, chriſtianæ militiæ profeſſores invicti non equuleos, non fornaces ardentes, non frementes beſtias, quarum faucibus tradebantur, pavebant; ſed incredibili fortitudine diriora tormenta, & crudeliſſimam ſuorum corporum lanienam patiebantur, ut Chriſti fidem propugnarent. Ceſſarunt perſecutiones iſtæ: manifeſti fidei chriſtianæ hoſtes defecere. Non modo periculum vitæ non ſubimus in præſentia, dum fidem profitemur chiſtianam; ſed gloriam potius, & honorem comparamus. Quæ ergo nunc pugna, ad quam gratia confirmationis nos fortes reddit? Quinam hoſtes ſuperandi? Reſpectus nimium humani, mundi amatores, ſæculi gloriæ, & potentiæ ſectatores ſunt hoſtes devincendi. Deridemur nunc, dum puram chriſtianæ Moralis doctrinam ſuſtinemus adverſus nova invecta lenocinia, dum mundanas pompas, & corporum nimia oblectamenta aſpernanda inculcamus. Terrent nos amici, & propinqui, opinionum novitate, & conſuetudinis pravitate, cum in vana ſpectacula, in ludos pecuniarios & fortuitos, in ſaxarum doctrinarum paradoxa audenti animo ſonitum vocis extollimus. In iſtorum odia, & invidiam incurrimus, dum evangelica Chriſti effata inculcamus. Hi ſunt hodierni hoſtes devincendi: ad hæc quotidiana, & ideo duriſſima, certamina nos roborat, animatque confirmationis gratia. Bellum quod olim contra fidei dogmata, hodie contra morum præcepta ardet, & quidem ex una parte ad perniciem inſidioſius. Cedebant olim aliqui tormentorum atrocitati; ſed heu quot nunc ore clauſam tenent ſinceram morum doctrinam! quot politico ſilentio illam diſſimulant! quot eiuſdem rigorem deliniunt, ut amatorum mundi dicteria, ſcommata, & inſectationes declinent? Ubinam nunc robur illud ſpirituale, ubi libertatis chriſtianæ prudens & moderatus ſpiritus ad intrepidam publicamque confeſſionem illius chriſtianæ doctrinæ quæ nunc mundo diſplicet? Quid auſum iactas ad fidei dogmata confitenda, ſi hodie deſunt perſecutores fidei? Depone vanos timores, & vilem erubeſcentiam; eſtoque fortis & robuſtus adverſus illos hoſtes qui in præſentia vivunt, & ſubtiliter inſidiantur. Cruce ſignaris in fronte, inquit alicubi Auguſtinus, quia hæc eſt ſedes pudoris, ut, compreſſa viriliter omni erubeſcentia, glorieris pro Chriſto contumeliam pati. Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Quam tu perſecutionem ſuſtines, ſi humanorum reſpectuum fuco obductus, duram Crucis doctrinam, quæ hodiernis inſidiis, & perſecutionibus obnoxia eſt, intrepide & fortiter propugnare non audes? Sed hæc pluſquam ſatis in præſentia.

XII. Quæſt. XI. *Sacramentum confirmationis imprimit ne characterem?* Reſp. Alter confirmationis effectus eſt impreſſio characteris, de quo *Lib. I.* de ſacramentis in genere dictum eſt. Iſtius characteris meminit S. Paulus II. Cor. cap. 1. *Unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Perpetua Eccleſiæ traditione hanc characteris impreſſionem *loc. cit.* oſtendimus. S. Thomas *III. Part. q.* LXXII. *art.* 5. *ad* 1. deſcribit characterem iſtum his verbis. *Eſt ſignum diſtinctivum, non infidelium a fidelibus, ſed ſpiritualiter provectorum ab his quibus dicitur, Sicut modo geniti infantes.* Inviſibiliter animæ impreſſum hæret ſignaculum iſtud; ſed per ſignum Crucis, in fronte viſibiliter impreſſum, manifeſtatur, ſubdit ibidem S. Thomas art. 9. *Convenienter ſignatur chriſmate ſigno Crucis in fronte... quia inſignitur ſigno crucis, ſicut miles ſigno ducis... Et ideo in fronte... ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittas.* Legeſis ibidem plura.

CAPUT VI.

De necessitate huius sacramenti. Refelluntur PP. Viva, La-Croix, & aliorum Casuistarum opiniones laxæ.

I. NOvatores Lutherani, & Calviniani sacramenti confirmationis necessitatem derident, tamquam Spiritui sancto iniuriosam. Quid, clamant blaterones isti, iners ne, & otiosus Spiritus sanctus in baptismate? An in hoc sacramento non confert Deus gratiam ad vincendas hostium tentationes? Istorum aberrationes damnavit Concilium Tridentinum *sess.* VII. *can.* II. *de confirm.*

II. Recentiores Casuistæ permulti consuetæ benignitatis obtentu negant quodcumque præceptum, sive divinum, sive ecclesiasticum, suscipiendæ confirmationis. P. Leander *tract.* III. *disp.* I. *quæst.* V. hæc scribit. „ Longe probabilius respondeo, non dari tale præceptum divinum: quia nec ex Scriptura, nec ex traditione Patrum constat „ dari tale præceptum. " Deinde *quæst.* VI. quærit, an saltem detur præceptum ecclesiasticum: & ait: „ Probabilius respondeo, „ nec tale præceptum esse datum. " Tandem *quæst.* VII. disputat, sit ne saltem peccatum veniale hoc sacramentum ex negligentia omittere: & inquit: „ Probabilius „ respondeo, esse peccatum veniale. "

III. P. Dominicus Viva ultra pergit, quia absque peccato etiam veniali omitti hoc sacramentum posse defendit. Hæc sunt illius verba in Curs. Theolog. Part. V. quæst. III. art. 2. num. 6. *Respondeo cum communi apud Dianam... non esse mortale illud* (sacramentum confirmationis) *nolle suscipere, præciso contemptu, & scandalo. Immo ex Trull. & Henr. contra Nav. apud Conink nec veniale quidem, cum nullibi extet præceptum de illo suscipiendo.* Nec venialem quidem culpam perpetrat Christianus qui in hoc agone constitutus, & undique hostium multitudine circumdatus, deliberate nolit se tali munire præsidio? Declamator ne ero, & sanctæ caritatis violator, si dixero, hanc doctrinam nimiam redolere laxitatem? Quare reiicitur oppositio cavillatoria Nocetii in suo opere inscripto *Veritas vindicata*, edit. Lucen. pag. 203. Neque enim ibi ego Auctorum opiniones expendi, sed dumtaxat rescripsi sententiam P. Dominici Viva, qui ex Conink absolute excludit culpam venialem. Declamet ergo contra Socium suum Patrem Viva, non contra me.

IV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* I. *dub.* 3. *num.* 395. *quæst.* LXXII. hæc scribit. *Quid præterea notandum sit circa necessitatem confirmationis.* Resp. *Fuisse olim præceptum ecclesiasticum, ut susciperetur confirmatio, colligit Dicastillo hic num.* 105. *ex variis Conciliis, & dictis SS. PP. Recte docet dub.* 10. *cum communi, per desuetudinem nunc desiisse illud præceptum.* Non recte, sed falsè colligit Dicastillo, præceptum istud nunc desiisse, ut mox evincam. Pro hac opinione negante præceptum, ut ego quidem arbitror, valde laxa, citat Leander *loc. cit.* Suarez, Valentiam, Filliucium, Sotum, Villalobosium, Bonacinam, Laymanum, Dianam, Ledesma, Henriquez, & alios plures. Salmanticenses quoque hanc defendunt opinionem *tract.* III. *cap.* IV. *punct.* 4. ubi *num.* 57. non plus obligationis suscipiendi huius sacramenti imponunt fidelibus quam sit audiendi Sacri die feriato: quæ sane opinio mihi laxa videtur.

V. Certum penes omnes est, hoc sacramentum non esse necessarium necessitate medii; cum baptizati, si decedant, antequam chrismate ab Episcopo liniantur, regnum cælorum, si nihil in eis damnationis sit, obtineant. Tota igitur controversia ad necessitatem præcepti divini, & ecclesiastici reducitur.

VI. Dico, sacramentum confirmationis necessarium esse necessitate divini, & ecclesiastici mandati. Præceptum istud tum ex Scripturis, tum ex Patrum traditione constat. In divina Scriptura *Act.* I. hæc habentur: *Præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Cui præcepto non Apostoli modo, verum etiam ceteri fideles, & mulieres ipsæ paruerunt. Item *Act.* VIII. vigilantia describitur Apostolorum, & studium ingens, ut baptizatis omnibus manus imponerentur. Quæ sane sollicitudo præceptum prodit.

VII. Patres unanimi consensu istius sacramenti necessitatem summopere inculcant. S. Cyprianus epist. LXX. *Ungi quoque necesse est qui baptizatus est, ut, accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* Similia habent Tertullianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus, & Augustinus, qui *Lib. XVII. de Civ. Dei* docet, non esse christiano nomine dignos nisi *chrismate unctos.* Plurimi occurrunt canones, quibus hoc præceptum ostenditur. Dist. V. *de consecr.* cap. *Omnes* hæc habentur. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post ba-*

baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Synodus Laodicena *can.* XLVIII. hæc habet: *Oportet eos qui illuminantur, post baptismum inungi supercælesti chrismate.* Concilium Mediolanense IV. altius hanc necessitatem exaggerat. *Illis timendum valde qui, cum potuerint, in re salutari negligentes extiterint. Atque in confirmationis sacramento suscipiendo negligentes, ut decreto provinciali ex canone Rhemensi cavetur, canonicis subiaceant disciplinis: & præterea parentes, quorum negligentia id factum est, ex libro pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annis tribus apparet.*

VIII. Sed, missis pluribus aliis documentis, transcribo verba Cathechismi Concilii Tridentini ex Part. II. de confir. §. 16. *Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen prætermitti debet; sed potius maxime cavendum est ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.* Pergit vero §. 17. ostendere suscipiendæ confirmationis necessitatem. *Et factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum &c. Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes fideles confirmationis sacramentum, cuius initium ab eo die ductum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius sacramenti ratione facile colligitur. Illi enim sacro chrismate confirmari debent quibus spirituali incremento opus est, & qui ad perfectum christianæ religionis habitum perducendi sunt. At nulli id non maxime convenit.... Ita communis omnium mater catholica Ecclesia vehementer optat ut in iis quos per baptismum regeneravit, christiani hominis forma perfecte absolvatur. Id autem quoniam mysticæ unctionis sacramento efficitur, perspicuum est eam ad omnes fideles æque pertinere.*

IX. Ex quibus omnibus argumentor. Sacramentum confirmationis pro omnibus institutum esse certum est. Ergo annexum eidem mandatum est. Quo enim pertineret hæc divina institutio, si nulla foret necessitas tanti remedii & præsidii? An sollicitudo illa Apostolorum, ut baptizati a Philippo confirmarentur, an Pauli Apostoli ardens zelus, ut Ephesiis recenter sacro lavacro tinctis manus imponerentur, præceptum divinum non produnt? Quo pertinent cuiusque sæculi, & priscæ, & mediæ, & ultimæ ætatis Patrum, & Conciliorum sanctiones, quibus administratio chrismatis inculcatur? Tot ne decreta edidissent Concilia, tam alte inclamassent Patres cuiusque sæculi, ut ad susceptionem istius sacramenti inducerent fideles, si nullum extaret præceptum? Peccarent gravissime Episcopi, si ignavi, & socordes essent in manibus baptizatis imponendis: fideles vero absque ulla culpa eludere tot Episcoporum labores in lustrandis diœcesibus, tot pericula, tantam industriam poterunt? Cur proprii ministerii prævaricatores habendi illi sunt, dum administrationem negligunt, si innoxie omnino omittere susceptionem eiusdem, baptizati valent? Undenam tam peregrina opinandi licentia? Respondet Auctor de *re sacram. Lib. II. pag.* 348. his verbis. *Non ita sane Christus, non ita Apostoli, non ita Pontifices maximi, non ita Patres, & Concilia præscripserunt, non de fonte traditionis, sed de sentina probabilitatis opinio portentosa effluxit*, opinio nempe quæ vel absque culpa etiam veniali audet defendere, negligi hoc sacramentum posse. Hæc ex abusu probabilitatis profecta est.

X. Quamvis itaque conceptis verbis expressum non sit in sacris litteris præceptum istud; finis tamen & scopus quo hæc Christi institutio tendit, luculenter præceptum infert. Utique aliunde quam ab hoc sacramento haberi fortitudo spiritualis potest, & robur ad devincendas tentationes: idcirco dictum est, non esse necessarium necessitate medii ad salutem. Tamen adeo dives in misericordia Deus est, ut voluerit hoc peculiari præsidio nos munire adversus tot sævientium hostium multitudinem; & hac singulari tessera nos signare, ut tamquam milites Christi in certamen prodiremus intrepidi. Cedo: si miles ad bellum provocatus, cibo instaurare vires, & arma opportuna ad pugnam, victoriamque sumere sponte recusaret; an non esset ipsius legis naturalis violator? Quo ergo iure, quo fundamento a culpa liberantur christiani milites, qui pugnaturi adversus hostes versutos, fraudulentos, atque potentes, arma stringere opportuna, & quam maxime ad victoriam idonea refugiunt? Clamat Apostolorum Princeps Epistol. I. capit. V. *Adversarius enim vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Inclamat Apostolus Paulus Ephes. VI. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Qui, armatura Dei, peculiariter destinata ad hanc pugnam, neglecta, inermis contra rugientes ho-

hostes erumpit, temeritatis suæ pœnas merito luet.

XI. Ut modo comprendere lector valeat quam sint laxæ opiniones & *P. Dominici Viva*, qui absque *culpa veniali* omitti hoc sacramentum posse docet, & *P. Claudii La-Croix*, qui adfirmat olim obtinuisse præceptum, sed nunc per *desuetudinem desiisse*; in memoriam revocet Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Cathechismi Tridentini testimonia. Ubinam sunt ergo fundamenta novæ desuetudinis, adversæ Patrum, & præcedentium ætatum consuetudini? An Catechismus Tridentinus, an posteriora Concilia nobis proxima, an Episcoporum qui nobiscum vitam degunt, vigilantia & assidua sollicitudo in hoc administrando sacramento evidenter non evincunt, falsam esse desuetudinem quam ex Dicastillo obtrudit P. La-Croix? Ut tanti commenti futilitatem evidentius patefaciam; ob oculos pono alteram sanctionem Concilii Mediolanensis IV. quæ est eiusmodi. *Parochi, animarumve curatores populum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit confirmationis sacramentum. Videant ne quis eorum qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Vormatiensis canone sancitum est, ut quicumque intra suæ parochiæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant qui ea ætate sunt qua Episcopus duxerit eos esse debere qui ad hoc sacramentum tunc accedant. Si quis vero neglexerit, canonicis subiaceat disciplinis*. Similia præscribunt Concilium Rothomagense, celebratum an. 1581. Concilium Rhemense, sub Gregorio XIII. habitum an. 1583. Concilium Burdigalense eodem an. 1583. Concilium Bituricense ann. 1584. Concilium Aquense ann. 1585. Istorum Conciliorum testimonia transcribere brevitatis studio omitto. Adiicere lubet auctoritatem scientissimi Pontificis feliciter regnantis BeNEDICTI XIV. qui & in prælaudata *notif.* & *in constitut. de rit. Græcor.* §. 3. ait admonendum ab Episcopis, *eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt*. Revolvantur omnes Synodi, & Catechismi postremæ ætatis nostræ: & cuique compertum erit, quo zelo, qua sollicitudine cuiuscumque sæculi Patres, Episcopi, & celebriores Theologi nobis propinquiores intonent istius sacramenti administrationem, & susceptionem. Ergo commentum quod opponit *P. La-Croix*, nempe hoc præceptum *per desuetudinem desiisse*, non modo falsum est; sed Episcopis, & Patribus ultimæ ætatis nostræ quam maxime iniuriosum. Ergo opinio *P. Dominici Viva*, a culpa veniali cum Trullencho, Conink, aliisque Casuistis excusantis fideles qui tantum sacramentum negligunt, nimium laxa est. Siquidem, ut fatetur vel ipse Leander *loc. cit. q.* VII. ex P. Valentia, communiter illi ipsi Auctores qui negant præceptum, fatentur peccare illos qui hoc sacramentum negligunt. Id sane conceptis verbis docet Soto in *IV. dist.* VII. *q. unic. art.* 8. inquiens: *Et ideo fatemur, quod ubi quis commode confirmari posset, & filium suum eidem offerre sacramento, esset culpabile illud Dei beneficium non recipere, non tamen esset mortale*. Ergo opinio P. Viva non modo opposita est Patribus, Conciliis, celebrioribus Theologis, sed vel ipsis benignioribus Casuistis, quos inter eminet Leander. Insurgit tamen P. Tamburinus *Lib. III. de confirm. cap.* III. §. 4. ubi hæc scribit *num.* 2. „ Non tamen iidem „ peccant nec mortaliter, nec venialiter, „ si citra contemptum, vel quid simile, da- „ ta occasione, id negligant. Quia de hoc „ nullum apparet præceptum, quæ est Sen- „ tentia Suarez.... contra Caietanum, & „ alios nonnullos putantes esse veniale. „ Unde non est fides adhibenda Leandro... „ qui trahit ad se Suarezium, quasi conce- „ dentem esse veniale.

XII. Fusius hæc rescripsi, ut quorumdam Casuistarum genium ad laxandas morum regulas, data occasione, patefacerem lectoribus meis, qui cautissime similes Casuistas legere debent, in iisdem vera probando, & laxa improbando. Otio non abundo, ut ad examen revocem P. Suarez, quem profecto magni facio, doctrinam. Sed si hanc opinionem, ut Tamburinus contendit, docet, non propterea desinit esse laxa, & reiicienda, tamquam Conciliis, Patribus, & gravioribus Theologis contraria.

XIII. Sententiam quam hactenus propugnavi, non modo Patres omnes, & antiqua Concilia, verum etiam Catechismi, Synodi, Episcoporum consuetudo ætatis nostræ defendunt. Indicare iuvat graviores Theologos qui a nobis stant. Ricardus *dist.* VII. *art.* 5. Durandus in *IV. quæst.* 1. Sylvester verb. *Confirmatio*. Gersonius *Tom. II. compend. de septem sacram.* Estius *dist.* VII. §. 18. Merbesius *III. Part. quæst.* XVI. Natalis Alexander *cap.* IV. *prop.* 2. Iuvenin *quæst.* VIII. *concl.* 2. Vincentius Contesonius *Lib. XI. part.* 1. *dist.* IV. *cap.* II. *specul.* 2. Cardinalis Bellarminus, & Cardinalis Toletus apud eum-

eumdem, Cardinalis Gotti *quæst.* III. *dub.* 4. §. 1. Ludovicus Habert *cap.* IX. Nicolaus L'Hermenier *Tom. I. de sacram. confir.* Turnely de *sacram. confir. quæst.* II. *art.* 2. Druin de *re sacram. Lib. III. cap.* II. Poncius *Part. V. cap.* II. Farvacquesius *cap.* V. *quæst.* II. Vanroy *Tom. III. Lib. III. cap.* XII. ubi præter alios citat Hugonem de S. Victore, Scotum, Armanachum, Hamelium, Cardinalem Le Camus, & alios. P. Gabriel Antoine de *confir. quæst.* I. Gennetus *tract.* III. *cap.* I. *quæst.* VI. Laurentius Berti *Lib. XXXII. cap.* VIII. &, ut plurimos alios mittam, vix eruditorum Theologorum aliquis hac nostra ætate reperitur qui a laxa plurium Casuistarum opinione non recedat, nostræque non adhæreat.

XIV. Potissimum urget hoc divinum, & ecclesiasticum præceptum suscipiendæ confirmationis, cum coram tyranno profiteri Christiani fidem debent. Hanc quoque sententiam reiicit P. Dominicus Viva *loc. cit.* inquiens: *Sed communius etiam id negant*. Communius Tamburinus, Laymanus, Bonacina, & alii Casuistæ. Sed communissime, & unanimi consensu id adfirmant celebriores ætatis nostræ Theologi; ut advertit doctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in laudata *notif.* Nostram sententiam docet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXII. *art.* 1. *ad* 1. *& ad* 3. Brevitatis studio eiusdem textus non transcribo, cum obvii sint. Unum dumtaxat subiicio. *Omnia* (inquit loc. cit.) *sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem; sed quædam sunt sine quibus non potest esse salus; quædam vero sunt quæ cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittitur ex contemptu sacramenti*. Nec est quod Casuistæ hunc textum cavillentur, quasi nullum sit peccatum confirmationem negligere, nisi interveniat sacramenti contemptus. Nam tota doctrina Angelici spectanda est. Aliqua sacramenta sunt necessaria necessitate medii ad salutem: & hoc in sensu sine confirmatione haberi salus potest, *dum tamen non prætermittatur ex contemptu*: quia omissio contemptus est absolute necessaria, seu ut quis salutem assequatur, omnino requiritur ne contemnat sacramenta Dei. Est tamen necessaria ad perfectionem salutis. Et ideo sine confirmatione haberi absolute salus potest: quia plura occurrere impedimenta possunt quæ innoxiam reddant eiusdem omissionem, & a contemptu liberent. Tunc autem quis contemnit contemptu non formali, sed interpretativo, & virtuali, ut aiunt, quando quis commode sacramentum suscipere potest, & non curat; ut docent communiter Theologi. Et Concilium Senonense an. 1524. relatum a Natali ab Alexandro, a Iuvenin, a Turnely, & ab aliis, inquit: *Omnes Christiani, tam viri, quam mulieres usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere confirmationem: comtemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere*. Hæc doctrina communis est penes omnes graviores Theologos.

XV. Tandem Academia Parisiensis anno 1625. hanc quorumdam Casuistarum proscripsit opinionem. *Omnes Theologi dicunt, confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest, vel, ut alii dicunt, commodissime, quando sine ullo, vel minimo prorsus incommodo*. In quam opinionem hanc tulit Sorbona censuram. *Ista propositio est scandalosa, in maximum sacramenti confirmationis contemptum maligno animo proposita*. Advertas velim, hanc proscriptam opinionem non negare absolute præceptum, sed illud admittere, saltem in hypothesi quod haberi confirmatio commodissime possit. Alii recentiores Casuistæ, omni hypothesi sublata, absolute hoc præceptum inficiantur. Sed de hoc plusquam satis.

CAPUT VII.

De ritibus confirmationis.

I. BRevi calamo expediam caput istud. Obvii Rituales sunt, qui cæremonias in administranda confirmatione exponunt. Ritus administrandæ confirmationis alius apud Græcos, qui statim post baptismum confirmationem conferunt; alius apud Latinos. Horum rituum alii confirmationem antecedunt, alii comitantur, alii subsequuntur.

II. Quæst. I. *An sint adhibendi patrini in confirmatione?* Resp. Post consecrationem chrismatis, quæ omnem ritum præcedit in hoc sacramento conferendo, quæque ab Episcopo fieri debet, ut dictum est, succedit electio patrini, qui offerat neophytum confirmandum. Antiquus est ritus iste, cuius meminit S. Gregorius Magnus in Sacramentario. Valafridus Strabo plures congerit antiquos canones, in quibus fit mentio cæremoniæ istius: ut habetur *cap. In catechismo*, & cap. *In baptismate, vel in confirmatione*. Istius ritus rationem hanc promit S. Thomas III.

Part. quæst. lxxii. art. 10. *Hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quæ pertinent ad conservationem vitæ, secundum illud Hebræor.* xii. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos; *ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces, & centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis .... ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis, & puer.*

III. Quæst. II. *Quinam in patrinos eligi possint?* Resp. Deligi in patrinos non debent qui nondum sunt confirmati: quia non sunt perfecta Christi membra, ut S. Thomas *loc. cit. ad* 2. inquit. *Licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus militiæ christianæ. Et ideo Episcopo, tamquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militiæ christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad confirmationem tenere qui nondum est confirmatus.* Deinde excluduntur ab hoc munere qui annum xiv. non attigerint, quod non sint apti ad imbuendos alios in christiana militia. Similiter assumi in patrinos non debent confirmandorum parentes ob cognationem spiritualem, quam contracturi essent. Siquidem Concilium Tridentinum *sess.* xxiv. *cap.* 11. statuit ut *ea cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Insuper cautum est ne feminis mares; nec contra maribus feminæ, neque senioribus adolescentes, compatres in confirmationis sacramento adhibeantur, nisi id aliter necessitas postulet. Nec enim convenit ut senum adolescentes, ut marium feminæ, aut contra, sint duces, & instructores in christiana militia. Landulphus Cartusianus originem compatris ab ipsis Apostolis arcessit *Part. I. vit. Christ. cap.* xxiv. Andreas enim senior fratrem suum Petrum adduxit ad Iesum. Compatres sciant oportet symbolum apostolicum, orationem dominicam, salutationem angelicam; quin hæc recitare coram Episcopo debent. Muneris sui conscii sint oportet, se videlicet magistros & duces fore confirmati, quem in christiana disciplina, cum opus fuerit, instruere, docere, & verum Christi discipulum efficere tenentur. Patrinus in confirmatione sit unus, vel una, & non plures. Qui fuit patrinus in baptismo, non debet esse in confirmatione; nisi necessitas aliter postulet. Si plures essent in confirmatione, omnes contraherent cognationem spiritualem. Monachi, &, ut ego quidem arbitror, etiam Religiosi mendicantes ab hoc officio excluduntur. Si Christianus non confirmatus patrinus fieret in confirmatione, peccaret, & quidem graviter, nisi ignorantia excusaret. Contraheret tamen cognationem spiritualem; cum ratione baptismatis capax istius cognationis sit. Oppositum defendit Leander *disp.* v. *quæst.* v. ubi permultos alios citat. Sed nostra sententia probabilior est, immo mihi certa. Patrini in brachiis tenere infantes debent. Adulti vero *ponunt pedem super pedem dextrum* patrinorum; ut Gregorius Magnus in Sacramentario, & Pontificale Romanum præscribunt: vel patrini manum dexteram super confirmandorum dextrum humerum ponunt iuxta receptissimam consuetudinem, quam insuper calculo suo probavit S. Rituum Congregatio die 20. Septembris an. 1749. in Taurinensi.

IV. Quæst. III. *Quid circa nominis, & vestium mutationem respectu confirmandi præscribant canones?* Resp. Si nomen confirmandi, ab avita gentilitate profectum, aut turpe, vel ridiculum sit, mutari debet; ut præscribit Concilium Mediolanense V. aliaque Concilia plura. Si confirmandus devotionis affectu erga aliquem Sanctum, vel alio honesto titulo, nominis mutationem petat; annui illius votis potest, nulla alia necessitate urgente. Tanta reverentia administratum semper a maioribus nostris fuit hoc sacramentum, ut consuetudo obtinuerit lavandi frontem, & tondendi capillos neophyti, ut frons munda & nitida fieret. Quando continuo post baptismum confirmatio administrabatur, confirmandi albis vestibus induebantur. Mutata disciplina administrandæ confirmationis in adulta ætate, non alia vestium qualitas requiritur, nisi quod sint mundæ & nitidæ.

V. Quæst. IV. *Qui ritus confirmationem comitantur?* Resp. Primus spectat tempus. Antiquitus confirmatio, sicut & baptismus, conferebatur in Paschate potissimum, & Pentecoste. Hæc disciplina mutationem passa est, aucta fidelium multitudine. Congruentem rationem S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxii. *art.* 12. *ad* 1. assignat. *Eadem tempora sunt præ-*

præfixa baptismo solemniter celebrando, & huic sacramento: sed quia hoc sacramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, oportuit quantum ad communem usum sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri. Si tamen circumstantiarum ratio permittat, peroptime agent Episcopi, si in Pentecoste, & quidem hora tertia, cum hac ipsa hora Spiritus sanctus in Apostolos descenderit, administraverint. Mos vero laudabilis obtinet ut primum mares ordinate dispositi, post feminæ confirmentur.

VI. Alter ritus locum spectat. Sicuti Apostoli in quolibet loco baptizabant, ita & confirmabant. Post Apostolorum tempora erecta baptisteria fuere & in domibus privatorum, & in cæmeteriis, & antris, aliisque recessibus: deinde in cathedralibus: & tandem in singulis parochiis. In quolibet ergo templo administrare hoc sacramentum Episcopus valet.

VII. His omnibus dispositis, Episcopus accedit ad signandos neophytos genuflexos, manusque ante pectus tenentes. Formam pronuntiat, *Signo te signo Crucis* &c. chrismate eos ungendo. Cur signum Crucis imprimatur, hanc rationem S. Thomas *loc. cit. art.* 9. perhibet. *Convenienter signatur chrismate signo Crucis in fronte propter duo. Primo quidem .... ut in manifesto se monstret esse Christianum .... Secundo .... ut neque per timorem, neque per erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.*

VIII. Confirmatum alapa leviter Episcopus percutit in maxilla, dicens, *Pax tecum.* Martene *Lib. I. antiq. cap.* 11. *art.* 3. privilegium antiquitatis denegat huic cæremoniæ. Laurentius Berti *Lib. XXXII. cap.* x. frui hunc ritum vetustatis honore, ostendit ex codicibus Vaticanis, & Angelicæ suæ Bibliothecæ, quorum illi quadringentorum, isti quingentorum annorum ætatem superant. Ut ut de hoc sit, alapa hæc impingitur, vel ut confirmatus recordetur se hoc recepisse sacramentum; vel secundum Catechismum Tridentinum, ut paratus sit ad iniurias, contumelias, & persecutiones sustinendas pro Christi nomine; ut Christum imitetur, qui alapa percussus ante tribunal malignantium forti animo passus iniuriam est.

IX. Quæst. V. *Quæ cæremoniæ subsequuntur confirmationem?* Resp. Duæ sunt, quarum prima hæc est. Circumligatur frons confirmati vitta seu fasciola linea candida, ne chrisma defluat, ut confirmatus intelligat quam diligenter custodienda sit accepta gratia. Hanc cæremoniam præscribit Pontificale Romanum, aliæque Synodi plures. *Septem diebus* olim, seu per totam Pentecostes hebdomadam ligata frons confirmati manebat. Deinde coarctatum tempus fuit ad *tres dies*. Tandem ad biduum, vel horas xxiv. semper tamen in Episcopi arbitrio fuit ligamentum istud solvere. Vittæ istæ in profanum usum converti nequeunt, sed cremari debent; & cineres servari usque in diem quadragesimæ mandat Synodus Bituricensis. Alia statuta præscribunt ut præfati cineres in Ecclesia, aut in eiusdem atrio abscondantur sub terra. Fasciolæ istæ auferri a Sacerdote debent, & bombyce frons confirmati abstergi, deinde lavari, ut omnia præferant reverentiam, & venerationem erga tantum sacramentum; de quo hæc dicta sufficiant.



LIBER

LIBER TERTIUS
DE
AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PRÆLOQUIUM.

POstquam Christus IESUS immensa sua clementia nos sacro lavacro ad divinam regeneravit vitam, & confirmationis tessera suæ adscripsit militiæ, epulum cæleste, alendæ tam sublimi vitæ consentaneum, & viribus ad prælium fortiter sustinendum instaurandis opportunum, præparare, atque porrigere nobis tandem voluit. Quemadmodum terreno cibo corporea vita indiget; ita immortales animi, ad divinæ naturæ similitudinem expressi, atque effecti, immortali alimonia nutriendi sunt, & roborandi. Hucusque ipsius humanæ mentis acies pertingit. At nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit convivium istud inauditum, quo Christus Dominus humanam suam assumptam carnem & sanguinem, quin divinam ipsam naturam suam, sacris symbolis absconditam, infinita liberalitate vescendam donavit, ineffabili sapientia meditandam disposuit, immensa clementia adorandam nobis obtulit. Omnes mundi deliciæ, oblectamenta, epulæ, honores, divitiæ, dignitates cum nequeant modo ullo animis nostris satisfacere, sed famem potius provocent, sitimque acuant & irritent; infinitæ suavitatis pabulum vel in hoc ipso exilio parare nobis dignatus est. Factus enim nobiscum homo, nobisque socialem degens vitam, secum convivas voluit, ut pignus nobis relinqueret divinæ illius mensæ, cui, scisso velamine, & symbolis ablatis, æternum assessuri erimus. Quæ omnia Doctor sane Angelicus complexus est paucis his versibus, quibus similes edere nec Homerus, nec Virgilius, nec universa Poetarum turba fortassis valuisset.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.
Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Hebescit humanæ mentis acies, balbutit lingua, verba deficiunt, quibus divinæ istius mensæ, in qua idem est & conviva, & convivium, dignitas & excellentia describatur. Exclamare dumtaxat cum S. Augustino *tractat.* XXVI. *in Ioannem* possumus: *O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet unde vivat: accedat, incorporetur, ut vivificetur .... Litigabant Iudæi ad invicem, quoniam panem concordiæ non intelligebant.* Sed qui manducant hunc panem, invicem non litigant: quia pacis, benevolentiæ, & mutui amoris principio coniuncti sunt. Qui selectioribus epulis vescuntur, puriore sanguine venas implent, delicatiorem carnem nutriunt, & venustiorem præferunt faciem. At Christiani carnis delicias spernunt, sensus coercent, ut morum sanctitate fulgeant, ut cælesti amore ardeant, ut concordes & pacifici sint.

Quo excellentius hoc augustissimum sacramentum est, eo immaniores, & audaciores sustinuit hostes. Novatores Lutherani, & Calviniani, qui omnia Ecclesiæ catholicæ sacramenta

menta aut de medio sustulerunt, aut adulterarunt, adversus Eucharistiæ veritatem ultimos exeruerunt conatus. Præcisi ab unitatis petra, panem quoque concordiæ & unitatis, Iudæorum more, tam iniquis commentis obscurare pertentarunt, ut mutuo, & intestino bello semetipsos iugulent, dilanientque. Illorum contra sanctissimum hoc sacramentum paradoxa, & errores crassissimos, data occasione, perstringam, & profligabo; breviter tamen, & quantum ad Parochos, & animarum arbitros, in quorum commodum, & instructionem hæc scribimus, imbuendos sat erit.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT I.

De variis Eucharistiæ nominibus, eiusque definitione,

I. EUcharistia, a græco verbo sic dicta, latine redditur *bona gratia*, sive *gratiarum actio*: tum quod in eius institutione Christus gratias egit, ut *I. Cor.* XI. S. Paulus ait: *Et gratias agens fregit, & dixit: Accipite* &c. tum quia fons est omnium gratiarum, & beneficiorum, ut idem Apostolus ad *Rom.* VI. subdit: *Gratia Dei vita æterna.*

II. *Synaxis* etiam appellatur, nempe *collectio*, *congregatio*, *adunatio*, quia in unum convenire, & congregari solemus, ut sacræ mensæ participes simus, iuxta illud Apostoli I. Cor. XI. *Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam cœnam manducare.* Medio enim hoc divino epulo fideles cum Christo, & inter se, veluti membra unius corporis cum capite, cælesti caritatis vinculo colligantur, inquit *I. Cor. cap.* X. idem S. Paulus. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

III. Dicitur quoque *Collecta* ob eumdem finem, quod Christiani, dum hoc sacrificium celebratur, in unum congregantur. Item *Communio* vocatur, quod omnes in mensa eadem communicant, & eiusdem omnes participes fiunt.

IV. *Viaticum* nuncupatur: quæ appellatio inde derivatur quod Eucharistia in hac vitæ peregrinatione nos reficit, sustentat, roborat. Latini enim viaticum appellant pecuniam in itinere impendendam, sive quamcumque aliam rem ad itinerantem alendum destinatam. Cœna quoque viatica dicebatur quam continuo discessuri accipiebant. Et fideles decumbentes, atque in ultimo luctantes agone, hinc discessuri ad cælestem patriam, divino hoc viatico reficiuntur.

V. Rursus *Cœna Domini* quoque appellatur, quia Christus Dominus, peracta legali cœna, hoc sacramentum instituit. Et hac voce Apostolus I. *Cor.* XI. usus est: *Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est dominicam cœnam manducare.* Hæc *cœnæ* vox, quod minus in usu sit in Ecclesia catholica, Lutheranis, & Calvinianis arridet; eaque abutuntur, ut hinc inferant, Eucharistiam non esse sacramentum permanens, sed in solo usu constitutum: quem errorem infra convellam.

VI. Insuper *Eulogia* dicitur, idest *benedictio*. Duplex eulogiarum genus. Eulogiarum nomine olim significabantur particulæ Eucharistiæ consecratæ, quæ ad dissitas parochias, & absentes Presbyteros mittebantur in mutuæ communionis, & caritatis signum. Qui usus prohibitus fuit a Concilio Laodiceno. Præterea nomine eulogiarum illæ partes panis denotabantur, ex fidelium oblationibus superstites, & a Sacerdote benedictæ, quæ, peractis mysteriis, illis distribuebantur qui aliquo detenti impedimento accedere ad sacram mensam non poterant.

VII. Tandem *Panis* dicitur, fractio panis, panis Angelorum, panis qui de cælo descendit. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* Ioan. VI. Panis etiam appellatur: tum quia ex eo ineffabilis transubstantiatio fit; tum propter species panis, quæ post consecrationem remanent. *Agapa*, idest dilectio, etiam vocatur: tum quod summam Dei erga nos dilectionem præferat; tum quod sit mutuæ inter fideles benevolentiæ & caritatis symbolum. Hoc nomen *Agapa* primis Ecclesiæ sæ-

sæculis significabat convivia illa quæ Christiani pauperes simul & divites ad amorem fovendum instruebant, quibus ut fratres una accumbebant.

VIII. Congruentem rationem S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxiii. *art.* 4. assignat cur hoc sacramentum variis nominibus appelletur. *Hoc sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu præteriti, inquantum scilicet est commemorativum dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, ut supra dictum est: & secundum hoc nominatur sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum: & secundum hoc nominatur communio, vel* συναξις. *Dicit enim Damascenus . . . . . quod dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carne, & divinitate, & quia communicamus, & unimur adinvicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, inquantum scilicet hoc sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria; & secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi: & secundum hoc etiam dicitur* εὐχαριστία, *idest bona gratia: quia gratia Dei vita æterna, ut dicitur Rom.* vi. *Vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in Græco* ὑπόληψις *idest assumptio: quia, ut Damascenus dicit, per hoc Filii deitatem assumimus.*

IX. Variis Eucharistiæ significationibus expositis, eius notio exhibenda est. Sic autem finiri, seu describi solet. Eucharistia est *sacramentum corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis, & vini realiter contentorum, ad spiritualem fidelium alimoniam a Christo ipso institutum.* Species consecratæ panis & vini sunt signum, quod significat, & non significatur. Corpus & sanguis sunt res, & sacramentum simul, quæ significantur per species consecratas, & insuper significant spiritualem animæ nutritionem. Ex quibus patet, Eucharistiam sacramentum esse, cum illi competat ratio signi sensibilis divinitus instituti, habeatque annexam gratiæ promissionem, & divinum mandatum istius signi observandi. Quæ tria ex divina Scriptura convenire Eucharistiæ, evincitur. Panis & vinum sunt signum sensibile: *Accepit Iesus panem* &c. Matth. xxvi. Observantibus hoc signum promittitur gratia: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* Ioan. vi. Urget mandatum hoc signum adhibendi: *Hoc facite in meam commemorationem:* Luc. xxii. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Ioan. vi.

X. Adduci posset perpetua, & universalis Ecclesiæ traditio. Sed vel ipsi novatores, sacramentorum Ecclesiæ catholicæ insensissimi hostes, sacramenti rationem Eucharistiæ non denegant; impiis tamen commentis eiusdem sanctitatem adulterant, ut infra patebit. Disputant Salmanticenses *tract.* iv. *cap.* i. utrum Eucharistiæ sacramentum supponat essentialiter in recto pro corpore & sanguine Christi; & species consecratas importet de connotato: vel utrum tam species, quam corpus Christi importentur in recto: & tandem utrum species veniant in recto, & corpus Christi in obliquo. Quæ tria capita fuso calamo versant. Has, & similes quæstiones alto præterire silentio, utpote inutiles, consentaneum existimo.

XI. Disputant præterea, & quidem ex instituto, utrum hoc sacramentum sit unum specie atoma, vel unitate numerica; & unde hæc unitas repetatur. Quas quæstiones paucis resolvit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxiii. *art.* 2. his verbis. *Unum dicitur non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus, & unus homo. Est autem unum perfectione ad cuius integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem eiusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ: & domus integratur ex omnibus partibus quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum; ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, & potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud* Ioan. vi. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter, & perfective.* Sacramentum istud institutum est per modum convivii spiritualis. Convivium autem, constans ex cibo, & potu, unum dicitur, non unitate indivisibilitatis, & continuitatis, sed integritatis, & perfectionis.

CAPUT II.

De materia Eucharistiæ.

I. GNostici, Simonis Magi pestifera soboles, Eucharistiam conficiebant ex abortivo infante in mortario contuso, cui admiscebant mel, & piper, aliaque aromata; ut refert Epiphanius *hæres.* xxvi. S. Augustinus *hæres.* xlvi. narrat, fuisse inter Manichæos *Cataristas* nuncupatos, qui Eucharistiam *consperso semine humano sumebant, ut inde sicut de aliis cibis, quos accipiunt, substantia illa divina purgetur.* Iacobitæ hæretici pani oleum miscent.

II. Quæst. I. *Utrum solus panis triticeus, & vinum de vite sit materia Eucharistiæ?* Resp. Affirmant omnes: quia hæc est materia a Christo designata, & adhibita in huius sacramenti institutione; ut habetur Matth. xxvi. *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.* Similiter de materia calicis hæc subdit ibidem Evangelista. *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Accedit perpetua, & universalis traditio Ecclesiæ, quæ nonnisi panem triticeum, & vinum de vite pro Eucharistiæ materia usurpavit.

III. Congruam rationem S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxiv. *art.* 1. assignat, cur in pane, & vino institutum hoc sacramentum sit. *Primo quidem quantum ad usum huius sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale dominicæ passionis, seorsum sumitur panis, ut sacramentum corporis, & vinum, ut sacramentum sanguinis. Tertio quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium: quia, ut Ambrosius dicit super Epist. I. ad Cor. . . . . hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ, & corporis. Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur; sicut dicitur Levit.* xvii. *quod anima carnis in sanguine est. Quarto quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus; sicut panis conficitur ex diversis granis, & vinum fluit ex diversis uvis, ut dicit Glossa super illud* I. Cor. x. *Multi unum corpus sumus* &c.

IV. Quæst. II. *Quæ materiæ quantitas apta est consecrationi?* Resp. Absolute quæcumque materiæ quantitas, quantumvis magna, apta est consecrationi; ut docet S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxiv. *art.* 2. his verbis. *Quidam dixerunt, quod Sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini; puta totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum: quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem: sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est usus fidelium. Unde oportet quod quantitas materiæ huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur per comparationem ad usum fidelium qui nunc occurrunt: alioquin Sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur quod materia huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata.* Igitur absolute quæcumque quantitas panis, & vini consecrari a Sacerdote potest. Quoniam hoc sacramentum non consistit in usu, sicut baptismus; sed permanens est, ut infra dicetur. Quare sicut immensa, sic minima quantitas, dummodo sensibilis sit, apta consecrationi absolute est.

V. Quæst. III. *Quæ materiæ quantitas licite consecrari possit, & debeat?* Respond. Ea quantitas materiæ consecrari debet quam fidelium usui Sacerdos prudenter agnoverit consentaneam. Si imprudenter Sacerdos consecraret maiorem materiæ quantitatem quam quæ usui fidelium opportuna foret, & eam corruptionis periculo relinqueret; culpæ reus evaderet, & iniuriam sacramento inferret, nisi ante corruptionem absumeret.

VI. Quæst. IV. *Debet ne materia consecranda esse præsens consecranti?* Respond. Præsentem esse debere materiam consecrandam, adfirmant omnes. Præsentia hæc moralis est, non phylica, & mathematica. Quare improbandus est mos quorumdam Sacerdotum qui os, & labia adnovere pani, & calici solent, halitumque in ipsum calicem inspirare. Talis præsentia requiritur, ut demonstra-

ri possit dicendo, *Hic est*, vel *hoc est*. Quamobrem S. Thomas in IV. *dist.* XI. *quæst.* II. *art.* I. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. inquit: *Non tamen dico, quod posset consecrare totum panem qui est in civitate simul, vel qui est in foro: quia ipsa forma, pronomine demonstrativo utens, ostendit quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote. Unde Sacerdos existens in domo sua non posset consecrare panem qui est in altari: quod etiam non potest de toto pane qui est in foro, neque de toto vino quod est in cellario. Sed quantacumque sit quantitas panis, & vini quæ coram Sacerdote proponitur, credo quo possit consecrari ab ipso.* Ut igitur materia sit moraliter præsens, non requiritur ut aliquo sensu illam Sacerdos contingat, seu vox ad illam perveniat: sed sat est ut modo sensibili iuxta prudentum existimationem sit illi præsens. Heinc Sacerdos ingentem hostiarum, seu panum cumulum consecraret, licet omnes non videret; dummodo illarum cumulum sensu perciperet: & Sacerdos cæcus consecraret hostias, etiam in pyxide clausas, quando viri probatæ fidei testarentur esse præsentes. Rubricæ quidem præscribunt ut pyxides continentes hostias, sint apertæ; communis tamen sententia docet, valide Sacerdotem consecrare hostias in pyxide clausas; tametsi licite non consecraret.

VII. Innumeras Casuistæ quæstiones propria imaginatione effinxerunt de hac præsentia, quas ad praxim inutiles existimo. Quare paucis eas perstringam. Disputant, num Sacerdos consecrare valeat hostiam post parietem. Et licet aliqui adfirment, communis tamen sententia negat: quia tunc apte talis materia per pronomen *hoc* designari nequit. Idem dicendum, si sit post tergum. Quid, si linteo esset operta hostia? Si linteum se habeat ut continens, sicuti pyxis; tunc consecrari potest: si vero post linteum sit abscondita hostia, consecrari nequit; ut communiter afferunt. Quid, si hostia clausa sit in sacrario, seu tabernaculo clauso? Alii adfirmant, alii negant. Omnes concedunt, Sacerdotem peccare sic consecrantem. An vero consecret valide, quis certo id adfirmare potest? Ideo tutius existimo definire, hunc non consecrare: quia hostia clausa in tabernaculo iuxta prudentum existimationem non potest dici præsens, & designari per pronomen *hoc*: quemadmodum valida non est absolutio data moribundo clauso in domo. Quid, si materia esset præsens secundum unam partem, & absens secundum alteram? Si uramque simul consecrare Sacerdos intenderet, neutram consecraret: non absentem, quia deest præsentia; non præsentem, quia non vult hanc consecrare sine parte absente. Si vero coerceret intentionem ad solam materiam præsentem; tunc illam consecraret. Disputant, num materia triginta passibus distans consecrari possit. Negat Bonacina; adfirmat Leander. Commenta hæc sunt, ut mihi videtur, vana. Cur Bonacina adfirmet, consecrari materiam quæ decem passibus distet, & cur Leander addat alios viginti passus, non aliam prodere rationem possunt præter nimium disputandi otium.

VIII. Quæst. V. *An materia consecranda designari a Sacerdote debeat?* Resp. Adfirmant omnes: quia pronomen *hoc* quid definitum exprimit. Hinc si Sacerdos habens præsentes decem hostias, vellet consecrare octo in confuso, non determinando illas, nullam consecraret. Quoniam non consecraret omnes, quia non vult; non octo, quia cum illa nos determinet, non est maior ratio cur istæ quam aliæ duæ consecrentur. Quid, inquit Leander *disp.* VIII. *quæst.* LXX. si intenderet ex decem consecrare illas quas Deus, vel Petrus elegisset pro consecratione? Refert aliquos stantes pro consecratione; & communem sententiam negantem tunc fieri consecrationem. Sed hæc quæstio inter quisquilias, sicut plures aliæ, amandanda est. Quid, si Sacerdos deferat pyxidem ad altare plenam hostiis cum intentione consecrandi eas, & tempore consecrationis obliviscatur? Hic casus praxim spectat. Si eas super aram, seu petram consecratam ponat cum intentione consecrandi, quamvis tempore consecrationis non recordetur; communis sententia docet illum eas consecrare. Si vero super altare a cornu Epistolæ pyxidem poneret, & obliviscereturr super aram illam constituere; tunc nullam fieri consecrationem, docent Suarez, Gavantus, Candidus, Palaus, & alii: quam opinionem veram existimo; & falsam oppositam, quam probabiliorem reputat Leander. Hostiæ quæ inscio Sacerdote ponerentur super corporale, non manerent consecratæ. Quid, si Sacerdos deferret ad altare duas hostias, existimans esse unam? Ambas ne consecraret? Ambas consecrari, adfirmant Navarrus, Suarez, Vasquez, Sylvester, Hurtado, Granados, Bonacina, Lugo, quos refert, & sequitur Leander: quia, inquiunt, Sacerdotes omnes intendunt consecrare omne id quod præ manibus habent, cum absolute super materiam verba proferant. Res videtur incerta. Si ego deprehendissem ante consecrationem duas adesse hostias, certe unam tantum consecrassem. Quando hostiæ sunt valde subtiles, humidumque tempus, occurrere aliquando casus potest. Quare tunc tutius iudicarem, continuo post sumptionem calicis sumere hostiam primæ suppositam. Fragmenta, ante consecrationem dispersa super corporale, non consecrari, probabilius est: quia non præsumitur Sacerdotem intentionem habere eadem consecrandi. Disputant insuper, an si una hostia non consecrata admisceatur multis consecratis, possit consecrari, si illa non dignoscatur. Negat Cardinalis de Lugo. Leander *quæst.* LXXVIII. defendit posse consecrari sub conditione: aitque ipsum Cardinalem de Lugo hoc tandem concedere. Fateor, me nihil certi habere: neque in similibus casibus, qui numquam occurrunt, discutiendis tempus terendum existimo.

IX. Quæst. VI. *An panis confectus ex amygdalis, castaneis, fabis, lentibus, farre, hordeo &c. sit materia consecrationis?* Resp. Sententia negans communis est. De spelta, & farre adfirmant Caietanus, Soto, Albertus Magnus, Paludanus, Alensis. Sed hæc opinio falsa est. Neque in materia sacramentorum indulgendum arbitrariis ratiociniis est; sed firmiter inhærendum divinæ institutioni, & communi Ecclesiæ Traditioni. Christus autem in solo pane triticeo, ut dictum supra est, consecravit; & hoc pane semper usa Ecclesia est tum Græca, tum Latina.

X. Quæst. VII. *An panis ex siligine sit materia sufficiens istius sacramenti?* Resp. Adfirmant plures, & permulti negant. Sed distinguendum est. Siligo accipitur a Plinio *Lib. XVIII. cap.* VIII. ab Isidoro *Lib. XI. etymolog. cap.* III. & aliis pro candidi frumenti genere, seu pro tritico selecto, unde *siligo* dicta est. Siligo sic accepta, cum sit perfectum triticum, dubio procul potest esse Eucharistiæ materia. Et hoc in sensu admittitur a S. Thoma *III. Part. quæst.* LXXIV. *art.* 3. *ad* 2. Si vero siliga accipiatur pro *secale* vulgo *segala*, panis ex ea confectus, non potest esse Eucharistiæ materia. Si tritico admisceantur aliqua grana aliarum segetum in parva quantitate; hoc non impedit quo minus panis si triticeus, aptaque materia Eucharistiæ. Si vero mixtio in tanta esset quantitate, quæ solveret speciem farinæ triticeæ; tunc panis ex hac farina confectus, non esset apta istius sacramenti materia, ut docet S. Thomas *loc. cit. ad* 3. Massa cruda, seu pasta non est sufficiens materia, quia non est panis communis. Similiter pasta ex oleo, aut butyro, vel aqua rosacea, vel cinnabro confecta, inepta materia est; cum non sit verus & communis panis, qui debet esse ex farina triticea, & aqua naturali confectus, & igne concoctus.

XI. Quæst. VIII. *Qui ritus olim servatus fuerit in præparandis panibus pro consecratione?* Resp. Olim ad sacrificium convenientes afferebant panem & vinum. Seligebantur panes & vinum, & altari pro Eucharistia consecranda ab Archidiacono imponebantur. Primis Ecclesiæ sæculis communis panis adhibebatur. Cessante persecutione, & reddita Ecclesiæ pace, magna cœpit diligentia præparari panis iste. Forma panis consecrandi varia fuit. Primum panes communes consecrabantur, & in partes comminuti adstantibus distribuebantur. Heinc *particulæ*, quæ hodie communicantibus fidelibus traduntur, nomen acceperunt. Rotundæ formæ panis eucharistici meminit S. Epiphanius in Anchorato *num.* 57. Græcos ipsos aliquando adhibuisse panes figuræ circularis testatur Gabriel Philadelphiensis in Apologia pro *Eccl. orient.* de pane eucharistico inquiens: *Is panis præfert sigillum figuræ circularis, vel quadrangulæ, cum hac inscriptione: Iesus Christus vicit.* Eruditi Theologi ex vetustis codicibus, & picturis evincunt usum rotundæ, & circularis formæ, impressæ pani consecrando, non modo apud Latinos, Syros, Alexandrinos, verum etiam apud Græcos; quamvis hi frequentius consecrent panes figuræ quadratæ. Hanc consuetudinem confirmant ex revelatione facta S. Ildephonso Archiepiscopo Toletano anno 845. Posterioribus sæculis in Ecclesia occidentali communis fuit usus panis eucharistici, in tenui, & rotunda forma consecrati.

XII. Magna olim diligentia panis iste præparabatur a Clericis, vel a sacris virginibus. Refert Lanfrancus *Lib. Decretor. pro Ord. S. Benedicti cap.* VI. tanta diligentia Monachos eiusdem Ordinis præparasse panes istos, ut frumenti grana seligerent, & in nitidum sacculum reposita, famulo probo consignarent ad molendinum deferenda. Farinam Sacrista alba indutus in cerniculo cribrabat, & præstituto die cum aliis adiutoribus fratribus, lotis manibus & facie, atque albis indutis, ad panem eucharisticum conficiendum hoc ordine se accingebant. Eorum unus farinam aqua consperſam super mundam tabulam compingebat: alter ferrum, in quo hostiæ concoquebantur, tenebat, manibus chirothecis involutis: famulis lignis siccis antea præparatis ignem accensum fovebat, ceteris psalmos, & preces recitantibus continuo, ar-

arctissimoque servato silentio. Idem mos obtinebat apud Cluniacenses, ut habetur in eorumdem statutis *cap.* lv. ubi cavetur ne opus istud post prandium peragatur. Hac eadem diligentia paratum panem eucharisticum in Ecclesia Romana, testatur Humbertus adversus Græcorum in Latinos calumnias. Similem fere more servandum in hoc pane conficiendo præscripsit Concilium Toletanum XVI. celebratum anno 693. *can.* vi. Et Theodulphus Aurelianensis Episcopus; qui sæculo ix. floruit, *epist.* ad suum Clerum, panem hunc a Sacerdotibus, vel ipsis saltem præsentibus diligenti cura præparari, & confici iubet. Heinc collige quam sint lugendi tot Ecclesiarum, Parochorum, Superiorum, & Prælatorum abusus in hoc negotio. Alicubi hostiæ emuntur ab uxoratis mulierculis in communi coquina inter ollas, & labetes concoctæ. Alibi ex communi farina hostiæ conficiuntur tanta socordia, & negligentia, ut maiori studio epulæ pro communi mensa præparentur.

CAPUT III.

Utrum panis eucharisticus azymus debeat esse, an fermentatus.

I. TAnto studio, eaque eruditionis copia propositam quæstionem celebriores ætatis nostræ Theologi dispiciunt, ut nihil fere quod novum adiicere lumen valeat, addendum superesse videatur. Præcipua controversiæ capita ego indicabo, & paucis rem totam perstringam.

II. Ut viam sibi Theologi sternant ad dirimendam quæstionem de usu panis azymi, vel fermentati, alteram præmittunt de die quo Christus Dominus ultimum pascha celebravit. Græci contendunt, Christum Dominum anno quo mortuus est, non comedisse paschalem agnum die a lege præscripta, nempe luna quarta decima desinente: sed die integra anticipasse, & luna tertia decima pascha celebrasse, atque sacramentum eucharisticum instituisse, non in azymo, sed in fermentato pane. Secunda opinio nonnullorum est, Christum anno quo mortem subiit pascha non egisse, sed duntaxat Eucharistiam instituisse, die tertia decima desinente, & die quarta decima in Crucem actum fuisse. Tertio loco pauci alii propugnant, hoc anno quo Christus passus est, Iudæos protraxisse pascha in sequentem diem veneris ex decreto Synedrii, seu in quintam decimam in secundis vesperis, ut ex festo azymorum, & sabbato unum coalesceret festum; Christum vero agnum manducasse more consueto, nempe luna quarta decima.

III. Communis Latinorum fere omnium sententia est, Christum Dominum agnum paschalem comedisse, & Eucharistiam instituisse anno quo mortem sustinuit, luna quarta decima desinente, eodemque die Iudæos pascha celebrasse. Quo facto legitime demonstrato, necessario postea consequitur, Christum Dominum in azymo, non in fermentato Eucharistiam instituisse. Quoniam convenit penes omnes, die qua apud Iudæos pascha celebrabatur, fermentum omne ab eorum domibus sublatum fuisse. Factum autem, nempe Christum Dominum celebrasse pascha, & sacramentum instituisse luna quarta decima desinente, argumentis valde solidis evincunt. Consectarium autem, nempe in azymo consecrasse, natura sua proficiscitur. Operæ pretium haud iudico hanc versare controversiam; cum parum, aut nihil ad institutum nostrum conducat.

IV. Quamquam vero admitteretur, veluti extra controversiam positum, Christum Dominum in azymo pane consecrasse; tamen non propterea sequeretur, exemplum illius necessitatem imponere in solo azymo consecrandi. Quare illi ipsi qui defendunt, Christum azymo usum fuisse in Eucharistiæ institutione, non inde inferunt, nullam esse consecrationem in fermentato; sed tantum convenientiorem esse azymorum usum, utpote Christi Domini exemplo conformiorem. Sive ergo Christus Dominus in azymo consecraverit, ut luculentis Evangeliorum testimoniis Latini adversus Græcos evincunt; sive in fermentato, ut Græci coniecturis valde infirmis contendunt: disputandum remanet, cuiusnam panis usus, azymi, an fermentati, obtinuerit in Ecclesia tam Latina, quam Græca.

V. Tres potissimum opiniones hoc de argumento obtinent. Prima est P. Iacobi Sirmondi, præclarissimi Soc. Iesu Theologi, qui in peculiari de azymo disquisitione defendit, ad octavum usque sæculum in Ecclesia Latina, nedum in Græca, usum fermentati viguisse; invecta vero azyma fuisse medio illo intervallo quod a schismate Photii, nempe ab anno circiter 886. usque ad an. 1053. interfuit. Turbas hac de re Michael Cærularius concitavit. Contra Leo Papa IX. sæculo xi. Cardinalis Humbertus sæculo xii. Iacobus de Vitriaco, Innocentius III. & tandem hac ultima ætate doctissimi, atque eruditissimi viri *Mabillonius* Bene-

Benedictinus, Christianus *Lupus* Augustinianus, Franciscus Macedo Franciscanus in *disput. de ritu azymi*, Ioannes Cabasutius in *notitia Eccles. sæcul.* ii. *diser.* xii. Ioannes Ciampinus in *coniecturis de perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina*, aliique multi propugnant, ab Apostolorum temporibus perpetuum atque constantem in Ecclesia Latina usum obtinuisse azymorum, exclusо semper fermentati usu. Tertia inter utramque mediam sententiam defendit Cardinalis *Bona*, morum probitate, & eruditionis fama celeberrimus, qui *Lib. I. rer. liturg. cap.* xxiii. docet, perpetuam apud Græcos fermentati viguisse consuetudinem; apud Latinos vero primis Ecclesiæ sæculis promiscuum obtinuisse azymi, & fermentati usum, prout temporum, & locorum diversitas postulabat; sæculo vero xi. lege universali lata receptum fuisse in Latina Ecclesia azymorum usum.

VI. Secunda opinio mihi probabilior apparet, tum ob argumenta ab ipso Christi exemplo repetita, tum ob auctoritatem clarissimorum virorum & antiquorum, & recentium, qui documenta magnopere solida afferunt ad evincendum, perpetuum azymorum usum in Latina Ecclesia ab Apostolorum temporibus viguisse. Siquidem S. Leo Papa IX. Græcis azymorum usum, ceu novitatem obtrudentibus, *epist.* i. *cap.* v. hoc præbet responsum. *Ecce iam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia qualiter memoria passionis sit recolenda.* Quid quod ante Leonem Rabanus Maurus, qui obiit anno 856. *Lib. I. Institut. Clericor. cap.* xxxiii. exemplo Christi evincit usum azymorum in hoc sacramento? Idem prius ostenderat Alcuinus *epist.* xc. Cardinalis Humbertus sic Græcos redarguit. *Vestra duplicitas suo fermento contenta, Romanæ Ecclesiæ simplicitati azymum extorquere nequit .... Prima scilicet Ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit.* Gregorius VII. *Lib. VII. epist.* i. Armenos, cum Latinis azymum panem consecrantes, hortatur ut temerariam Græcorum garrulitatem contemnant. Epiphanius *hæres.* xxx. de Ebionæis scribit: *Mysteria vere perficiunt ex imitatione Sanctorum qui sunt in Ecclesia, quotannis in azymis; alteram autem mysterii partem in aqua solum.* Commentum illorum qui asserunt, Epiphanium redarguisse Ebionæos, quod in azymo consecrarent, arbitrarium prorsus est. Nam ex imitatione Sanctorum, ait Epiphanius, illos in azymo consecrasse. Illos vero notat, quod in reliqua sacrificii parte aquam adhiberent. Ex hoc Epiphanii testimonio, non modo Latinam, verum etiam Græcam Ecclesiam azymum adhibuisse in hoc sacramento, probabiliter colligitur. Rotundæ etiam, exilesque sacrarum hostiarum formæ, ferro *charaterecto* impressæ, quas ex vetustis imaginibus priscis temporibus obtinuisse ostendunt Mabillonius, Martenius, Harduinus, aliique eruditissimi viri, antiquitatem usus azymorum patefaciunt. Præterea S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxiv. *art.* 4. S. Gregorii Magni hoc testimonium allegat pro azymorum usu. *Dicit enim B. Gregorius in Registro: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem.* Hanc eamdem auctoritatem S. Gregorii urget Gennadius Scholarius, qui tempore Florentini Concilii floruit, in eiusdem Concilii defensione *cap.* ii. *sect.* viii. Laudatum testimonium S. Gregorii in eius operibus modo non reperitur. Et tamen S. Thomas illud laudat, non modo in *Summa*, verum etiam in *IV. contr. Gent.* & in *opusc. contra errores Græcorum*. Quid ergo dicendum? Periisse codicem in quo hoc testimonium legit Doctor sanctus? Aut confictum testimonium ab eodem? Absit. In opere supposititio illud legisse? Quo fundamento? Ut ut de hoc sit, illud profecto urget quod Rabanus, Alcuinus, Leo IX. Cardinalis Humbertus numquam potuissent, Græcis, & præsertim Michaeli Cærulario, vetustissimam Romanæ Ecclesiæ traditionem, ab ipsis Apostolis proficiscentem, opponere, si novus fuisset in hac Ecclesia azymorum usus. Et Græci schismatici manifestæ falsitatis redarguissent Leonem, & Humbertum, reponentes se vel ipsius Ecclesiæ Latinæ antiquam consuetudinem sectari.

VII. Opponunt i. Olim Eucharistia consecrabatur ex fidelium oblationibus. Hi autem offerebant panem communem, sicut & vinum. Ergo consecratio fiebat in fermentato. Resp. Duplicem eruditi viri distinguunt oblationem olim in sacrificio Missæ a fidelibus factam, alteram ante Evangelium, in qua vinum, panem, aliaque ad Sacerdotum sustentationem necessaria; alteram post Evangelium ante offertorium, in qua panis, & vinum pro consecratione offerebantur. Primam fermentati, secundam azymi panis fuisse, adducta argumenta evincunt, confirmatque consuetudo antiquissima Ecclesiæ Mediolanensis, quæ etiam nunc obtinet, ut scilicet senes, & matronæ graves oblationis tem-

tempore Sacerdoti celebranti offerant vinum, & azymos panes pro consecratione. Plura de hac duplici oblatione scribunt Macedo, Martenius, Mabillonius *loc. cit.*

VIII. Opponunt 2. Photius Latinis usum azymorum non obiecit: ergo tum non obtinebat. Ambrosius *Lib. IV. de sacram. cap.* IV. panem consecratum appellat *panem usitatum*. Ex decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii colligitur, oblationes consecratas, quæ ad alias Ecclesias a matrice mittebantur, vocatas fuisse *fermentum*. Resp. Photius, utpote homo acutus, non improperavit Latinis ritum quem vetustum, & ab ipso Christo adhibitum fuisse sciebat. Illum non latuit, Latinos Scriptores, Rabanum, & Alcuinum, qui ipsum præcesserant, ritum azymorum propugnasse. Silentium Photii non modo præiudicium non infert, sed confirmat potius caussam nostram. Siquidem azymorum ritum opponere non neglexisset Photius, si novum illum deprehendisset; sed vetustum, & ab exemplo Christi manantem agnovit, idcirco illum non obiecit. Panem azymum Ambrosius vocat panem *usitatum*, quatenus opponitur consecrato. *Fermentum* ad titulos missum, non Eucharistiam, sed eulogias fuisse defendunt Baronius, Macedo, Cabassutius, & permulti alii, iuxta quorum opinionem obiectio prorsus evanescit. At multi alii non minus eruditi viri sentiunt, *fermentum* illud fuisse Eucharistiam: quorum sententia mihi probabilior est, utpote argumentis sane validissimis nixa. At simul negant, ideo dici *fermentum*, quod in fermentato consecratio facta fuerit. Nam *fermentum* pro azymo acceptum fuisse, constat ex ipso *Ordine Romano*, quo Ecclesia Latina utebatur eo ipso tempore quo certum est illam adhibuisse azymum panem. Nihilominus in illo præscribitur ut *fermenti particula* mittatur in calicem ab Episcopo, vel Presbytero, absente summo Pontifice. *Fermentum* autem Eucharistiam dictam non inverisimiliter volunt eruditi viri, ut obscuriore vocabulo tantum mysterium Gentilibus occultaretur. Emmanuel Schelstrate *de disciplina arcani cap.* VII. *art.* 5. *pag.* 139. ex ipso Cl. Sirmondo ostendit, Eucharistiam dictam a laudatis Pontificibns *fermentum*, non quia ex fermentato facta fuisset; sed ad unionem, & mutuam communicationem significandam. Inquit enim Schelstrate: „ Rationem ingenue professus est Iacobus Sirmondns in „ disquilitione de azymo cap. V. ubi ait: „ *Eucharistiam hic constat fermentum ex eo* „ *dictam, non quod ex pane esset fermentato,* „ *sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret,* „ *Ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vi-* „ *cem præstaret, eisque unionis inter se vin-* „ *culum esset, sicuti fermentum massæ, cui* „ *commiscetur.* O sacramentum pietatis! O „ signum unitatis! O vinculum caritatis! *ait* „ *Augustinus in Ioan. tract.* XXVI. *Quod ergo* „ *illi nomen congruentius potuit imponi quam* „ *ut fermentum diceretur?* " Si plura cupis, inquit Scheilstrace, consule Ciampinium, qui uberrime hoc argumentum illustravit.

IX. Quæst. I. *An valida sit consecratio tam in azymo, quam in fermentato?* Resp. Adfirmativa sententia definita est in Concilio Florentino in decreto unionis. *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi corpus confici.* Valide in azymo Eucharistiam confici exemplo Christi Domini constat: cui accedit perpetua Ecclesiæ Latinæ traditio. Valide quoque eam perfici in fermentato patet, quod numquam Ecclesia Latina redarguerit Ecclesiam Græcam, propterea quod in fermentato consecraverit, & consecret. Ratio utriusque est: quia panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus, vere est panis. Ergo vera Eucharistiæ materia. Quapropter optime S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXIV. *art.* 4. inquit: *Circa materiam huius sacramenti duo possunt considerari: scilicet quid sit necessarium, & quid conveniens. Necessarium quidem est ut sit panis triticeus.... sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti quod sit azymus, vel fermentatus, quia in utroque confici potest. Conveniens autem est ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in sacramenti administratione.* Garriunt Græculi, dum opponunt, panem dici ἄρτον, a verbo αἴρω, tollo, sive attollo, quod significat erigi, inflari: quem effectum fermentum producit. Argumentatio isthæc nullius momenti est. Nominis enim etymologia non semper rei substantiam prodit. Quid quod, si etymologiæ vim spectemus, panis ἄρτος appellatur, non quod ipsa pasta per fermentum elevetur, sed quod ipse panis naturam hominis erigat, nutriat, sustentet? Panis azymus semper panis nomen obtinuit: & tempore quo Christus consecravit, panis communis apud Iudæos erat. An parum illud fermenti quod massæ iniicitur, destruit naturam pastæ triticeæ? An æque in veteri, ac in novo testamento panis non vocatur tam azymus, quam fermentatus?

X. Quæst. II. *An convenientior sit usus azymi quam fermentati; & an prudentiores in hac caussa Latini sint quam Græci?* Resp. Ratio-

tiones congruentiores pro ritu azymorum obviæ sunt. Et principio Christi exemplo id patet. Quamvis enim Græci negent Christum in azymo consecrasse, probabilior tamen est sententia adfirmans, ne dicam certa. Revera enim coniecturæ quæ pro consecratione in fermentato adducuntur, infirmæ sunt & arbitrariæ, post invectam consuetudinem in orientali Ecclesia consecrandi in fermentato a Græcis excogitatæ. Deinde ipsa natura panis azymi maiorem explicat convenientiam. Panis quippe iste rarius efficitur mucidus, tumidus, & cavernosus, quam fermentatus; maiorem præfert candorem, maioremque sinceritatem, qua fideles invicem, & cum Christo coniunguntur. Has congruentias S. Thomas *loc. cit.* exponit his verbis. *Tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit primo die azymorum; ut habetur Matth.* XXVI. *& Marc.* XIV. *& Luc.* XXII. *qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, ut habetur Exod.* XXII. *Secundo quia panis est proprie sacramentum corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) magis quam Divinitatis ipsius, ut infra patebit. Tertio quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum huius sacramenti, secundum illud I. Cor.* V. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. *Habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter significationem, quam tangit Gregorius, & in detestationem hæresis Nazaræorum, qui legalia Evangelio miscebant.*

XI. Habent ergo & Græci suæ consuetudinis conguentes rationes: tum quia in fermentato consecrasse Christum contendunt; tum ut Ebionæos iudaizantes improbent; tum ut significent carnem mortalem Christum induisse, veluti quoddam miseriæ fermentum. En quam sincere Latini omnes Scriptores ratum habent Græcorum ritum; atque adeo illis prudentiores se produnt. Illos enim, tametsi caussa inferiores, adversus Petri Cathedram effrenata temeritate cervices erigere, eiusque ritus carpere, minime pudet. Quamobrem Barlaamus Monachus Calaber, quamvis Græcis addictus, haud se continere potuit, quin iisdem improperaret vanissimum separationis prætextum; ut refert Ioannes Cantacuzenus *Lib. II. his. cap.* XL. his verbis. *Latinos vero in tantum prudentiores existimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur.* Latinorum prudentiam, & Græcorum audaciam describit Gregorius VII. epistola ad Synnadensem Archiepiscopum. *Et illi quidem* (Græci) *suum fermentatum commendantes, reprehensionis in nos levissima verba contumaciter iaculari non desinunt. Nos vero, azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentum nec vituperamus, nec reprobamus.* Gregorius IX. Clemens VII. in Bulla *Provisionis nostræ*, BENEDICTUS XIV. in const. *Etsi pastoralis* ritum Græcorum commendant, vetantque a quoquam improbari. Quæ ideo indicavi, ut magis emicaret & Latinorum prudentia, & Græcorum inconsulta temeritas in ritu Latinæ Ecclesiæ vellicando.

XII. Quæst. III. *An Græci apud Latinos, & Latini apud Græcos commorantes, vel peregrinantes valeant consecrare illi in azymo, isti in fermentato?* Resp. Leander *tract.* VII. *disp.* VIII. *quæst.* XXI. docet, Sacerdotes tam Latinos habentes domicilium proprium apud Græcos, quam Græcos apud Latinos teneri ad consecrandum aut in azymo, aut in fermentato, iuxta ritum illius Ecclesiæ in qua sunt incolæ: & concludit: *Sic communiter omnes Doctores.* Quid, si Græci sint incolæ apud Latinos, habeantque Ecclesiam designatam ad ritus Græcorum servandos? Refert idem Leander Suarez, Vasquez, Montesinos, Hurtadum, & Dianam, adfirmantes obstringi tum Græcos ad ritum suæ Ecclesiæ servandum. Ipse vero subdit ibidem quæst. XXII. *Sed æque probabiliter respondeo, posse in eo casu servare ritum suæ Ecclesiæ, sed non teneri.* De peregrinantibus vero, sive Græcis, sive Latinis, respondet more solito, *probabiliter posse pro libito in azymo, vel fermentato celebrare:* & in suæ probabilitatis confirmationem allegat *quæst.* XXIII. commune proloquium: *Si fueris Romæ, Romano vivito more: si fueris alibi, vivito sicut ibi:* citatque pro sua opinione Dianam, Nunos, Bonacinam, Henriquez, Caietanum, Sotum, Ledesmam.

XIII. Recensitæ opiniones Leandri falsæ sunt. Alii ritus, festorum, ieiuniorum, sabbati, de quibus Ambrosius, & Augustinus loquuntur, pro Ecclesiarum diversitate servari possunt. Verum aliud dicendum est de Sacrificii ritu, quem omnes diversum inter Ecclesiam Latinam, & Græcam agnoscunt, & ad quem Sacerdotes servandum sacramento ordinis initiantur. Quamobrem BENEDICTUS XIV. feliciter regnans *constit.* super ritibus Græcorum edita an. 1742. præcipit §.

9. ut Italo-Græci servent Kalendarium Gregorianum, quadragesimale ieiunium, dies festos, & cetera omnia quæ iuxta sacros canones in diœcesi ubi habitant, servanda sunt. De ritu vero sacrificii §. 6. hæc servari mandat. *Cum in sacro generali Florentino Concilio præscriptum sit ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam iuxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sivæ Græcæ, in azymo, seu fermentato conficere debeat; vetitumque a summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur: districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, & facultatum Missas, & alia divina officia Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam matori Pœnitentiario pro tempore existente, obtentarum prætextu, Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.* Item S. Pius V. ann. 1566. in sua constitutione, *Providentia Romani Pontificis*, prohibuit *ne deinceps Presbyteri Græci, præcipue uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.*

CAPUT IV.

De materia consecrationis calicis, nempe de vino, & aqua vino miscenda.

I. QUæst. I. *An vinum de vite sit materia altera sacramenti Eucharistiæ?* Resp. Ebionæi, Encratitæ, Manichæi aquam pro vino in sacramento eucharistico adhibebant, referente Epiphanio *hæres.* XLVII. Hæreticos istos *Aquarios* appellant Patres. *Aquarii* (inquit Augustinus hæres. XLIV.) *ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia.*

II. Vinum de vite esse materiam consecrationis calicis, evincit S. Thomas *III. Part. quæst.* XIV. *art.* 5. allegatis Scripturæ divinæ testimoniis. *Dicendum, quod de solo vino vitis hoc sacramentum potest confici. Primo quidem propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit: ut patet ex eo quod ipse dicit Matth.* XXVI. *circa institutionem huius sacramenti:* Non bibam amodo de hoc genimine vitis. *Secundo quia, sicut dictum est, ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie, & communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur, alii vero liquores vinum dicuntur secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis. Tertio quia vinum vitis magis competit ad effectum huius sacramenti, qui est spiritualis lætitia: quia scriptum est, quod vinum lætificat cor hominis.* Alias rationes producit S. Thomas tum in argumento, quod per modum præludii præmittit, tum in solutione oppositionum: quæ omnia brevitatis caussa prætereo.

III. Quæst. II. *Quænam sit quantitas vini adhibenda in consecratione calicis?* Resp. Sicut panis quantitatem Christus non definivit, ita neque quantitatem vini. Quantitatis determinatio pendet ab intentione ipsius Sacerdotis. In Ecclesia Latina tantum vini consecrare Sacerdos debet quantum ille in suo Sacrificio iuxta communem consuetudinem sumere potest. Cum enim sacramentum administretur fidelibus sub una tantum specie, pro istis consecrare vinum non debet.

IV. Quæst. III. *An substitui vino alii liquores pro consecratione possint?* Resp. Innumeras quæstiones instituunt Casuistæ, quas omnes colligunt de more Leander, & Diana. Disputant, an consecrari possit vinum mororum, pomorum granatorum, vinum coctum, agresta, mustum, vinum imbibitum in offa &c. Regulas in hoc servandas præscribit S. Thomas loc. cit. *Hæc*, inquit, *non dicuntur proprie vinum, sed secundum quamdam similitudinem.* Solum ergo vinum de vite, sive album, sive rubrum, sive dulce, sive asperum, sive calidum, sive frigidum, materia apta est consecrationi. Congruum tamen est ut vinum album sit, & optimæ qualitatis, sicut de pane dictum est. Vinum rubrum, sublata necessitate, adhiberi non debet ob maculas quas in purificatoriis relinquit, quæ interdum & indecentiam præferunt, & nauseam excitant.

V. Altera regula assignatur a S. Thoma circa vinum acidum, agrestam, & mustum: ad 2. enim inquit: *Vinum fit acetum per corruptionem: unde non fit reditus de aceto in vinum . . . . Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescente, sicut & de pane qui est in via ad corruptionem; licet peccet conficiens.* Similiter *crematum*, vulgo *aquavita*, quæ est vini spiritus, non potest esse consecrationis materia; cum destructa sit vini natura.

VI. Tertia regula quam S. Thomas *ad 3.* assignat, hæc est. *Agresta est in via generationis: & ideo nondum habet speciem vini; & propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum. Mustum autem iam habet speciem vini: nam eius dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio a naturali calore . . . . & ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent uvæ integræ huic sacramento misceri: quia ibi esset aliquid præter vinum. Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Dicitur enim ab eodem Iulio Papa: Si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur.* Iulius Papa hoc decernit cap. *Cum omnino* dist. II. de consec. idque approbatum est in Concilio Lateranensi III. Vinum quoque expressum ex uvis passis, ut vocant, valide consecrari posse, urgente necessitate, probabile est. His regulis, quas S. Thomas præscribit, resolvuntur omnes quæstiunculæ quæ discuti a Casuistis solent.

VII. De vino congelato fuse disputant recentiores apud Leandrum *quæst.* XXXVI. *& seq.* Negant plures aptam esse consecrationis materiam; alii dicunt esse materiam dubiam: alii distinguunt. Si congelatio fiat in calice, aptam esse materiam defendunt; si congelatum fuerit, antequam ponatur in calice, tunc ineptam esse materiam sustinent. Leander vero more suo respondet absolute, *probabilius* esse materiam aptam: quia vinum congelatum, inquit, essentialiter vinum est. Sed fallitur Leander cum suis, quos laudat, Mora listis. Nam sicut panis consecrandus aptus comesturæ esse debet, ita vinum consecrandum potui idoneum sit oportet. Vinum autem congelatum non est potui idoneum: & ideo non est materia apta huic sacramento. Quare sive ante, sive post consecrationem congeletur in calice, liquefaciendum est, calicem aut in aqua ferventi ponendo, aut pannis calidis involvendo, donec gelu liquescat, ut Rubricæ præscribunt.

VIII. Quæst. IV. *Utrum aqua vino admiscenda sit in calicis consecratione?* Resp. Armeni merum vinum consecrandum esse arbitrati sunt. Horum errorem damnavit Synodus Trullana anno 692. *can.* XXXII. & Eugenius IV. in decreto illos correxit his verbis: *Decernimus igitur ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione parum aquæ admisceant vino.*

IX. Lutherus in suo adversus Henricum Angliæ Regem scripto an. 1522. mixtionem hanc aquæ cum vino, ut humanum figmentum, Christi institutioni adversum, reiicit. Kemnitius in 2. Concilii Tridentini examinis parte, mixtionem hanc, rem esse indifferentem asserit, quæ nec recipi, nec prohiberi debeat: quam opinationem communiter hodie amplectuntur Lutherani, & Calvinistæ. In deliciis habent Protestantes omnium Patrum traditioni sese opponere, atque adversus universam Ecclesiam tribunal erigere, more omnium apostatarum, & perduellium.

X. Perpetua Ecclesiæ traditione ostenditur, vinum aqua permixtum, esse materiam consecrationis calicis. Concilium Carthaginense III. an. 397. *can.* XXIV. decernit, *ut in sacramento corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est panem, & vinum aqua permixtum.* Synodus Quinisexta, seu Trullana, an. 692. *can.* XXXII. testatur, hunc mixtionis ritum ab Apostolis descendere. Concilium Florentinum hanc veritatem confirmavit verbis supra adductis. Accedunt Patrum testimonia. Iustinus Martyr apolog. 2. *Panis offertur*, inquit, *& vinum, & aqua.* S. Cyprianus epist. LIII. *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit, copulatur, & coniungitur. Quæ copulatio, & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari.* S. Ambrosius *Lib. IV. cap.* IV. *de sacram.* inquit: *Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.*

XI. Sed, missis aliorum Patrum testimoniis, rationes quas istius mixtionis S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXIV. *art.* 6. promit, transcribo. *Dicendum, quod vino quod offertur in hoc sacramento, debet aqua miscari. Primo quidem propter institutionem. Probabiliter enim creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto secundum morem illius terræ. Unde & Proverb.* IX. *dicitur:* Bibite vinum quod miscui vobis. *Secundo quia hoc convenit repræsentationi dominicæ passionis. Unde dicit Alexander I. Papa:* Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. *Tertio quia hoc convenit ad significandum effectum huius sacramenti, qui est unio populi christiani ad Christum: quia, ut Iulius I. Papa dicit . . . . videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quarto quia hoc competit ad ultimum effectum huius sacramenti, qui est*

est introitus ad vitam æternam. Unde Ambrosius dicit in Lib. V. de sacramentis ..... Redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.

XII. Has rationes confirmat Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* VII. & *can.* IX. anathema in eum dicit qui asseruerit, *aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem*. Plura commenta excogitarunt novatores, quibus rationes S. Thomæ, & Tridentini decretum eluderent; sed cum inepta prorsus sint, confutatione non egent.

XIII. Quæst. V. *Commixtio aquæ cum vino est necessaria necessitate sacramenti, an solius præcepti divini, vel ecclesiastici?* Resp. Non esse necessariam necessitate sacramenti hanc commixtionem, fatentur omnes. Quoniam materia huius sacramenti est *genimen vitis*, seu vinum, ut iam supra ostensum est. Rationem vero promit S. Thomas *III. Part. q.* LXXIV. *art.* 7. his verbis. *Dicendum, quod iudicium de signo sumendum est ex eo quod significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem huius sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est. Sed & hoc ipsum quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit, ad idem refertur: quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per passionem Christi. Dictum est autem... quod sacramentum perficitur in consecratione materiæ: usus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo consequens est quod appositio aquæ non sit de necessitate sacramenti*. Heinc est quod si quis post consecrationem calicis advertat, se vino aquam non miscuisse, non debet consecrato calici aquam infundere, ut Rubricæ *tit. de defect. vini* præscribunt. Unde etiam eruitur, aquæ infusionem extra essentiam sacramenti esse.

XIV. Ad alteram quæstiunculæ partem breviter respondetur, esse necessariam necessitate præcepti, non divini, sed ecclesiastici. Non esse divinum præceptum istud constat; cum nullibi, sive in Evangelio, sive in Apostolorum epistolis, habeatur. Esse vero ecclesiasticum, declarat Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* VII. per hæc verba. *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent*. Quis autem fuerit istius præcepti primus auctor, non una est Theologorum sententia, Aliqui dicunt fuisse Alexandrum Papam I. At ipse *epist.* XIV. *c.* III. testatur, se hoc a Patribus accepisse. Communior, & probabilior sententia est, hoc præceptum universali Ecclesiæ consuetudine, ab exemplo Christi proficiscente, invectum esse; illudque suo decreto confirmasse Alexandrum I. Heinc dispensationi Ecclesiæ obnoxium est præceptum istud. Disputant Casuistæ, an in casu necessitatis possit absque dispensatione Sacerdos sine aquæ commixtione consecrare. Adfirmat Ledesma apud Leandrum *quæst.* XLIV. Sed communis & vera sententia negat.

XV. Quæst. VI. *Qualis, & quanta esse debet aqua vino immiscenda?* Resp. Aqua immiscenda naturalis sit oportet: tum quia hic est communis Patrum, & traditionis sensus: tum quia Christus aquam naturalem vino immiscuisse creditur: & tandem quia ex Christi latere aqua naturalis effluxit. Peccaret ergo quicumque aquam artificialem infunderet.

XVI. Modicam aquæ quantitatem calici infundendam, patet ex communi praxi. Antiquus Ordo Romanus hæc præscribit. *Post aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ*. Eugenius IV. in decreto instructionis declarans materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum, *cui*, inquit, *ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Congruentes rationes parvæ quantitatis aquæ immiscendæ explicat S. Thomas *loc. cit. art.* 8. Vix peccari per defectum potest, bene vero per excessum. Ceterum hac in re scrupuli vitandi sunt. Aliquæ guttæ plus minusve infundantur, ita ut respectu vini modica dici aqua possit.

XVII. Quæst. VII. *An aqua vino immixta convertatur in sanguinem?* Resp. Controversia hæc magna contentione, sæculo XII. desinente, agitata fuit. Alii contendebant in aquam mutari, quæ e latere Christi manavit: alii post consecrationem manere in sua natura: alii in sanguinem mutari contendebant.

XVIII. Aquam converti in sanguinem Christi per consecrationem calicis, tenent Theologi catholici omnes; immo id ad fidem pertinere aliqui docent. Sed communis sententia negat ad fidem pertinere: quoniam nullo Scripturæ testimonio id evinci potest, nullaque Concilii generalis definitione. Opinio tamen quæ negaret hanc aquæ in sanguinem Christi conversionem, a censura immunis non esset. Conversio ista aquæ in sanguinem Christi vi consecrationis colligitur ex Tridentino *sess.* XIII. *can.* III. ubi definit, post consecrationem solas remanere species pa-

panis & vini. *Manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*. Rursus, nisi aqua converteretur in sanguinem, verba calicis, *Hic est sanguinis meus*, non essent absolute vera. Addit S. Thomas *loc. cit. art.* 8. Si aqua illa maneret in sua natura, non posset totum quod est in calice, adorari; quod tamen adorandum proponitur. Si vero in liquorem qui e latere Christi aperto effluxit, transmutaretur aqua, non superessent tantum species panis & vini, & corpus & sanguis Christi, sed liquor alius etiam adesset. Tandem hanc conversionem aquæ in sanguinem confirmat communis Patrum, & Theologorum consensus.

XIX. Quæst. VIII. *An aqua vino permixta prius convertatur in vinum, postea in sanguinem?* Resp. Quæstio hæc acri contentionis studio agitatur a Scholasticis. Sed cum tota philosophica sit, pendeatque ex diversis Philosophiæ placitis, paucis eam perstringere lubet. Neutra litigantium pars argumenta evidenter concludentia allegare valet. Si auctoritati hærendum sit; probabilior videtur sententia quæ asserit, aquam prius in vinum, postea in sanguinem converti. Nam ex una parte antiqui Patres ante sæculum XII. hanc controversiam non dispexere; ex altera parte a tempore quo disputari de ea cœptum est, S. Thomas, & ceteri Theologi communi consensu ante sæculum proxime elapsum, quo novus philosophandi modus invectus est, propugnarunt, aquam primum in vinum, postea in sanguinem converti. Hanc sententiam adoptavit Catechismus Concilii Tridentini, qui in hac materia novorum Philosophorum placitis prævalere profecto debet. Catechismus vero *Part. II. de Euchar.* §. 17. inquit: *Illud autem Sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse. Nam Ecclesiasticorum sententia, & iudicio aqua illa in vinum convertitur*. Confirmatur ex ritu universali, præscribente paullulum aquæ vino immiscendum esse. Cur hoc, nisi quia præsumitur aquam in vinum converti?

XX. Urget etiam ratio theologica. Aqua ne quidem partialis materia calicis est: ergo converti nequit in sanguinem Christi. Si enim aqua materia esset calicis, immisceri vino deberet ex Christi institutione. Fatentur adversarii, ex solo ecclesiastico præcepto aquam infundi vino. Atqui Ecclesia tanta non pollet auctoritate, ut valeat aut immutare sacramentorum materias a Christo præfinitas; aut aliquam novam materiam a Christo non determinatam adiicere. Respondet *Cl. Turnely*, aquam seorsim acceptam non esse materiam calicis, esse vero mixtam vino. Pulchre, & venuste. Aqua immixta vino remanet omnino aqua. Ergo si separata a vino nequit esse calicis materia, neque vino coniuncta. An hæc immixtio aquæ cum vino naturam aquæ immutat? Minime gentium, aiunt illi. Reponunt. Fermentum non est panis; & tamen fermentum cum pane consecratur. Non minus vana quam prior, responsio hæc est. Panis ex Christi institutione materia est Eucharistiæ. Panis autem communis natura sua fermento conficitur; nihilque a pane diversum includit. Quid, si pani iam confecto & cocto quid paltæ hordeaceæ etiam, aut fermenti cocti adiiceretur? Transmutaretur ne in Christi corpus? Esset ne Eucharistiæ materia, quamquam coniuncta pani? Hæc mera coniunctio efficere ne ut materia inepta evaderet apta? Ergo idem dicendum in casu nostro. Aqua separata a vino non est calicis materia. Ergo neque coniuncta, in hypothesi quod aqua remaneat. Alterutrum ergo. Aut aqua non convertitur in sanguinem, aut si transmutatur in sanguinem, prius in vinum convertitur. Verum de hac quæstincula parvi momenti plus quam satis.

XXI. Quæst. IX. *An una species possit sine altera consecrari in extrema necessitate, & accedente summi Pontificis dispensatione?* Resp. Adfirmat Diana cum nonnullis aliis, licite id fieri posse, nedum valide, urgente necessitate. Volaterranus refert Innocentium VIII. an. 1490. dispensasse cum Norvegiis, ut in solo pane consecrarent, ob vini illuc asportandi difficultatem. Dispensationem hanc ut commentitiam reiciunt Suarez, & alii communiter. Certum est unam sine altera speciem valide consecrari posse. Disputatur, utrum liceat aliquando, urgente necessitate, id præstare. Negat S. Thomas *III. Part. q.* LXXIV. *art.* 1. *ad* 2. & communiter graviores Theologi. Quoniam eo modo consecrare Eucharistiam necessum est quem Christus Dominus præcepit servandum. Atqui Christus Dominus simul utramque speciem consecrari iussit; ut Tridentinum Concilium *sess.* XXII. *cap.* I. declarat. *Christus corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba*: Hoc facite in meam commemorationem: *uti semper Ecclesia catholica intellexit, & credidit*. Sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum convivii spiritua-

ritualis, & ut sacrificium: & nequit ut sacramentum perfici, nisi simul sacrificium offeratur. Sacrificium autem Eucharistiæ nequit una specie sola immolari: cum sit cruenti Crucis sacrificii commemoratio. Porro in sacrificio Crucis separatus a corpore sanguis fuit. Hæc autem separatio nequit fine calicis consecratione repræsentari. Nullo ergo in casu, nullaque suffragante dispensatione, una species sine altera, seu panis absque vino, vel vinum absque pane consecrari valet. Quæ enim divini iuris sunt, non subiacent Ecclesiæ potestati. Potest summus Pontifex ea statuere, immutare, addere quæ aut maiorem sacramentorum venerationem, & splendidiorem administrationem, aut maiorem fidelium suscipientium utilitatem spectant, iuxta temporum, & locorum diversitatem. At nihil in iis quæ ad sacramentorum substantiam, & naturam attinent, immutare potest; ut Concilium Tridentinum *sess.* XXI. *cap.* 2. decernit.

XXII. Quod opponunt, Pontificem summum non dispensare, sed interpretari divinam legem in aliquo necessitatis casu; nullius momenti est. Quoniam licet sacramentum istud summæ sit utilitatis, non est tamen absolutæ necessitatis. Præceptum sumendæ Eucharistiæ longe inferius est præcepto servandæ integritatis sacrificii. Neque aliquod diploma pontificium, nisi fabulosum, sicuti est illud quod obtrudit Volaterranus pro Norvegiis, adduci potest, quo evincatur, Pontifices aliquando dispensasse in hac materia.

CAPUT V.

De verbis quæ formam sacramenti Eucharistiæ constituunt.

I. AMplam dissertandi materiam præberet proposita quæstio, si tractare pro dignitate vellem capita illa omnia quæ fuso calamo Theologi dispiciunt. At nec instituti ratio id permittit, nec necessitas postulat; cum eruditissimi Theologi controversiam hanc omni ex capite non illustraverint modo, verum etiam difficultates omnes exhauserint. Ex plurimis pauca eorum seligam, quæ opportuniora iudicavero.

II. Varia sunt hæreticorum placita. Missis Manichæis, aliisque antiquis hæreticis, ex novatoribus Martinus Bucerus in *cap.* XXVI. *Matth.* negat in perficienda Eucharistia pronuntianda esse verba aliqua. Lutherus *Lib. de abroganda Missa privata* non modo pronuntianda esse verba evangelica docet; sed tota liturgia opus esse contendit ad sacra dona consecranda. Calvinus *Lib. IV. Inst. cap.* XVII. §. 39. recitanda esse verba evangelica adfirmat, sed historice, & concionatorie, seu per modum instructionis ad fidem populi excitandam; secus per modum consecrationis. Græcorum plures præter dominica verba ad sacra munera consecranda requirunt etiam orationem consequentem, & benedictionem Sacerdotis: quam Græcorum opinionem instaurarunt non ita pridem Augustinus Toutteè *diss.* III. *in Oper.* S. Cyrilli, & Petrus Le Brun *Tom. III.* Inter Catholicos ipsos aliquod dissidium est. Scotus, ut communiter fertur, existimavit designata verba dominica non sufficere, sed præcedentia verba, *Pridie quam pateretur* &c. requiri. De verbis consecrationis calicis non una est Thomistarum sententia. Disputant quoque Theologi catholici, usus ne Christus Dominus verbis fuerit, an interna occultaque benedictione in consecratione. Catharinus, & alii defendunt, Christum sine verbis per potestatem excellentiæ consecrasse; præscripsisse autem verba a Sacerdotibus adhibenda in consecratione. Quæ verba, tametsi necessaria Catharinus fateatur, contendit tamen historice dumtaxat, non significative proferri, & præterea ad consecrationem præter dominica verba preces necessarias asserit, quæ apud Latinos antecedunt, & penes Græcos consequuntur consecrationem. Quæ sunt communia, & certa apud Catholicos, brevissime exponam.

III. Quæst. I. *Utrum Christus Dominus verbis usus sit in Eucharistiæ institutione?* Resp. Communior, & mihi verior sententia est, Christum Dominum non sola interiori, & occulta benedictione, sed verbis Eucharistiam consecrasse. Hoc eruitur ex *Epist. I. ad Cor. c.* XI. ubi dicitur: *Hoc facite in meam commemorationem*. Id quoque docere Tridentinum Concilium *sess.* XIII. *c.* I. videtur his verbis. *Hoc admirabile sacramentum in ultima cœna instituit, cum post panis, vinique benedictionem, se suum corpus præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est: quæ verba, a sanctis Evangelistis commemorata, a Divo Paulo postea repetita sunt*. Hæc verba licet valde probabilem reddant propositam sententiam, non tamen extra omnem disputationis aleam eamdem constituunt.

IV. Quæst. II. *An Eucharistia solis verbis dominicis, & non precibus quæ antea, vel postea recitantur, consecretur?* Resp. S. Thomas *III. Part. q.* LXXVIII. *art.* I. Item in *IV. dist.* VIII. *q.* II. *art.* I. & in caput XXVI. *Matth.* distincte & perspicue Eucharistiæ formam exponit. Expendere haud vacat cavillationes quibus nonnulli invidiam creare Angelico Doctori pertentarunt. Communem ille, veramque Latinorum Theologorum sententiam propugnat, nempe solis verbis dominicis essentialiter constare Eucharistiæ formam, qua sacramentum perficitur. Græcorum plures, preces quoque necessarias asserunt. Sed sententia nostra Patrum tum Latinorum, tum Græcorum testimoniis evincitur. Tertullianus *Lib. IV. contr. Marcion. cap.* IV. inquit: *Accepit panem, & distributum discipulis corpus illum suum fecit, dicendo: Hoc est corpus meum*. S. Ambrosius *de Mysteriis cap.* IX. ait: *Ipse clamat Dominus Iesus*: Hoc est corpus meum. *Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur*. Plura ibidem Ambrosius habet, quæ prætereo. Si plura alia Latinorum Patrum testimonia cupis, consule Martenium *Tom. I. de antiq. Eccl. rit.*

V. Græci recentiores, qui nostræ sententiæ adversantur, ipsorum confessione in Concilio Florentino facta revincuntur. Nam *sess.* XXV. de verbis dominicis, *Hoc est corpus meum*, hæc fassi sunt. *Fateri nos diximus, per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri corpus Christi: sed postea, quemadmodum & ipsi dicitis: Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum: ita nos quoque oramus dicentes: Ut Spiritus sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, & quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in iudicium & condemnationem nostram*.

VI. Opponunt Græci & plurima Patrum testimonia, & Liturgias Iacobi, Chrysostomi, Basilii, ut evincant non solis dominicis verbis, sed precibus quoque Eucharistiam perfici. Et hæc omnia fuse referunt, ac explicant Iuvenin, Turnely, Vitassius, Berti, & ex instituto Cl. Orsi. Interpretatio communis huc recidit. Dicitur Eucharistia precibus consecrari & a Patribus, & in Liturgiis, quatenus sacra mysteria non peraguntur sine precibus: quia preces istæ *dispositive*, inquiunt, non *concomitanter* ad consecrationem adhibentur. Negant vero precibus istis vim inesse *formaliter* consecrandi. Hac sola fere distinctione exponunt omnia quæ opponi documenta solent.

VII. Quæst. III. *An hæc sola dominica verba*, Hoc est corpus meum, *sint essentialia consecrationi panis eucharistici?* Resp. Sententia adfirmans certa est, ut habetur in Concilio Florentino, seu in decreto pro instructione Armenorum, ubi definitur: *Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc sacramentum conficitur. Sacerdos enim, in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum*. Similia tradit Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* III. ubi declarat existere *corpus quidem Christi sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum*. Verba autem quæ Christus protulit, hæc sunt: *Hoc est corpus meum*. Porro si consecratio verbis dominicis peragitur, ut ostensum supra est; consequitur necessario, sola verba laudata esse essentialia consecrationi panis. Christus ipse, consecrato pane, & calice, Apostolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Præcepit ergo illis ut eo modo consecrarent quo ipse consecravit. Sed Christus, ut ostensum est, consecravit his verbis: *Hoc est corpus meum*. Ergo iisdem verbis Apostoli, & Sacerdotes Eucharistiam perficiunt.

VIII. Hinc perspicue consequitur, verba, *Qui pridie quam pateretur* &c. non esse necessaria ad essentiam consecrationis, ut Scotus existimavit: quia præfata verba non sunt dominica, seu Christus illa non protulit; sed sunt Evangelistarum. Ergo Sacerdotes eadem verba non proferunt, ut gerunt Christi personam; cum a Christo prolata non fuerint.

IX. Opponit Scotus. Verba ista, *Hoc est corpus meum*, sola accepta, & seiuncta a verbis, *Qui pridie quam pateretur*, non significant corpus Christi, sed corpus Sacerdotis. Sed in consecratione, Christi, non Sacerdotis corpus designandum est. Ergo ad essentiam consecrationis necessaria sunt præfata verba, *Qui pridie* &c. Resp. Nullius momenti est obiectio isthæc. Corpus Christi designatur perspicue ex institutione Christi, ex intentione Sacerdotis consecrantis, & ex modo quo Sacerdos hoc sacramentum conficit, quasi Christi personam gerens. Sacerdos in actione Missæ, cum orat, cum confitetur, cum laudes celebrat, in persona propria hæc præstat. Verum dum consecrat, Christi personam agit, ac si ipse Christus loqueretur. Particula *enim* nexum orationis prodit, non subiectæ materiei transmutationem significat.

X. Quæst.

X. Quæst. IV. *Sola ne hæc verba*, Hic est calix sanguinis mei, *vel*, hic est sanguis meus, *sunt de essentia consecrationis calicis; an vero etiam alia quæ sequuntur*, Novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, *ad essentiam consecrationis pertinent*? Resp. Super hac forma disputant vel ipsi Thomistæ in utramque partem. Adfirmantem sententiam, omnia nempe recensita verba ad essentiam consecrationis pertinere, defendunt Salmanticenses *tract.* IV. *cap.* V. *punct.* 2. Gonettus, Labat, Aravius, Petrus Soto, & plures alii, quos citant iidem Salmanticenses.

XI. Probabilior mihi sententia est, sola hæc verba, *Hic est sanguis meus*; vel quod eodem recidit, *Hic est calix sanguinis mei*, constituere formam essentialem consecrationis calicis. Hanc defendunt celebriores Thomistæ, potissimum recentiores, his rationum momentis. Verba consecrationis panis sunt hæc: *Hoc est corpus meum*. Ergo verba consecrationis calicis sunt hæc alia: *Hic est sanguis meus*. Idem esse utriusque formæ iudicium debet. Quandoquidem, inquit S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVIII. *art.* 1. natura huius sacramenti importat eam solam *consecrationem materiæ quæ in transubstantiatione consistat*. Sed quemadmodum per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, transubstantiatio panis in corpus Christi exprimitur; ita per hæc alia, *Hic est sanguis meus*, exprimitur conversio vini in sanguinem Christi.

XII. Accedit quod in Græcorum liturgiis, ab Ecclesia Latina probatis, omnia præfata verba, ut *æterni*, & alia, *Mysterium fidei*, non reperiuntur. Si omnia hæc verba ad essentiam consecrationem calicis pertinerent, nulla esset consecratio Ecclesiæ Græcæ: quod nemo dixerit.

XIII. Implexa quibusdam videtur S. Thomæ mens. Nam *III. Part. quæst.* LXXVIII. *art.* 3. asserere videtur, omnia recensita verba ad formam consecrationis calicis pertinere. Verum ex ipso articuli titulo, qui est eiusmodi. *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini*, colligitur ibi non agere de *essentiali*, sed de *convenienti* forma consecrationis calicis. *Art.* 1. autem iam constituerat, formam consecrationis essentialem solis primis dominicis verbis constare. Ibi enim quærit, utrum hæc sit forma sacramenti: *Hic est calix sanguinis mei*: adfirmatque his verbis: quia *forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantione consistit, puta cum dicitur: Hoc est corpus meum; vel hic est calix sanguinis mei*. Clare ergo primum S. Doctor definit, sola verba dominica pertinere ad consecrationem essentialem tum panis, tum vini. Laudato vero *art.* 3. explicat convenienter omnia præfata verba, *Novi & æterni testamenti* &c. pertinere ad formæ integritatem; quia his verbis exprimitur passio Christi, & eiusdem sanguinis effusio. Calicem sanguinis sui potandum inaudita clementia, & liberalitate porrigit nobis omnibus Salvator noster: post explicat sanguinem esse *novi testamenti*, idest æternæ hereditatis. Novum quippe testamentum sublatis figuris, æternam prodit felicitatem. Nova sunt hæc, & cuiusque humanæ mentis aciem prætergrediuntur; idcirco, ut sursum mentem erigamus nostram, subdit *mysterium fidei*: quia tam insolitum miraculum, non humana ratione, sed fide sola consequi valemus. *Pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Effectum his verbis explicat sanguinis sui pro nobis, & multis effundendi, nempe in remissionem peccatorum, animarumque nostrarum sanctificationem. Hæc, & alia plura quæ dici possent, perhibent, præfata verba ad integritatem & convenientiam, secus ad essentiam pertinere.

XIV. Quæst. V. *Historice ne, an assertive, & significative præfata consecrationis verba pronuntiatur*? Resp. Iam *Lib. I.* de sacramentis in genere ostensum est adversus novatores, verba sacramentalia non concionis locum tenere, ut illi contendunt, sed consecratoria esse. Quoniam hæc arcana verba, divina virtute prædita, subiectam materiam panis, & vini in corpus & sanguinem Christi convertunt. Sacerdos eadem proferens non propriam, sed Christi personam gerit. Falsum hoc autem esset, si historice, non *assertive* illa pronuntiaret. Accedit, Sacerdotem verba dirigere in panem, & vinum, quæ in manibus habet, ut illa trasmutet in corpus Christi. Ergo historicum non agit narrando ea quæ Christus Dominus in suprema cœna distribuit adstantibus; sed præfata verba *assertive*, & *significative* pronuntiat.

XV. Quæst. VI. *Utrum Christus adhibuerit particulam* enim *in consecratione panis*? Resp. Layman, Granados, & alii, quos citat, & sequitur Leander *tract.* VII. *disp.* IX. *quæst.* IV. contendunt, hac particula *enim* usum fuisse Christum in consecratione panis. Sed hæc opinio falsa est, nullo nixa fundamento. Communis enim sententia contraria est, quam defendit S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVIII. *art.* 2. *ad* 5. ubi inquit: *Hæc coniunctio* enim *apponitur in hac forma, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ a B. Petro Apostolo derivata*.

XVI. Quæst. VII. *Peccaret ne mortaliter qui hanc particulam* enim *omitteret*? Resp. Omissionem istius particulæ *enim* solam venialem culpam continere, docent Diana, Bonacina, Castropalaus, Dicastillo, Suarez, Henriquez, & alii, quos citat & approbat Leander *quæst.* V. aitque probabilius esse, non peccaturum nisi venialiter eum qui præfatam particulam omitteret; licet iuxta ipsum adhibita a Christo Domino fuerit particula ista. Celebriores Theologi adfirmant, peccaturum mortaliter qui voluntarie hanc particulam omitteret: & quidem iure: nam licet particula illa in se & absolute quid leve sit, in forma tamen sacramentali quid grave, & magni momenti est. Quamobrem omissio letalis esset.

XVII. Quæst. VIII. *Qui omitteret particulam* enim *ex contemptu, peccaret ne mortaliter*? Resp. P. Leander *tract.* VII. *disp.* IX. *q.* VI. respondet his verbis. „ Ego vero sub distinctione respondeo. Si particula *enim* omittatur *ex contemptu formali*, „ mortale erit illud omittere: quia contemptus formaliter est, directe se opponere præcepto superioris, quod est mortale. Si vero omittatur *ex contemptu materiali*, nempe quia præceptum est de „ re levi; tunc non erit mortale illud „ omittere. "

XVIII. Etiamne *contemptus materialis* invectus est? Eccur *materialis* vocitatur contemptus iste? Quia res quæ præcipitur, levis est? Itane vero? At nonne venialiter certo peccat qui rem levem sub præcepto impositam omittit? Et qui illam ex contemptu negligit, peccabit dumtaxat venialiter? Hæc doctrina falsa, & laxa est. Neque enim contemptus ratio a levitate rei, sed ab animo subiectioni superioris averso repetitur. Communis autem Theologorum sententia est, contemptum, sive formalem, sive interpretativum, alicuius, non dico præcepti rei levis, sed monasticæ constitutionis, esse peccatum mortale. Quid quod quamvis particula illa *enim* in se levis sit, gravis tamen est ut est, formæ sacramentalis nexus?

XIX. Quæst. IX. *Quid de his innumeris quæstiunculis dicendum? Nempe an valida sit consecratio, si quis dicat. 1. Hoc est corpus Christi. 2. Hic est corpus meum. 3. Ecce corpus meum. 4. Hæc est caro mea. 5. Hic cibus est meum corpus. 6. Hoc fit, fiat ut sit corpus meum. 7. Ego consecro hunc panem in corpus meum. 8. Ego conficio corpus meum ex pane. 9. Accipite, & comedite hoc corpus meum. 10. Hæc est substantia mea. 11. Hic est cibus meus. 12. Illud est corpus meum. 13. Meum est hoc corpus. 14. Hoc corpus est meum. 15. Hoc est corpus meum. 16. Hic est calix Sanguinis mei?*

XX. Has omnes quæstiones sigillatim & distincte versant Casuistæ plurimi. Eas omnes, & alias etiam collegit Leander *loc. cit.* a *quæst.* VII. usque ad *quæst.* XIX. & distincte eas dispicit. Et fere omnes *probabiliter* validas esse adfirmat: laudatque in sui favorem Casuistas plures. Ne Lectores decipiantur, ad singula respondebo ea brevitate quæ quæsitis istis congruit, ne fastidium lectori ingeram singula dispiciendo.

XXI. Ad 1. negative. Ad 2. negative, si *hic* pro adverbio sumatur; secus, si ex errore grammatices id contingeret. Ad 3. negative; erratque Leander cum aliis suis, quos citat, adfirmando validam esse consecrationem. Ad 4. negative: falliturque Leander cum aliis, dum aiunt probabilius valere. Ad 5. adfirmative. Ad 6. negative. Ad 7. negative. Ad 8. negative. Ad 9. Adfirmant Lessius, & Bernal citati a Leandro. Ad 10. negative. Ad 11. negative. Ad 12. negative. Ad 13. negative. Ad 14. negative. Ad 15. adfirmative. Ad 16. adfirmative. Quoniam, licet litteræ sub initium vocis soleant mutare omnino significatum; ut si prima littera huius vocis *mater* mutetur in P. & dicas *pater*; littera tamen Z. pro S. usurpari solet, & plures reipsa & in scripto, & in sermone eadem utuntur: Illud advertas in his, similibusque quæstiunculis dirimendis velim, quod dum sensus non variatur verborum Christi, valet consecratio. At quia certa regula istius variationis sensus designari nequit; idcirco non potest certo affirmari, quando in verborum aut transcriptione, aut substitutione varietur nec ne sensus quem præferunt dominica verba. In hac autem materia tutior pars est eligenda.

CONSECTARIUM.

XXII. Plures alias quæstiunculas excitant Moralistæ, quas prætereo ut vanas, & inutiles. Tremit enim manus tam augustissimum sacramentum, & mysterium tam ineffabile ineptis quæstionibus implicare. Illuc potius tendere oratio nostra deberet, ut verba omnia & sacramenti dignitatem, maiestatemque exprimerent, arcana mirabilia referarent,

rent, immensam Dei misericordiam, liberalitatem repræsentarent, & lectorum pietatem, devotionem, fervoremque accederent. Discamus ergo, non futiliter disputare, sed obsequio profundo tantum sacramentum venerari, illudque religione summa celebrare. Verba omnia quæ Christus pronuntianda definivit, attente, devote, & perspicue proferantur. Si ex linguæ imperfectione minus quandoque expedite omnes litteræ non enuntientur, torquere conscientiam suam non debet Sacerdos. Accedat bene paratus, vigil, sibi præsens, Deique amore succensus. Neque præceps, neque nimis scrupulosus, atque meticulosus sit in verborum enuntiatione. Extrema negligentiæ, & morositatis devitet. Si qui opus Dei quodcumque negligenter peragit, maledictione percutitur; quo supplicio plectendi erimus, si omnium sacramentorum præstantissimum ignave, pigre, atque minus exacte celebraverimus? Hæc nunc pauca delibasse, post tot quæstionum disceptationem, sufficiat.

CAPUT VI.

De vera, & reali Christi præsentia in Eucharistia.

I. MAle consultus forem, si ex instituto amplissimam hanc spartam exornare vellem: cum innumeri, iique eruditissimi Catholicorum Theologi eamdem illustraverint tanta eruditionis copia, tanta argumentorum, rerumque ubertate, ut ligna in silvam importaret qui adiicere quidquam vellet. Quoniam vero christianus Theologus non agenda tantum, sed credenda etiam habere comperta debet; in id incumbam, ut quæ diffuso amploque stilo permulti Theologi scripsere, contracta ego oratione proponam.

II. Principio hæreticorum errores, a quibus christiano Lectori cavendum est, paucis indicabo. Missis Capharnaitis, Manichæis, Marcionitis, Phantasiastis, Messalianis, Enthusiastis, qui Christi carnem negabant, primus quem male sensisse de Eucharistia ferunt, fuit Ioannes Scotus Herigena, qui sæculo IX. vitam agebat. Sæculo XI. Berengarius Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, errores adversus Eucharistiam ab Herigena Scoto evulgatos adoptavit, amplificavitque. Berengarii doctrina proscripta fuit in Concilio Romano ann. 1050. cui præsedit Leo IX. Retractationem sui erroris obtulit Berengarius Gregorio VII. sed in abiuratos errores relapsus, iterum eos detestatus est in Synodo Romana ann. 1059. Nicolao II. regnante. At reversus in Galliam rursus in suos relapsus errores fuit; & iterum eosdem detestatus est in Synodo Romana ann. 1079. Et in hac ultima errorum suorum retractatione costanter perseveravit octo annorum intervallo, nempe usque ad mortem, quam vere catholicus obivit anno 1088. Tres fidei formulas, a Berengario confirmatas, edidit Mabillonius *Tom. I. Analector.* Petrobussiani a Petro de Bruis dicti, Henriciani ab Henrico appellati, sæculo XII. ineunte, sacramentum Eucharistiæ de medio penitus auferre tentarunt. His adhæsere Albigenses, qui præcinuerunt novatoribus nostris. Horum primus Carlostadius Archidiaconus Witembergensis contra realem Christi præsentiam in Eucharistia librum edidit anno circiter 1524. Hoc eodem anno Huldricus Zuinglius in Helvetia Pastor docuit, Eucharistiam meram esse figuram corporis Christi. Sociniani non modo cum Zuinglio docent, Eucharistiam nudum esse corporis Christi signum; verum etiam sacramenti rationem ei denegant, contendentes, ritum hunc esse meram gratiæ iam donatæ commemorationem. Bucerus, Romanæ Ecclesiæ desertor, Zuinglii doctrinam amplexus est; sed eam multis linimentis temperare studuit, ut invidiam declinaret Lutheri, qui quamquam, ut ipse testatur in epistola ad Argentinenses, diu laboraverit ut hanc realem præsentiam convelleret; fateri tamen coactus fuit tantam esse verborum Christi perspicuitatem, ut inficiari minime potuerit vere & realiter Christum esse in Eucharistia præsentem.

III. Calvinus Arianis, & veteratoribus omnibus fraudulentiorem, & versipelliorem in huiusce mysterii expositione se prodit. Modo a Zuinglii doctrina recedere videtur, & Bucero, quem ut magistrum colit, adhærere: modo utrosque refellit, & ad Lutheranos declinat: modo catholicæ Ecclesiæ, versuto artificio, phrasibus utitur, & realem præsentiam propugnare se iactat: & tandem suas blasphemias adversus catholicum dogma, larva posita, eructat. *Lib. IV. institut. cap.* XVII. fusam habet de Eucharistia orationem. Operæ pretium existimo aliqua eiusdem testimonia transcribere. §. 1. hæc promit. *Primo signa sunt panis, & vinum, quæ invisibile alimentum, quod percipimus ex carne, & sanguine Christi, nobis præsentant... Quoniam vero mysterium hoc arcanæ Christi cum piis unionis natura incomprehensibile est, figuram eius & imaginem in signis visibilibus exhibet ad modulum nostrum aptissimis; immo, velut datis arrhis, ac tesseris, tam certum nobis facit quam si oculis cerneretur: quia in crassissimas quasque mentes hæc tam familiaris similitudo penetrat, non secus animas Christo pasci quam panis, & vinum corporalem vitam sustentant. Iam ergo habemus, in quem finem spectet mystica hæc benedictio: nempe quo nobis confirmet corpus Domini sic pro nobis semel esse immolatum, ut nunc eo vescamur, ac vescendo unici illius sacrificii efficaciam in nobis sentiamus.* Deinde, ut fucum faciat, explicatis symbolis, testatur vere Christum sub iis symbolis contineri. Sic enim pergit §. 3. *Horum omnium adeo solidam habemus testificationem in hoc sacramento, ut certo statuendum sit, VERE nobis exhiberi, non secus ac si Christus ipse præsens aspectui nostro obiiceretur, ac manibus obtrectaretur. Hoc enim verbum nec mentiri, nec illudere nobis potest.* Accipite, edite, bibite: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis, qui in remissionem peccatorum effunditur. *Quod accipere iubet, significat nostrum esse... quod edere iubet, significat unam nobiscum substantiam fieri.* Opponit sibi errorem Zuinglii, Carlostadii, aliorumque gregalium, qui Christi carnem edi, & sanguinem potari per fidem dumtaxat effutiunt, eosque sic redarguit. Quid? Numquid panis solo aspectu editur? Numquid vinum solo visu bibitur? Aut ergo mentiri Christum dicentem, *Comedite, bibite*, blasphement oportet; aut non sola fidei cognitione, sed vere, & realiter Christi corpus manducari concedant necessum est. Hæc quippe subdit §. 5. *Sunt enim qui manducare Christi carnem, & sanguinem eius bibere, uno verbo definiunt, nihil esse aliud quam in Christum ipsum credere. Sed mihi expressius quiddam, ac sublimius videtur voluisse Christus in præclara illa concione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat: nempe VERA sui participatione nos vivificari: quam manducandi etiam, & bibendi verbis ideo designavit, ne quam ab ipso vitam percipimus, simplici cognitione percipi quispiam putaret. Quemadmodum enim non aspectus, sed esus corpori alimentum sufficit; ita VERE ac penitus participem Christi animam fieri convenit... In hunc modum voluit Dominus panem vitæ se nuncupando non tantum docere in mortis resurrectionisque suæ fide repositam esse nobis salutem; sed VERA etiam sui communicatione fieri ut vita sua in nos transeat, ac nostra fiat; non secus ac panis, dum in alimentum sumitur, vigorem corpori administrat.* Rursus §. 10. hanc suam doctrinam clarius confirmat. *Summa sit, non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent. Neque aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent; quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus VERE in unum coalescat, nosque reficiat carnis suæ esu, & sanguinis potu. Etsi autem incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum; meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus S. virtus, & quam stultum sit eius immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum vere unire quæ locis disiuncta sunt.*

IV. Heinc manifesto apparet, Calvinum fateri sub sacris symbolis vere carnem & sanguinem Christi contineri. Stultitiæ eos arguit qui humana ratione metiri audent tam ineffabile arcanum, quod omnem superat mentis nostræ captum. Sed quæ ibidem continuo adiicit, perpende. *Et sane rem illic signatam offert, & exhibet omnibus qui ad spirituale illud epulum accumbunt, quamquam a fidelibus solis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem vera fide, animique gratitudine suscipiunt. Qua ratione dixit Apostolus, panem quem frangimus, communionem esse corporis Christi: calicem quem verbo & precibus in hoc consecramus, communionem esse sanguinis ipsius. Nec est quod obiiciat quispiam, figuratam esse locutionem, quia signatæ rei nomen signo deferatur. Fateor sane fractionem panis symbolum esse, non rem ipsam. Verum hoc posito, a symboli tamen exhibitione rem ipsam exhiberi recte colligemus. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso symbolum proponi numquam dicere audeat. Itaque si per fractionem panis Dominus corporis sui participationem vere repræsentat, minime dubium esse debet quin VERE præstet, atque exhibeat.... Quod si verum est præberi nobis signum visibile ad obsignandam rei invisibilis donationem; accepto corporis symbolo, non minus corpus etiam ipsum nobis dari certo confidamus.* Dico igitur (subdit §. 11.) *in cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum vere nobis exhiberi.* Rursus §. 16. in realis præsentiæ favorem hæc subiicit. *Si ita sensum suum explicarent, dum panis in mysterio porrigitur, annexam esse exhibitionem corporis, quia inseparabilis est a signo suo veritas; non valde pugnarem.* Si inseparabilis est a signo veri-

[illegible]ritas, necessario consequitur, sub sacris ve[illegible] panis & vini vere, realiter, & sub-symbolis [illegible]tineri carnem & sanguinem substantialiter con[illegible] adhuc realem præsentiam Christi. Clarius au[illegible] exponit §. 33. ubi aperte asserit æque indignis, ac dignis corpus Christi præberi. *Atque hæc est sacramenti integritas, quam violare totus mundus non potest: carnem, & sanguinem Christi non minus VERE dari indignis quam electis Dei fidelibus. Simul tamen verum est, non secus atque pluvia super duram rupem decidens effluit, quia nullus in lapidem ingressus patet, ita impios sua duritie repellere Dei gratiam, quominus ad ipsos penetret.* Quid Ecclesiæ catholicæ doctrinæ conformius exprimere hic Calvinus poterat? *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ, vel interitus. Mors est malis, vita bonis. Vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.* Si non minus improbis quam electis Christi corpus præbetur, ut Calvinus fatetur; realis corporis præsentia a fide suscipientium non pendet. Fides ergo suscipientium efficit non ut Christus sit vere & realiter præsens sub sacris symbolis, sed ut gratiam in suscipiente producat: idque opportuno exemplo, adducto ab ipso Calvino pluviæ æque decidentis super lapidem, & super terram bonam, patet.

V. Nonnulla alia Calvini testimonia transcribere lubet ex eiusdem *opusc. de cœna Domini*, ubi ait: *Omnem fructum quem in cœna quærimus, in nihilum redigi, nisi in ea Christus ut totius rei fundamentum & substantia nobis donatur . . . . . Cum ergo signum visibile conspicimus, quid repræsentet, & quo nobis donatum sit, recitandum est. Panis enim datur ut corporis Christi sit figura, eumque iubemur comedere. Datur, inquam, a Deo, qui veritas certa, & immutabilis est. Quod si Deus nec fallere, nec mentiri potest; consequens est ipsum omnia quæ illic significat, reipsa implere ac præstare. Necesse est igitur nos in cœna vere corpus & sanguinem Christi recipere, cum utriusque communionem nobis Dominus repræsentet. Quid enim sibi vellet nos panem comedere, ac vinum bibere, ut significent carnem ipsius cibum esse nostrum, & sanguinem potum; si veritate spirituali prætermissa, vinum & panem solummodo præberet? Nonne frustra, & mendaciter hoc mysterium instituisset, & quod lingua Gallica dicitur, falsis insignibus? Itaque fatendum est, si vera sit repræsentatio quam adhibet Deus in cœna, substantiam interiorem sacramenti visibilibus signis coniunctam esse. Et quemadmodum panis in manu distribuitur, ita corpus Christi, ut eius participes simus, nobis communicari. Hoc certe, etiamsi nihil aliud esset, nobis abunde satisfacere deberet, cum intelligimus Christum nobis in cœna ve[illegible]ram propriamque corporis, & sanguinis sui substantiam donare.*

VI. Quorsum hæc tam prolixa veteratoris hæresiarchæ testimonia? Ut heinc colligas duo. Primum, dominica verba adeo luculenter, adeo evidenter significare, carnem, & sanguinem Christi sub sacris symbolis latere, ibique vere, realiter, & substantialiter existere, ut vel ipse Calvinus, omnium hæreticorum petulantissimus, simulque acutissimus, ausus minime fuerit ad figuratam locutionem præfata verba absolute detorquere. Quemadmodum omnes hæretici Ecclesiæ catholicæ phrases adhibere affectarunt; ita Calvinus talibus loquendi formulis usus est, ut doctrinam catholicam illum docere existimares, nisi antilogiis perpetuis semetipsum perimens, alibi blasphemias suas pleno ore adversus Eucharistiam evomeret. In iis tamen quæ rescripsi, testatur, metiri nos minime debere ratione mentis nostræ istius sacramenti incomprehensibilem altitudinem: miraculum grande esse, quod ingenii humani aciem fugit. Quæ omnia illius sophismata, quæ adversus dogma catholicum alibi obtrudit, penitus convellunt. Secundum ex recitatis Calvini testimoniis colligendum est, quod systema cuiusque hæretici nequit ex uno, aut altero testimonio formari. Hæretici omnes, omnesque sectæ, simul atque recesserunt ab indefectibili catholicæ Ecclesiæ regula, continuo pugnantia loqui, frigidum, & calidum eodem tempore efflare cœperunt; non secus ac Ethnicorum Philosophi, qui plures veritates naturæ lumine cognitas scriptis consignarunt; at tenebrarum caligine undique circumfusi infinitis erroribus easdem immiscent, & quod uno loco adfirmant, alibi negant, numquam sibi constantes. Lectores minus experrecti, dum aliquod istorum testimonium legunt, illorum se tenere mentem credunt: aliis insultant, quod ex aliis testimoniis diversa & opposita eosdem docuisse asserant. Quare summa cautione legendi sive hæretici, sive ethnici sunt; parumque fidendum eorum captiosis loquendi formulis. Eorum dumtaxat errores adversus catholica dogmata efficaciter convellendi sunt.

VII. His paucis delibatis, primum omnium præmittenda sunt quæ Concilium Tridentinum definivit *sess.* XIII. *can.* I. adversus recensitos errores. *Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.* Animadvertenda sunt tria huiusce canonis verba. *Vere* dicitur adversus Zuinglianos: *realiter*, idest non tantum obiective, & per fidem, ut contendit Calvinus: qui quamvis in laudatis testimoniis vaferrimus, ac fraudulentissimus homo ad declinandam Lutheri, quem Tubam Spiritus sancti appellitat, invidiam, vere carnem & sanguinem Christi nobis in Eucharistia dari adfirmet; reipsa tamen realem præsentiam in Catholicorum sensu delirium vocat. Additur denique *substantialiter* contra Calvinistas, qui non substantiam, sed virtutem tantum corporis Christi esse in Eucharistia præsentem contendunt. Quem errorem Calvinus ipse diversis verborum involucris tectum, & consuetis pigmentis oblinitum, variis in locis tradit. His præmissis, catholicam doctrinam sequentibus §§. breviter, quoad argumenti natura fert, perstringam.

§. I.

Christus Dominus Ioan. VI. *corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum promisit se nobis daturum vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus panis & vini; promissionemque in Eucharistiæ institutione implevit. Quæ catholica veritas adversus Sacramentarios demonstratur.*

I. UT prima propositionis pars demonstretur, caput Ioannis VI. tribuo in partes tres. In prima miraculum narratur quo multiplicati fuerunt quinque panes in deserto. In secunda parte a *vers.* 26. usque ad 52. de fide in Christum Dominum, quæ metaphorice cibus appellatur, occasione ex panum multiplicatione accepta, agitur. Æque Catholici ad hæretici fatentur, sermonem ibi de Eucharistia minime haberi. In tertia autem capitis parte, nempe a *vers.* 52. de vera & reali corporis sui manducatione, omni metaphora sublata, Christum loqui, Catholici luculenter evincunt. Et quamvis definiri id Concilium Tridentinum noluerit; tamen ex eodem *cap.* VI. testimonia allegat in veritatis catholicæ confirmationem. Promissio itaque Christi plana & explorata est. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Iudæi Capharnaitæ, his verbis auditis, in admirationem rapti, scandalum passi sunt, ac si impossibilia Christus promisisset. *Litigabant ergo Iudæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.* Quid quod discipuli ipsi, quamvis erga Christum propensi, cum hæc audissent, clamarunt: *Durus est hic sermo: & quis potest eum audire?* Ergo æque Iudæi ac discipuli Christi promissionem de vera & reali manducatione intellexerunt. An ne scandali loco habuissent Christi verba; an ne turbati in litigia, in murmura erupissent, si spiritalem manducationem, si signum, figuramque corporis sui promisisse Christum intellexissent? Quid reposuit Christus, ut illorum turbationem sedaret, admirationem, atque litigii caussam tolleret? Unico verbo tranquillare illorum animos, & diffidia omnia removere potuisset dicendo, se de mystica, & metaphorica manducatione sermonem habere. Hoc semper præstitit clementissimus Magister, quoties ex æquivocæ suorum verborum intelligentia turbatos, anxiosque discipulos suos animadvertit. Nam *Ioan.* III. cum dixit: *Solvite templum hoc* &c. figuratam locutionem idem Evangelista explanavit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Rursus *cap.* III. dixit Christus: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*: & continuo Evangelista exponit: *Hæc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Iterum *cap.* XII. dixit Christus: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*: & Ioannes subdit: *Hæc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Prætereo & parabolam zizaniorum, & alios tropicos sermones, quos hæsitantibus discipulis, & Nicodemo Christus interpretatus est. Verum hanc suam de corporis sui vera & reali manducatione promissionem, non modo interpretatione aliqua non delinivit, ut turbatos discipulorum animos sedaret; sed contra fortius sermonem suum confirmavit, & veluti incredulitatem eorum redarguens, mortem minatus est, nisi promissum cibum potumque sumpserint, *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tantam admirationem & offendiculum sermo iste in discipulorum aliquibus excitavit, ut ab eo discesserint. *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro*: quos non solum non revocavit, sed alios alloquens interrogavit: *Numquid & vos vultis abire?* Unico verbo potuisset Christus & Capharnaitas Iudæos errori subducere, & imbecillos anxiosque discipulos

pulos illuminare, si figuratus & tropicus fuisset illius sermo, ut contendunt Sacramentarii, & Calvinistæ. Hoc Christus, tametsi ad clementiam, ad pietatem, ad misericordiam comparatus, non egit; sed e contrario discipulis litteralem & obviam sermonis sui intelligentiam roboravit, confirmavitque toto evangelico contextu. Alterutrum ergo: aut Calvinistæ Christum nimiæ & severitatis, & inhumanitatis accusent necessum est; aut fateantur oportet, in litterali sensu Christi verba intelligenda esse. Quid? Magister divinus commotos agitatosque discipulos videt ob falsam, ut Calvinistæ contendunt, suorum verborum intelligentiam: & eos non dedocet veritatis Magister? Et eos non illuminat, eorumque tenebras non dispellit qui est lux mundi? Soli obcæcati Calvinistæ de clementissimo Christo tam inauditum paradoxon comminisci valent. Ergo in sensu obvio & litterali intelligendus est Christi sermo: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

II. Confirmat obviam & litteralem interpretationem Evangelistæ Ioannis textus, Conciliorum, & Patrum traditio. Concilium Ephesinum in approbatione epistolæ S. Cyrilli ad Nestorium hoc in sensu verba Christi relata ab Evangelista Ioanne interpretatur. *Confitemur incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, utpote participes sacræ carnis, & pretiosi sanguinis Christi effecti... Quamvis enim dicat Ioan.* VI. Nisi manducaveritis carnem, & biberitis *&c. neutiquam communem carnem, hoc est hominis nostræ conditionis carnem esse existimare debemus, sed vere illius propriam qui nostri caussa Filius hominis factus, & appellatus est.* Ergo universalis Ecclesiæ, in œcumenico Concilio congregatæ, doctrina Christus *Ioan.* VI. nobis suam veram carnem in Eucharistia promittit. Concilio Ephesino succinit Concilium Nicænum II. anno 787. *act.* VI. his verbis. *Nullus aliquando incruentum Sacrificium imaginem corporis Christi dixit.... Sed audiunt evangelice dicentem eum: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.*

III. Eodem in sensu SS. Ecclesiæ Patres textum *Ioan.* VI. interpretati sunt. S. Cyrillus Alexandrinus in hæc Ioannis verba, *Qui manducat meam carnem* &c. hæc scribit. *Quemadmodum si quis ceram ceræ coniunxerit, utique alteram in altera esse videbit; eodem quoque (opinor) modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, & bibit pretiosum eius sanguinem, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodammodo, & immixtus ei per illam participationem; ita ut in Christo quidem ille reperiatur, & vicissim Christus in ipso.* S. Hilarius *Lib. VIII. de Trinit.* adverſ. Arianos evincit Filium Dei esse in Patre secundum naturam, & substantiam, quemadmodum in nobis per Eucharistiam vere & substantialiter existit, inquiens: *Si vere carnem corporis nostri Christus assumpsit, nosque vere sub mysterio carnem corporis eius sumimus... per hoc unum erimus: quia Pater in eo est, & ille in nobis.... Ipse enim ait:* Caro mea vere est cibus *&c. De veritate carnis, & sanguinis non est relictus ambigendi locus.... Et hæc accepta, atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit. Hæc igitur idcirco commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem & Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tamquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem obsequio tantum, ac voluntate unitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur: cum & per honorem nobis datum Dei Filii, & per manentem in nobis carnaliter Filium, & in nobis corporaliter & inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum* &c.

IV. Adeo luculenta est hæc Hilarii argumentatio, & robusta, ut omnes Sacramentariorum, Calvini, Claudii, Aubertini, aliorumque novatorum cavillationes penitus labefactet, effugiaque præcludat omnia. Aut caussam Arii egisse S. Hilarium, aut caussam Calvinistarum profligasse, fateantur novatores necessum est. S. Hilarius evincere contendit, Christum esse consubstantialem Patri, in eoque existere, quemadmodum per Eucharistiam existit in nobis. Ergo pro certo habet, media Eucharistia in nobis existere per identitatem substantiæ. Quid ad hæc novatores acuti? An reponent, Hilarium dumtaxat velle Christum in nobis existere media Eucharistia per fidem, per participationem alicuius virtutis, & proprietatis ab illo in nos derivatæ? Aiunt? Ergo Hilarius Arii caussam egit, nempe Filium esse in Patre per quamdam figuram, similitudinem, & perfectionum copiam ab eo in illum derivatam. Arianum ergo Hilarium efficiunt. Negant? Ergo caussam Calvinistarum in nihilum redegit Hilarius. Nulla hic ad effugium latebra. Sed iterum Hilarium audiamus, qui suam argumentationem hac conclusione ibidem confirmat. *Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, idest naturam carnis suæ adepti; quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat per Patrem?* Cavillari, rixari, vitilitigare novatores possunt, fideles fieri realiter unum per baptismum, seu per gratiam, per fidem, per virtutem eamdem in omnes effusam, omnibusque communem. At hæc omnia ineptissima commenta sunt. Nam S. Hilarius contra Arianos evincit, fideles fieri realiter unum cum Christo, & invicem *carnaliter*, *corporaliter*, seu per identitatem substantialem carnis & sanguinis; ut heinc inferat, Filium esse consubstantialem Patri. Si Hilarius evincere dumtaxat intendisset, fideles fieri unum per virtutis & gratiæ participationem, ut novatores effutiunt, caussam Arianorum, ut dixi, orasset. Ergo recurrit dilemma factum. Aut novatores Arianum Hilarium constituant necessum est; aut Sacramentariorum, & Calvinistarum caussam illum ab imis diruisse fateantur oportet. Doctrinam Hilarii confirmant Patres omnes. S. Irenæus *Lib. IV. cap.* XXXIV. Origenes *homil.* XVI. *in Numer.* S. Cyprianus *Lib. de orat. dominic.* S. Ambrosius *de iis qui mysteriis initiantur cap.* VIII. S. Augustinus in *cap.* VI. *Ioan.* S. Chrysostomus in *eumdem loc. Ioan.* S. Leo *serm.* VI. *de ieiunio.*

V. Altera propositionis pars ostenditur, nempe Christum promissionem suam Eucharistiæ institutione impleviſse. Verba institutionis habentur *Matth.* XXVI. *Marc.* XIV. *Luc.* XXII. & *I. ad Cor.* XI. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Oratio hæc vera, enuntiativa, & operatrix est. Vera autem non esset, si in propria substantia panis permansisset. Cedo: si Christus in Cana Galilææ aquæ hydriam manu tenens dixisset, *Hoc est vinum*, aqua in vinum minime conversa, an non fuisset mentitus? An non illusisset convivis? Ergo similiter mentitus Christus fuisset dicendo, *Hoc est corpus meum*, si corpus illud substantia panis, & non caro Christi fuisset. Mendacem ergo Calvinistæ Christum efficiunt, quemadmodum Hilarium Arianum, dum præfata verba per *metonymiam* interpretantur, quasi hunc reddant sensum: *Hic panis est signum corporis mei.* Christus & promittens Eucharistiam, & eam instituens magistri, & testatoris personam gessit. Magistri est discipulos perspicue & clare imbuere. Supra ostensum est, discipulos, super intelligentia promissionis factæ ambigentes, & scandalum patientes, clamasse: *Durus est hic sermo.* Nunc ut testator promissionem implet, & eadem oratione quæ veram & substantialem corporis sui traditionem significat, utitur. Testatoris verba obvia, clara, & aperta esse debent, ne inter heredes contentiones, & lites oriantur. Discipuli, qui audientes promissionem turbati fuerant, nunc institutionem promissioni omnino conformem auscultantes, nullo modo hæsitarunt, non murmurarunt. In sensu ergo obvio & naturali præfata verba intellexerunt, memores sermonis quem Christus in promissione habuit. Si Apostoli dubitassent, præfata verba tropice, & per metonymiam fuisse prolata; an germanum sensum explicari a Christo non postulassent?

VI. Præterea edisserant nobis acuti rabulæ, quænam ex his vocibus, *Hoc est corpus meum*, tropo afficiatur? An non tam luculenta sunt hæc verba quam sequentia: *Verbum caro factum est: Deus erat Verbum: Christus est Filius Dei?* Ergo non minus blasphemi sunt Sacramentarii, & Calvinistæ, detorquentes ad mysticam & figuratam locutionem laudata verba sacramentalia, quam fuerunt Ebionitæ, & Ariani, postrema verba evangelica ad improprios sensus inflectentes. Cum ergo nulla sit vox tropo affecta; unde colligunt Calviniani ad sensum mysticum transferenda esse præfata verba? Num ex iis quæ aut antecedunt, aut sequuntur? Num ex Evangelistarum discrepantia? Ostendant, si valent, vel unicum dissonantiæ verbulum. Nos contra mirabilem harmoniam demonstramus, nulli cavillationi obnoxiam. Nam si ad caput VI Ioannis regrediamur, *vere*, & non *tropice*, in cibum carnem Christi; *vere*, & non *tropice*, Christi sanguinem in potum nobis dari ibi asseritur. An omisissent Evangelistæ omnes rem omnium gravissimam, & scitu quam maxime necessariam exponere, si aliquis in ea translatus sensus contentus esset? Nonne id præstiterunt in rebus minoris momenti, occasione data? Matthæus Ioannem Baptistam vocat Eliam: & Lucas talem fuisse spiritu & virtute exponit. Christus *Matth.* XVI. *vers.* 6. dicit. *Cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum:* & *vers.* 12. declarat cavendum esse a *doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.* Ioseph absolute Pater Christi non semel dicitur: & Lucas adiicit, *ut putabatur.* Alia exempla supra adducta sunt. Quæ cum ita se habeant, quis mentis compos obtrudere ausus fuerit, clementissimum Salvatorem in ultimo suo testamento, in quo extrema amoris, sinceritatis, & amicitiæ pignora, splendidiora tenerioris affectus, & benevolentiæ argumenta discipulis exhibuit,

bu it, implexe & obscurre locutum, eisque translationibus & figuris usum fuisse quæ ad dissidia & lites provocare heredes potuissent? Quare liceat hanc argumentationem verbis S. Hilarii *Lib. VIII. de Trinit.* adversus Arianos, qui Verbum divinum consubstantiale Patri negabant, quemadmodum Calviniani realem præsentiam in Eucharistia inficiantur, confirmare. *Qui verbum est, & qui veritas est, loqui vera nescivit? Et qui sapientia est, in stultiloquio erravit? Et qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quæ vellet intelligi?* Quid quod ipse Christus parabolas frequenter immiscens sermonibus suis, discipulis testatus est Ioan. XVI. *Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis?*

VII. Lubet ad incitas Calvinianos redigere dilemmate quo illos exagitat P. Vincentius Contensonius, qui hanc controversiam, si quis alius, docte eruditeque versat *Lib. XI. part.* II. *diss.* I. Aut Christus Dominus, qui nascens socium, moriens pretium, regnans præmium se nobis tradidit, non potuit convescens in cœna vere & realiter se nobis exhibere in cibum; aut, si potuit, noluit. Si primum: negant Calviniani omnipotentiam, qua Deus ex nihilo creavit Orbem, qua aquam in vinum convertit, qua miracula patravit adeo stupenda, quæ omnem superant rationem, vel saltem illam coercent, restringunt, & metas quas prætergredi nequeat, eidem præfigunt: quod manifesta dementia est, ut ipsius Calvini verbis infra demonstrabo. Si concedunt, hoc infinitum amoris pignus potuisse quidem Christum nobis donare; at id præstare noluisse: rursus ab illis percontamur: unde colligunt, noluisse Christum hoc immensum corporis sui donum nobis exhibere? Quibus argumentis id evincunt? Nos contra illos urgemus. Si reipsa Christus voluisset corpus suum sacratissimum præbere, verba ne luculentiora aut clariora iis quibus usus est, adhibere potuisset, ut voluntatem suam, qua domum nobis exhibuit, exprimeret? Anne enucleatius Trinitatem adversus Arianos, incarnationem contra Marcionem, Nestorium, Eutychetem, aliosque sectarios expressis, quam realem præsentiam adversus Calvinistarum blasphema deliria? Quid clarius dicere adversus primos potuit: *Ego, & Pater unum sumus: Verbum caro factum est?* Quid luculentius contra istos: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus; caro mea vere est cibus; sanguis meus vere est potus?* Dicant Calviniani, deerant ne Arianis, Nestorianisque Scripturarum testimonia, quibus & sibi, & aliis fucum facerent, ut incarnationis impossibilitatem suadere conarentur? In medium prodeant Calviniani omnes, unumque textum proferant æque in speciem suis arbitrariis commentis faventem ac istum quem Ariani obtrudebant: *Rogo Pater, ut unum sint, sicut & nos unum sumus*: unde inferebant, Patrem inter & Filium talem voluntatum consensionem esse, qualem discipulos inter se habere Christus Patrem rogavit. Inclamabant: *Pater maior me est.* Opponant, si possunt speciosum aliquem textum illi similem quem inculcabant incarnationis hostes. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Exerant Calviniani omnes acuminis vires, & eruditionis sacræ arcana referent, ut adversus Arianos, Nestorianos, Eutychianos evincant divina testimonia quibus ostendimus Trinitatem, incarnationem, in sensu obvio, & secundum verborum proprietatem accipienda, semel admissa hypothesi quod divina verba, quæ iuxta obvium sensum significant veram, realem, & substantialem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, ad sensum mysticum, figuratumque inflecti valeant. Aliquam ne disparitatem, exceptionemque adversus recensitos hæreticos opponere Calviniani valent?

VIII. Præcipua quæ obtrudere Calvinistæ, & Sacramentarii solent contra primam partem, paucis perstringo. Cavillantur. I. De ea manducatione loquitur Christus *Ioan.* VI. *a vers.* 52. de qua versibus præviis locutus est. Ibi de spirituali; ergo & in sequenti sermone. Resp. Cavillatio hæc iam sub initium convulsa fuit, dum illud caput delineavi in partes tres. Sola capitis lectio nugacem esse oppositionem evincit.

IX. Opponunt 2. Christus *cit. cap.* inquit: *Qui manducat &c. in me manet, & ego in illo*, Mansio hæc spiritualis, non corporalis est; ergo & manducatio. Resp. Manet Christus in suscipiente & corporaliter, & spiritualiter. Ergo oppositio vana est.

X. Opponunt 3. Christus Capharnaitis opponentibus: *Quomodo potest nobis carnem suam dare ad manducandum?* respondit: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam.* Iure a Capharnaitis suppetias quærunt Calviniani; cum non sint illis minus carnales, & in hac controversia crassiores. Sed obiectiunculam iam ab Augustino *tr.* XXVII. in hunc locum convulsam legimus. *O Domine, Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam? cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam &c.* Caro non prodest quidquam, *quomodo illi intellexerunt* (& intelligunt Capharnao-Calvinistæ.) *Quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur. non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est*, Caro non prodest quidquam, *quomodo dictum est*, Scientia inflat. *Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est*, Scientia inflat? *Sola sine caritate: ideo adiunxit*, Caritas ædificat. *Adde ergo scientiæ caritatem, & utilis erit scientia, non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc* caro non prodest quidquam, *sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret.* Calvinianis inflatis, tumentibus, æfluantibus adversus universam Ecclesiam, unde apostatarunt, caro Christi nihil prodest: quia caritate vacuis lux veritatis non splendet, utpote velo cæcitatis, & obstinationis obductis.

XI. Opponunt 4. contra secundam partem. Quod Christus dedit discipulis, fregit. Quod fregit, panis erat. Ergo non erat corpus Christi. Resp. Ex obiectione consequitur, Christum nonnisi communem panem tradidisse discipulis, quod nec Calviniani concedunt. Fregit species, seu symbola, sub quibus corpus eius continebatur. *Nulla rei fit scissura: signi tantum fit fractura: qua nec status, nec statura signati minuitur.*

XII. Opponunt 5. Eo modo accipi debent hæc verba, *Hoc est corpus meum*, quo accipiuntur sequentia, *Quod pro vobis datur*, seu, ut in textu Græco legitur, *quod pro vobis frangitur*. Hæc autem nonnisi figurate accipi valent. Ergo & prima. Resp. Hoc est purum putumque sophisma. Non frangitur nisi metaphorice: ergo non est corpus nisi metaphorice? Fallaciam hanc *accidentis* Dialectici vocant, sicuti dum inquiunt: Homo iratus est leo: non est leo, nisi metaphorice: ergo non est homo, nisi metaphorice. Argutationes istæ Sophistis, non Theologis congruunt, & præsertim in arcana re tractanda.

XIII. Insistunt. In hac propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* panem, quem Christus tenebat, demonstrat. Sed panis nequit dici Christi corpus, nisi per figuram. Vel enim pronomen *hoc* nihil demonstrat, vel panem demonstrat. Nihil pronomen *hoc* demonstrare, dici non potest. Neque adfirmari valet, eo pronomine demonstrari panis species: quia istæ non sunt corpus Christi. Quid ergo demonstrat. Corpus Christi? Adfirmari nequit. Quoniam pronuntiato hoc pronomine, nondum est corpus Christi. Propositio quippe ista, *Hoc est corpus meum*, speculativa non est, sed practica, quæ id efficit quod significat. Sed pronuntiatio solius pronominis non efficit Christi corpus. Ergo pronomen *hoc* significare nequit corpus Christi. Reliquum ergo est ut panem signifiet.

XIV. Mirum est has dialecticas tricas in scenam reduci a Calvinianis Sophistis, quas Theologi scholastici a pluribus iam sæculis & severius dispexerunt, & penitus profligarunt. Si Moyses virgam in serpentem convertens dixisset: *Hic est serpens.* Si Deus uxorem Loth in statuam salis, & Christus aquam in vinum immutans dixissent: *Hoc est sal: hoc est vinum.* Quid pronomen *hoc* in his propositionibus perhibuisset? Quid reponunt rabulæ acuti? S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVIII. integro *art.* 5. vim istius pronominis *hoc* in forma eucharistica discutit: nihilque opponunt novi Sophistæ quod non fuerit ab ipso & enucleatum, & profligatum. Innumeras difficultates, & subtiles argutationes, quæ congeri solent, prætereo, & paucis dico, ineptissimos esse cavillatores tum Sacramentarios, tum Calvinianos, dum pronomen *hoc* in primo propositionis instanti pronuntiatum obtundunt. Pronomen enim avulsum, & separatum a propositione sua nihil determinate significat. Pronomen autem in hac propositione pronuntiata, & completa determinate corpus Christi suo sacris symbolis contentum demonstrat. Quoniam omnia præfata verba simul accepta id efficiunt quod significant. Si unum ab alio avellas, tum significatio, tum efficientia destruitur. Tota ergo & completa oratio spectari debet: & in hac completa propositione pronomen *hoc* corpus Christi, ut dixi, demonstrat. Hac simplici & naturali interpretatione evanescunt omnes dialecticæ tricæ, & innumera sophismata quæ multiplicari super hoc pronomine solent. Si plura tamen cupis, consule S. Thomam *loc. cit.* ubi omnia subtiliter æque ac solide discutit, exponitque.

XV. Opponunt 6. In hac propositione, *Hoc est corpus meum*, verbum *est* usurpatur in Scriptura sancta pro *significat*; ut pluribus eiusdem Scripturæ testimoniis constat tum ex veteri, tum ex novo testamento. Nam *Gen.* XVII. circumcisio vocatur fœdus, idest *signum fœderis*: & *cap.* XLI. dicitur: *Septem speciæ plenæ septem ubertatis anni sunt*, idest *significant*. Item Matth. XIII. *Ager autem est mun-*

mundus. Rursus Ioan. x. *Ego sum ostium*; & cap. xv. *Ego sum vitis vera*. Et tandem I. Cor. x. *Petra autem erat Christus*, idest *significabat* Christum. Resp. Hæc ipsa sophismata quæ Sacramentarii, & Calviniani fuso calamo opponunt, desperatam evincunt illorum caussam. Quæ enim ineptior argutandi forma? Verbum *est* in quibusdam Scripturæ divinæ testimoniis loco *significat* usurpatur. Ergo etiam in hac propositione, *Hoc est corpus meum*? Si argutatio valeret; legitime inferre Ariani, & Sociniani possent: in hac propositione, *Verbum caro factum est*, hoc verbum *est* idem valet ac *significat*: quia sic usurpatur in pluribus Scripturæ locis. In omnibus quæ opponuntur testimoniis, ex subiecta materia, ex adiectis circumstantiis, ex verbis ipsis quæ antecedunt, & subsequuntur, germanus sensus verbi *est* obvius apparet. *Gen.* XVII. circumcisio vocatur *fœdus*, quia reipsa ibidem *vers.* 10. asseritur: *ut sit signum fœderis inter me & vos*. Similiter *cap.* XLI. manifeste patet Ioseph verbum *sunt* accepisse pro significant. Nam Pharao interrogabat quid suum somnium portenderet, quid significaret: & iuxta interrogationem factam Ioseph respondit, septem boves pulchras, & septem spicas plenas septem ubertatis annos *esse*, idest significare. *Matth.* XIII. parabola proponitur. Parabola autem natura sua figurata est. Parabolam ne Christus proposuit, cum Eucharistiam instituit? Quis animo non concipit, figuratam esse Christi locutionem, cum dicit Ioan. x. & xv. *Ego sum ostium*: *Ego sum vitis*? In his, & similibus propositionibus metaphora aperta est, eamque ibidem Christus explicat. Verba Apostoli, & sine, & cum figura intelligi possunt. Si de spiritali petra sermo fit, verbum *est* figuram nullam continet; si petra materialis intelligatur, sensu mystico Christum petram spiritualem repræsentat: & tunc verbum *est* figuram prodit, sed obviam, & cuique manifestam ex circumstantiis sacri textus. Apostolus enim ibi Corinthios instruit, quomodo Israelitis *omnia in figura contingebant*. Iam illis baptisma Christi figuris maris, & nubis in veteri testamento adumbratum ostenderat: manna, & aquam e petra manantem repræsentaverat; immo petram ipsam, unde aquæ scaturierant, spiritalem manifestaverat. Ergo ex sermonis serie plane intelligitur, petram esse signum, & figuram Christi, quin opus fuerit ut id Apostolus explicaret.

XVI. Plura alia obtrudunt Sacramentarii, & Calviniani, quæ obvia sunt, & penitus convulsa a Theologis nostris, a Ven. Bellarmino, a Petronio, a Contensonio, a Natali Alexandro, a Turnely, & ab aliis permultis. Idcirco eadem prætereo, cum instituti mei ratio eo tantum pertineat, ut lectori meo præcipua dumtaxat dogmatum nostrorum capita exponam, eumque doctrinam catholicam doceam, missis innumeris novatorum tricis & cavillationibus, quæ caussam implicant, & obscurant. Illorum argutationes omnes lubet ipsius Calvini verbis, quæ luculentissima dominica verba ex eiusdem sacrilego ore extorserunt, convellere. Inquit ergo hæresiarcha iste Lib. IV. Institut. cap. XVII. §. 10. *Meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, & quam stultum sit eius immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides*. Et denuo §. 32. subdit: *Porro de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum quam ut vel ingenio meo comprehendi, vel enarrari verbis queat: atque, ut apertius dicam, experior magis quam intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquiescere tuto licet, hic sine controversia amplector. Pronuntiat ille, carnem suam esse animæ meæ cibum, sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meam pascendam offero in sacra sua cœna. Iubet me sub symbolis panis & vini corpus & sanguinem suum sumere, manducare, ac bibere. Nihil dubito, quin & ipse VERE porrigat, & ego recipiam*. Non igitur sola sacra symbola panis & vini, sed carnem & sanguinem Christi sub sacris symbolis contenta sumis, manducas, & bibis. Modum vero ineffabilem quo corpus, & sanguis Christi sub sacris symbolis continentur, te ignorare sine pudore iure fateris. Nihil opportunius in veritatis catholicæ confirmationem pronuntiare ille poterat: nisi postea manifestis blasphemiis, quæ se non intelligere fatetur, impetere audacissime ausus fuisset. Ut a Lutheranis gratiam iniret, & Sacramentarios non contristaret, mediam tenere studuit viam. Sed cum non posset eosdem ad concordiam revocare, omnes errabundos, & criminosos declaravit. Ad perpetuum novatorum pudorem, confusionemque, interest referre dissidia quibus Lutherani, Sacramentarii, & Calviniani semetipsos discerpunt, quod proprio ingenio metiri, suisque argutationibus exponere tantum arcanum audeant. Verba sola transcribo quæ Calvinus habet sub finem *opusculi de cœna Domini*: inquit enim: *Suborti sunt Zuinglius & OEcolampadius*, *qui*

qui ... quam præsentiam Christi in cœna credere debeamus ..... dicere omittebant. Adeo ut Lutherus eos nihil præter signa nuda, & spiritualis substantiæ vacua relinquere velle existimaret. Ideo cœpit palam obsistere; ita ut pro hæreticis habendos denuntiaret. Ex quo semel efferbuit contentio, sic temporis progressu adaucta, & inflammata est, ut acerbius æquo exagitata sit per annos plus minus quindecim, quibus interim, neutri alteros æquo animo & placido audire sustinebant. Nam etsi semel contulerunt inter se, tanta tamen animorum alienatio erat, ut re infecta discesserint. Cum etiam ad concordiam aliquam accedere debuissent, magis ac magis regressi sunt, nihil magis spectantes quam ut opinionem suam tuerentur, & contrariam refutarent. Habemus itaque, qua re impegerit Lutherus, in quam etiam OEcolampadius, & Zuinglius. Lutheri partes erant ab initio admonere, non esse propositi sui præsentiam localem talem statuere, qualem Papistæ somniant ..... Denique ex quo mota est contentio, ipse modum excessit tum in declaranda opinione sua, tum in aliis nimia acerbitate vituperandis. Cum enim ita debuisset explicare, ut sententia eius recipi posset; pro solita vehementia sua, ut contraria asserentes impugnaret, hyperbolicis loquendi formis utebatur &c. Alii etiam offenderunt .... dum nimis studiose, ac diligenter in hoc toti incumbebant ut assererent panem & vinum, corpus & sanguinem Christi vocari, quod ipsorum signa sint: non cogitarunt sibi hoc interea simul agendum, ut adiungerent signa esse, ut nihilominus veritas cum eis coniuncta sit ..... Utrique profecto in culpa fuerunt, dum se se mutuo audire non sustinuerunt.

XVII. Hæc intestina bella & clades quibus mutuo se discerpunt, lacerant, & iugulant novatores nostri, illorum ora perpetuo obstruere silentio deberent, vultusque æterna ignominia suffundere. Realem præsentiam defendit Lutherus, & pro hæreticis habet Zuinglianos, OEcolampadianos, figuratam dumtaxat præsentiam propugnantes. Sedere inter has turbas iudex Calvinus ambit, & sedare cum nequeat belligerantes, turbas omnes errantes pronuntiat. Realem præsentiam Lutheranorum reiicit. Zuinglianorum signa vacua, quæ portendunt, non continent Christi corpus, execratur. Quid ipse defendit? Signa vacua non sunt? Ergo vere continent, & non figurate significant corpus Christi. Adest ergo præsentia realis in Eucharistia? Adfirmat, & negat, distinguit, & involvit: & dum tribunal erigit, ut lites dirimat, novas suscitat, omnia perturbat; & dum Zuingliani, & Lutherani mutuo præliantur, Calvinus & secum, & contra omnes pugnat. Tanta dissidiorum, & tenebrarum caligine Deus operuit novatorum mentes. Si hoc augustissimum sacramentum humani ingenii aciem fugit, fatente Calvino ipso; quid miseri homines cervices erigunt adversus universam Ecclesiam? Quid dominica verba vanis commentis cavillantur, & andabatarum more invicem digladiantur? Ex quo ab Ecclesia, in qua regeniti fuere, desciverunt, in plurimas seiuncti sectas, nullibi pedem figunt, nisi in furore & odio contra matrem quæ eos regenuit. Opportune illos depingit Irenæus Lib. IV. advers. hæres. cap. xxxv. *Coguntur hi tales semper typos typorum, & imagines imaginum adinvenire, & numquam figere animum suum in uno & vero Deo*. Si ad punctum temporis rationem induere novatores, positis præiudiciis, & odio adversus Ecclesiam Romano-catholicam, vellent, exploratum haberent, partes litigantes iudicis personam sustinere haud posse in hac dirimenda controversia; sed vivo iudice opus esse. Ad hunc ergo iudicem, nempe ad perpetuam Ecclesiæ traditionem, ad unanimem Patrum consensum, confugiendum est. Ad hunc iudicem Sacramentarios, & Calvinianos vocamus.

§. II.

Realis, & substantialis præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia ex perpetua & constanti Patrum, & Conciliorum traditione demonstratur.

I. S. Ignatius martyr epistola genuina ad Smyrnæos scribit: *Hæretici ab Eucharistia, & oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est*. Hæretici isti Simoniani erant, & Menandriani, qui sicuti veram in Christo carnem non admittebant; ita in Eucharistia veram Christi carnem negabant.

II. S. Iustinus martyr. apol. II. *Quemadmodum per verbum Dei homo factus Iesus Christus Salvator noster & carnem, & sanguinem salutis nostræ caussa habuit; ita etiam eam, in qua per preces verbi eius ab ipso profecti, gratiæ sunt actæ, alimoniam incarnati illius Iesu carnem, & sanguinem esse edocti sumus*. Eo modo, inquit S. Martyr, per verba dominica Eucharistia fit caro, & sanguis Christi, quo modo per incarnationem Verbi Christus carnem, & sanguinem sumpsit. Nullum hic figuræ, & metaphoræ effugium.

III.

III. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus, & martyr, discipulus S. Polycarpi, qui præceptorem habuit S. Ioannem Evangelistam, *Lib. IV. cap.* XXXII. ait: *Panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, & calicem sanguinis eius . . . . . Quemadmodum qui est de terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cælesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia*. Item Lib. V. cap. II. *Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi*.

IV. Tertullianus *Lib. de resurrect. carn. cap.* VIII. hæc habet. *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur . . . . . caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur*. Eo modo caro vescitur corpore, & sanguine Christi, quo abluitur, & ungitur. Non abluitur, nec ungitur in figura: ergo nec vescitur in figura. Præterea *Lib. IV. cap.* XL. contra Marcionem hæc scribit. *Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit*; Hoc est corpus meum, *dicendo, idest figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus*. Hoc testimonio abutuntur Calviniani, ut suum confirment errorem. Sed, ut advertit Contensonius, & post ipsum Habert, Turnely, Druin, & alii, nimis peregrinos in hac propositione intelligenda se produnt. Sensus legitimus germanusque propositionis hic est. *Hoc, idest panis, qui olim erat figura corporis mei, est corpus meum*. Familiares sunt Tertulliano eiusmodi transpositiones. In *Lib. cont. Praxeam cap.* XXIX. inquit: *Christus mortuus est, idest unctus*. Numquid acuti Calvinistæ *Tò unctus* effutient pertinere ad prædicatum *mortuus* & non ad subiectum *Christus*? Nunquid dicent, Tertullianum Christi *mortem* pro *unctione* accepisse? Sic ergo intelligenda est propositio: *Christus, idest unctus, mortuus est*. In hoc ipso *Lib. cont. Marcionem* citans *Psalm.* LXXVII. verba, *Aperiam in parabolis os meum*, hæc subiicit. *Aperiam in parabolis os meum, idest similitudinem*. Hæc vox *similitudinem* subiectum afficit, nempe *parabolam*, non prædicatum, seu *os meum*. Neque eiusmodi translatæ locutiones Tertulliano tantum, sed Patribus quoque aliis familiares sunt. Pluribus evincunt citati Theologi, hanc esse Tertulliani mentem, quæ ego brevitatis caussa missa facio.

V. S. Cyprianus *epist.* LIV. ad Cornelium: *Quomodo enim docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegemus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus*? Vana esset ratiocinatio Cypriani, si in figura dumtaxat sanguinis Christi poculum sumendum suasisset. Nam reposuissent sancti Confessores, in figura se profusuros proprium sanguinem; quemadmodum in figura Christi sanguinem potare solent.

VI. S. Cyrillus Hierosolymitanus *cateches.* IV. hæc ad baptizatos scribit. *Ne consideres umquam panem nudum, & vinum nudum. Corpus enim est, & sanguis Christi secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices; quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus, & sanguinem*. Non sensus hic audiendi, sed una fides consulenda, inquit S. Pater.

VII. S. Ambrosius *Lib. IV. de sacram. cap.* I. inquit: *Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus*. Si Calviniani Christum dicere non audent in figura esse Filium Dei; neque in figura in Eucharistia nobis eum dari, iuxta Ambrosium, dicere possunt. Addit Doctor sanctus *cap.* IV. hæc quæ sequuntur. *Tu forte dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi . . . . Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur . . . . Ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur Christi sermonibus. Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum*.

VIII. S. Gregorius Nyssenus, S. Basilii frater *oration. catech. cap.* XXXVII. *docet. Recte Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus transmutari credo . . . . . Et hic similiter panis, sicut ait Apostolus, sanctificatur per verbum Dei, & orationem, non eo quidem quod cibo mediante in Verbi corpus evadat; sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo; Hoc est corpus meum*.

IX.

IX. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* LXXXIII. *in Matth.* hæc habet. *Quis pastor umquam propriis membris oves nutrivit? Et quid dico pastores? Multæ matres sæpe aliis nutricibus infantes dederunt. Ipse vero non ita; sed ipse nos sanguine proprio nutrivit*. Rursus *hom.* XLVI. In Ioan. *Non modo secundum caritatem, sed etiam ipsa re unum corpus cum Christo efficimur . . . . . Id quippe fit per cibum quem largitus est . . . . Ardenter amantium hoc est. Hoc Iob significat de servis, qui suum amorem præferentes, dicebant*. Quis det de carnibus eius, ut saturemur? . . . . *Elias melotem discipulis reliquit; Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit: sed Elias quidem exutus: Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Illud enim corpus est, Iuda, quod triginta denariis vendidisti; id quod est in calice, est id quod fluxit ex latere, & illius sumus participes. Quid est hoc horribilius? Quid autem amabilius*? Exscribendæ integræ homiliæ huius S. Doctoris essent ad confundendam novatorum audaciam. Neque enim in præsentia Catholici luculentius adversus Sacramentarios, Calvinianosque realem Christi præsentiam in Eucharistia exprimunt quam Chrysostomus ipse.

X. S. Augustini testimonium supra retuli, & nunc aliud ex *Lib. II. cap.* IX. contr. adversarium legis & Prophetarum. *Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus. Quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, & humanum sanguinem potare quam fundere*.

XI. Calvinus *Lib. IV. Institut. cap.* XVII. §. 28. blaterat. *Contentus ero paucis ostendere sine controversia* (Augustinum) *totum esse nostrum*. Hæresiarchæ incredibilem impudentiam, & mentiendi frontem fregerunt Theologorum nostrorum plures, perspicuis Augustini testimoniis adductis. Consule Vincentium Contensonium *loc. cit.* ubi adductis Augustini testimoniis mendacem Calvinum ostendit.

XII. S. Leo *ser.* VI. *de ieiunio* hæc scribit. *Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis, & sanguinis Domini ambigatis: hoc enim ore sumitur quod corde creditur: & frustra ab illis respondetur a quibus contra id quod accipimus, disputatur*.

XIII. S. Gregorius Magnus *homil.* XXII. *in Evangel.* sic loquitur. *Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quemodo non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Quid enim prodest corpus, & sanguinem illius ore percipere, & ei perversis moribus contraire*?

XIV. Anastasius Sinaita in *Odigo*, seu vitæ duce, Eutychianum sic respondentem *cap.* XXIII. inducit. *Absit ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem; sed ipsum corpus, & sanguinem Christi Filii Dei incarnati, & ex sacratissima Deipara, & semper Virgine Maria nati, vere accipimus*. Orthodoxus autem sic respondet. *Sic credimus, & confitemur . . . . Non enim dixit, Hoc est figura; sed quid vices gerens corporis & sanguinis mei*. Adeo luculenta hæc sunt, ut, cum nullo cavillo ea eludere Calviniani queant, effutiant, hoc sæculo mutatam esse Ecclesiæ fidem de Eucharistiæ sacramento. Nihil enim est tam evidens quod obcæcati, & obstinati homines obscurare non pertentent. Sed illorum ora obstruunt posteriores Patres.

XV. S. Ioannes Damascenus, qui sequenti sæculo scripsit, nempe circa annum 740. *Lib. IV. de fide c.* XIV. sic loquitur. *Quemadmodum naturaliter per comestionem transmutatur panis in corpus comedentis, & fit alterum corpus; sic propositus panis, itemque vinum, & aqua per invocationem, & adventum Spiritus sancti spiritualiter transmutantur in corpus Christi, & sanguinem. Et non sunt duo, sed unum corpus . . . . Non est panis & vinum figura Christi, & sanguinis, absit, sed corpus*.

XVI. Epiphanius Diaconus in Concilio Nicæno II. anno 787. sic Iconomachos, qui unam Christi imaginem esse retinendam contendebant, redarguit act. VI. *Non dixit Christus:* Recipite, & manducate: hoc est corpus meum? . . . . *Patet igitur nec Dominum, nec Apostolos, nec Patres vocasse imaginem Sacrificium incruentum; sed semper appellasse ipsummet corpus, ipsum sanguinem. Dona post consecrationem appellantur, sunt, & credunturproprie corpus, & sanguis . . . . Sed Iconoclastæ, dum volunt nobis auferre usum sacrarum imaginum, aliam introduxerunt, quæ non est imago, sed corpus, & sanguis. Postea tamen mendacium deserentes, ad veritatem redeunt, dicendo, hanc imaginem fieri divinum corpus. Sed si est imago huius corporis, impossibile est esse ipsummet corpus*. Posteriores Ecclesiæ Doctores prætereo; cum omnes a nobis stare, compertum sit.

XVII. Hæc Patrum testimonia diserte explicant realem atque substantialem corporis

Christi præsentiam in Eucharistia, tamquam stupendum divinæ omnipotentiæ miraculum. Si sola esset figurata præsentia; qua ratione dici posset esse mysterium altissimum, arcanum imperscrutabile, sola fide credendum? Si Eucharistia in sola virtute & efficacitate, ut Calvinus fabulatur, sita esset; facillime ab intellectu humano perciperetur; sicut alia quæ a divina virtute pendet. Quid facilius quam suadere fidelibus, panem eucharisticum figuram esse, & merum signum corporis Christi, quemadmodum agnus paschalis figura fuit Christi? Ergo cum omnes Patres clament, Eucharistiam prodigium esse omnem humanæ mentis captum superans, portentum inauditum, & omnium mysteriorum compendium; necessario consequitur, sacra hæc symbola non esse mera signa reali præsentia vacua; sed vere & realiter sub iisdem latere verum Christi corpus, fide credendum, non sensibus & humana ratione metiendum, ut Calvinus ipse secum pugnans fatetur.

XVIII. Plura obiiciunt novatores ex Patrum testimoniis hausta; sed cum sint pura putaque sophismata, millies a Theologis nostris penitus convulsa, otio abuterer, si tempus in illorum examine tererem. Lubet potius alio ex capite dogma catholicum confirmare. Patrum sententias carpere, cavillari, in erroneos sensus detorquere obstinati hæretici valent; at facta, quæ veluti manibus tanguntur, illorum cavillationibus obnoxia non sunt.

XIX. Factum est manifestum, nempe utriusque Ecclesiæ tam Græcæ, quam Latinæ ab Apostolis ad hæc usque tempora consensus unanimis in realem & substantialem Christi præsentiam sub sacris symbolis. Factum istud adeo luculenter demonstravit Antonius Arnaldus in suo opere *de perpetuitate fidei*, ut nihil opponere umquam potuerint Calviniani Sophistæ, præter somnia, & fabulas, quas labefactarunt Renaudotius, qui opus Arnaldi auxit, Ricardus Simon in opere *de fide Ecclesiæ orientalis* circa transubstantiationem, P. Le Brun in opere, *Explicatio litteralis, historica, & dogmatica precum, & cæremoniarum Missæ* &c. In his præclaris operibus monumenta habentur nulli exceptioni subiecta, quæ universæ Ecclesiæ orientalis Græcorum, Armenorum, Maronitarum, Syrorum, Cophtorum, Iacobitarum, Nestorianorum consensionem in dogmate de reali præsentia Christi in Eucharistia luculentissime demonstrant. Quamquam præfatæ Ecclesiæ schismate divisæ sint & a Latina, & inter semetipsas, dissentiantque in aliquo fidei articulo; in dogmate tamen transubstantiationis summa concordia conveniunt. Hæc utriusque Ecclesiæ concordia inde splendidius emicat, quod nec Latini Græcis, nec Græci Latinis umquam de reali substantiali præsentia corporis Christi in Eucharistia errorem sibi mutuo exprobraverint. Legantur acta Concilii Lugdunensis an. 1274. & Florentini an. 1439. & nec leve vestigium diffidii super hoc dogmate apparebit. Quæ perpetua & unanimis utriusque Ecclesiæ consensio, innumeris, & ineluctabilibus documentis firmata, novatorum audaciam reprimit.

XX. Nulla lux adeo splendida est, cui occludere oculos non valeant cæci & obstinati homines. Fidei dogma de reali præsentia innovatum asserunt Calviniani cum Blondello circiter an. 636. per Anastasium Sinaitam: alii per Epiphanium Diaconum sæculo VIII. alii cum Ministro Claudio sæculo IX. per Paschasium Radbertum, Monasterii Corbeiensis Abbatem. Verum eiusmodi putidissimas fabellas, vix anicella dignas, penitus profligarunt Theologi catholici. Ubi primum hæresis aliqua orta in Ecclesia fuit adversus receptam fidem, continuo universa Ecclesia reclamavit; continuo excitata diffidia, iurgia, & communicatio omnis abrupta; ut constat in Arianis, Macedonianis, Nestorianis, Eutychianis, & novatoribus. Perhibeant, si valent, Calviniani monumentum aliquod quod diffidia in Ecclesia orta evincat ob innovatam de reali substantiali corporis Christi in Eucharistia præsentia fidem. Reponit Claudius, sensim sine sensu, & gradatim Paschasium Radbertum innovasse. Ita ne vero? Privilegio præditus Paschasius fuit impune, & absque strepitu evulgandi novum dogma, quo ceteri novatores caruerunt omnes? Quid quod nec Christus fundare, nec Apostoli propagare absque rumore, bello, & universi orbis commotione christianam religionem potuerunt? Solus Paschasius dogma omnium sublimissimum sensim sine sensu per universam Ecclesiam Latinam evulgare potuit, nemine reclamante? Ignorantia ne tunc dominabatur? At floruisse in qualibet natione Episcopos, & Theologos sanctitate & doctrina clarissimos, historiæ ostendunt: & Evangelia numquam Deum Ecclesiæ suæ defuturum testantur. Nonne cum sæculo XI. Berengarius oppugnare aggressus est realem præsentiam, ab universa Ecclesia tamquam hæreticus damnatus fuit? Postremum nonne Ecclesia Græca & ante, & post Paschasium eamdem semper fidem de reali præsentia professa est? Plura alia quæ de Paschasio disputari solent, prætereo, tamquam nullius momenti. Quæ Ratramnus sæculo IX. scripsit adversus Paschasium, non spectabant absolutam, & substantialem præsentiam, sed modum eiusdem. Uterque propugnabat substantialem, corporis Christi præsentiam, sed circa speciem & modum existendi alter ab altero dissidebat. Sed quid ultra canere surdis pergo? Quoniam opportune S. Augustinus *Lib. III. de doctr. christ. cap.* X. animadvertit. *Si animum præoccupavit alicuius erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.*

§. III.

De dogmate transubstantiationis adversus Lutheranos impanatores, & consubstantiatores.

I. Lutherani nobiscum hæresis postulant Calvinianos, quod negent veram, realem, & substantialem corporis Christi præsentiam in Eucharistia. Testatur Lutherus, se diu adlaborasse ut dogma realis præsentiæ de medio tolleret; sed verbis evangelicis nimis perspicuis victum non potuisse. *Vellem* (inquit epist. ad Argentinenses) *quod posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia præter panem, & vinum. Magno ille beneficio me devinciret. Iam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi. Verum ego me captum video: nulla elabendi via relicta est; textus Evangelii nimis apertus est.* Contendit vero simul cum substantia corporis Christi permanere substantiam panis. Heinc illius gregales *Impanatores*, seu *Panistæ* dicti sunt.

II. Triplex excogitari modus potest quo Christus sit in Eucharistia vere, realiter, & substantialiter præsens. Primo per *impanationem*, seu per unionem hypostaticam Verbi cum pane: quemadmodum in incarnatione per unionem hypostaticam personæ Verbi coniungitur humana caro. Secundo per *consubstantiationem*, quæ significat simultaneam existentiam panis, & corporis Christi. Tertio per *transubstantiationem*, quæ significat conversionem substantiæ panis & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi.

III. Cardinalis Bellarminus *Lib. III. de Euchar. cap.* XI. primum impanationis auctorem facit Rupertum Abbatem Tuitiensem, qui initio sæculi XII. obiit. Sed ab hoc errore Rupertum vindicat P. Gerberon, Cardinalis Gotti, & alii. Impanationis errorem plures adiudicant Berengario. Lutherus aliquando impanationem, aliquando consubstantiationem propugnavit: & transubstantiationem, ut doctrinam libere defendendam cuique, interdum reliquit; sed postea eam execratus est ut blasphemiam. Sic enim scribit contra Henricum VIII. Angliæ Regem. *Nunc transubstantiare volo sententiam meam, & dico: antea posui nihil referre, sive sic, sive sic sentias de transubstantiatione; nunc autem decerno, impium & blasphemum esse, si quis dicat panem transubstantiari.* Lutherani hodierni communiter sunt consubstantiatores, defendentes utriusque substantiæ corporis Christi, & panis simultaneam existentiam in Eucharistia. Kemnitius *in III. Part. exam. ad sess.* XIII. *cap.* IV. scribit. *Lutherus semper dixit, se in tota hac disputatione magit spectare præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna quam præsentiam panis & vini. Sed quia transubstantiatio pro articulo fidei sub pœna anathematis proponitur, necessario contradicendum est.* Doctrina transubstantiationis nihil erroris continet; defendi absolute posset. Verum quia Ecclesia illam, tamquam fidei articulum, credendam proponit; ideo, tam quam impium dogma, repellenda est, eique resistendum. Hæc novatorum indoles, & ingenium. Articulis ab Ecclesia propositis contradicendum, bellumque denuntiandum. Illud tamen in Ecclesiæ catholicæ triumphum cedit, quod novatores isti, dum contra Ecclesiam catholicam pugnant, intestino bello semetipsos dilaniant. Contemptis itaque illorum blasphemiis catholica veritas explicanda est.

IV. *In Eucharistia non remanet panis & vini substantia, sed vi consecrationis in substantiam corporis & sanguinis Christi convertitur; fideque catholica credendum est, Christum esse præsentem in Eucharistia per transubstantiationem.* Articulum hunc definivit Concilium Tridentinum, tamquam dogma in Ecclesia semper ut certum habitum. Hæc sunt Concilii *sess.* XIII. *cap.* IV. verba. *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius: quæ conversio convenienter, & proprie a sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.*

V. No-

V. Novatores, qui tot impia dogmata ab orco revocarunt, & tot novitates invexerunt, non pudet vocabuli *transubstantiationis* novitatem obtrudere; cum novitas vocabuli ad illorum labefactandos errores introducta sit; quemadmodum ad hæresim convellendam Arianorum adhibita fuit vox *consubstantialis*. Ario autem obiicienti vocis novitatem respondet S. Athanasius *Lib. de decret. Synod. Nicænæ* his verbis. *An novitate offenderis? An etiam rei ipsius veritatem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo rei veritas accessit.*

VI. Catholica veritas verbis institutionis, *Hoc est corpus meum*, demonstratur. Hæc quippe verba aut nullam inferunt mutationem, aut inducunt mutationem metaphoricam, aut realem & substantialem. Primum negant Calvinistæ, qui virtutis & efficacitatis mutationem defendunt; Lutherani reiiciunt secundum, qui realem, & substantialem Christi præsentiam agnoscunt, reiecta figurata, contra Sacramentarios, & Calvinistas. Huc itaque disputatio recidit, num hæc realis substantialis Christi præsentia excludat præsentiam substantiæ panis. Excludunt autem verba ista, *Hoc est corpus meum*. Quoniam pronomen *hoc* ad panem referri nequit; cum sit generis neutrius. Unam autem præfert substantiam. Non panis: ergo Corporis Christi. Accedit quod verba dominica vim habent efficiendi, atque inducendi, ut Lutherani ipsi fatentur, substantialem Christi præsentiam. Porro Christus non inquit, corpus suum poni aut *cum*, aut *sub pane*. Neque enim dixit: *Cum hoc, in hoc, sub hoc pane est corpus meum*: sed contra asserit: *Hoc est corpus meum*. Ergo iuxta obvium horum verborum sensum sola substantia corporis Christi significatur per istud pronomen *hoc*. Lutherus passim clamitat, iuxta nudam Grammaticæ intelligentiam accipienda esse dominica verba. Quid autem est in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, quod panem denotet?

VII. Verum quemadmodum in ceteris litibus partes vix umquam inter se conveniunt, aut una alteram vincere potest; cum nihil sit tam perspicuum & manifestum quod humani ingenii cavillationibus implicari non queat; ad iudicem confugiendum est, qui controversiam dirimat; ita & in hac disputatione iudex est seligendus. Quinam autem iudex iste? Calviniani, Zuingliani? Istorum iudicium Lutherani, non secus ac Catholici, repudiant. Quid quod Calvinus in *opusc. de refut. consensus Orthodoxorum* doctrinam Catholicorum præfert Lutheranorum opinioni? *De Papistis non loquor, quorum tolerabilior, vel saltem magis verecunda est doctrina .... Si opinio ex his duabus eligenda esset, mallem nos præsentiam Christi sub speciebus, & accidentibus credere, quam cum Zuingliani veram, & realem præsentiam, contra tam aperta Christi verba, negare.* Fatentibus Luthero, & Calvino, tam luculenta sunt Christi verba, ut Lutherus cum Catholicis ex una parte admittat realem, & substantialem præsentiam; & Calvinus meram præsentiam figuratam Sacramentariorum reiiciat. Illud ergo est reliquum, ut quid maiores nostri, quid Ecclesia ante exortas hæreses Lutheranorum, & Calvinistarum definierit in hac caussa, in medium proferamus.

VIII. Porro Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. an. 1215. tribus sæculis ante novatores, cap. *Firmiter* hæc definivit. *Credimus, ac confitemur, & corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina*. Rursus Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* IV. *can.* II. diserte, antiquorum doctrina præmissa, definit: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi; negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; anathema sit.*

IX. Patres, quorum testimonia supra rescripta sunt, etsi voce transubstantiationis non utantur, verba tamen adhibent quæ evidenter illam significant. S. Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* IV. inquit: *Aquam Christus mutavit in vinum: & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem suum trasmutavit?* S. Ambrosius *Lib. de initiandis cap.* IX. sic loquitur. *Qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erat? Non enim est minus novis rebus dare quam mutare naturas*. S. Gregorius Nyssenus orat. catechet. cap. XXXVII. *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est corpus meum*. Prætereo alios Patres, Ignatium, Irenæum, Iustinum, Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Chrysostomum,

stomum, qui omnes asserunt, panem eucharisticum non esse panem communem, sed esse Christi corpus verum, proprium, naturale, quale natum est ex B. Virgine, cruci affixum, & mortuum. Omnes adfirmant, panem hunc transmutari in corpus Christi: quæ sane transmutatio non fit in accidentibus, seu speciebus panis: ergo in ipsa substantia. Si substantia panis remaneret, qui dici posset, panem hunc transmutari in Christi corpus?

X. S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXV. *art.* 2. evincit hanc transubstantiationem hoc pacto. Corpus Christi in Eucharistia nequit esse præsens per motum localem: quia quod per eiusmodi motum novam acquirit præsentiam, deserit terminum a quo recedit, seu priorem locum, ut novum occupet. Corpus autem Christi cælum non deserit. Neque fit præsens per creationem, ut patet. Consequitur ergo fieri præsens per conversionem substantiæ panis in ipsum. *Quidam*, inquit, *posuerunt, post consecrationem substantiam panis & vini in hoc sacramento remanere*. En Lutheranorum errorem. *Sed hæc positio* (pergit Angelicus) *stare non potest.... Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione non manet. Unde relinquitur quod, salva veritate huius sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit*. Vide plura ibi.

XI. Obiiciunt I. Ex divinis Scripturis eruitur, in Eucharistia panis substantiam remanere. Nam de Eucharistia a S. Paulo *I. Cor.* X. dicitur: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Et *Ioan.* VI. Christus dicit: *Ego sum panis*. Rursus consistit veritas huius propositionis, *Verbum caro factum est*, per unionem naturæ humanæ cum Verbo. Ergo salvatur veritas istius: *Hoc est corpus meum*, per coniunctionem utriusque substantiæ corporis, & panis. Præterea de ferro ignito vere dicimus, *Hic est ignis*; & de dolio vino pleno, *Hoc est vinum*, nulla substantiæ mutatione facta. Resp. Panis Eucharistia post consecrationem vocatur, quia ex pane facta est; quemadmodum homo pulvis nuncupatur, quia ex terra factus fuit. Mos iste frequens in Scripturis est, res nomine aliarum rerum, unde profectæ sunt, appellare. Panis etiam appellatur, peracta consecratione, Eucharistia: quia accidentia seu species panis remanent. Angeli ab Abraham visi viri appellati sunt, quod hominum speciem præferrent. *Verbum caro factum est*: in hac propositione Verbum locum tenet subiecti: ideo ipsum Verbum factum est caro, assumptione humanitatis in Deum. Ut argumentatio quidquam evinceret, deberet quoque altera propositio sic formari: *Corpus meum factum est panis*. At non sic Christus dixit, sed *hoc est corpus meum*. In hac autem propositione nec panem nominavit, ut significaret, hoc esse suum corpus. Exempla adducta inepta omnino sunt. Nam planum est homines in communi sermone uti figura *Synecdoche*, & partem usurpare pro toto; & id quod continet, pro re contenta. Nullo autem sermonis usu hæc vox *corpus* denotat aut partem panis, aut accidens inhærens pani.

XII. Obiiciunt 2. Catholicorum plures negant ex divinis Scripturis evinci transubstantiationem posse, ut Scotus, Ochamus, Paludanus. Immo Durandus solam formam, secus materiam panis converti in corpus Christi docet. Ergo verba dominica non sunt ita aperta, ut transubstantiationem inferant. Resp. Ad Durandum quod attinet, illum erraſſe dicimus, suoque sensui indulsisse. Ceteri, qui opponuntur, Theologi asserunt non ita aperta & luculenta esse Scripturæ testimonia, ut Ecclesiæ iudicio, & auctoritate sublata, non possint a pervicacibus hominibus cavillationibus circumveniri. Et quam sit istorum interpretatio vera, facto comprobant Lutherani, Zuingliani, Calviniani, qui omnes pro ingenio in pravos, oppositosque sensus præfata verba detorquent. Verum non de commentis quæ fingere homines valent, sed de sensu obvio & naturali quem verba dominica præferunt, disputatur in præsentia. Porro verba præfata natura sua transmutationem produnt substantiæ panis in corpus Christi, solumque Christi corpus sub sacris symbolis extare perspicue demonstrant; ut Patrum testimoniis, & ratione S. Thomæ ostensum est. Non est ergo quod unius, aut alterius Theologi aberrationes nobis obtrudant Lutherani, quibus nos potiori iure opponimus, quod celebris Calvinista Claudius Salmasius scribit adversus Grotium: *Si ad litteram accipiantur verba Christi, ut debere accipi contendunt doctissimi Lutherani Theologi, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent quam Lutheranæ. Dixit Christus*, Hoc est corpus meum, *cum panem traderet. Ergo non amplius panis est, sed corpus Christi, ut ille qui veritas est, affirmavit*. Quid quod Calvinus ipse Catholicis magis favere verba Christi testatur quam Lutheranis?

XIII. Opponunt 3. S. Ioannem Chrysostomum epistola ad Cæsarium Monachum adversus

versus Apollinarium, seu Synousiastas, qui blasphemabant admiranda commixtione unam factam fuisse in Christo naturam, ex divina & humana conflatam: quam hæresim ut convelleret Chrysostomus, evincit naturam humanam integram mansisse post unionem in Christo; quemadmodum in Eucharistia post consecrationem cum corpore Christi manet natura panis. Hæc sunt illius verba. *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit; & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicatur: sic & hic divina inundante natura, corporis naturam unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt.* Eodem ergo modo remanere panis naturam in Eucharistia post consecrationem docet Chrysostomus, quo manet natura humana post unionem hypostaticam in Christo. Integra, & inconfusa manet natura humana post unionem hypostaticam cum divinitate. Ergo &c.

XIV. Resp. Fabulas, supra quam dici potest, putidas evulgarunt novatores, præsertim Basnagius de hac epistola existente in Bibliotheca Dominicanorum S. Marci Florentiæ. Alii laceratam iussu Magni Ducis Hetruriæ blaterant: alii asconditam, & publicæ notitiæ subductam, neminique visendam exhiberi, garriunt; ac si in eadem epistola peremptoria catholici dogmatis condemnatio extaret. Nihil curant novatores nostri sese deridendos propinare, quoties occasio calumniandi, & affingendi Catholicis imposturas solo odio partas occurrit. Epistola extat in præfata bibliotheca, & omnibus qui illuc accedunt, eadem legendi gratia liberalissime traditur. Plures contendunt, apochrypham esse epistolam hanc. Cl. Turnely *de sacr. Euch. quæst.* III. *art.* 3. ut infirmas reiicit suppositionis coniecturas. Quoniam, inquit, deest textus originalis græcus, & versio latina inconcinna est & barbara, quæ græci sermonis nitorem, & elegantiam non præfert. Sed hæc ratio suppositionis notas firmas, non infirmas, evincit. Qui solidas coniecturas quæ suppositiam ostendunt epistolam istam, desiderat, consulat P. Michaelem Lequien *differt.* III. in opera S. Ioannis Damasceni.

XV. Ceterum, ut Lutherani intelligant quam sint in SS. Patrum intelligentia obcæcati, ab illis percontamur, num doctrina & mens cuiusque Scriptoris colligenda sit ex aliquo scripto in quo præter institutum, & obiter de re controversa agit Auctor, iis locis neglectis in quibus data opera rem discutit, versat, & enucleat? S. Ioannes Chrysostomus pluribus in locis Eucharistiæ argumentum dispicit. Nemo SS. Patrum fusius & luculentius illo transmutationem panis in corpus Christi edisserit: & his omnibus neglectis, boni Lutherani epistolam ad Cæsarium Monachum obtrudunt? Si Catholici hanc illis epistolam opponerent, perstreperent, & clamoribus percellerent, quod documentum suppositititium & confictum in medium adducere non erubescant, cuius non extat textus originalis græcus, cuius versio sua inconcinnitate, & barbarie fictionem prodit. Nos vero ut germanum Chrysostomi fetum hanc epistolam suscipere volumus. Quid heinc emolumenti percipient Lutherani? Naturam panis remanere post consecrationem ille docet. Quid naturæ nomine intelligit ille? Accidentia, proprietatum complexionem, minime substantiam ipsius panis. Quam interpretationem ut evincam, non ex aliis Chrysostomi locis, in quibus apertissime docet, substantiam panis transmutari in substantiam corporis Christi, argumenta repetam; sed ex ipsa epistola invictam rationem colligo. Ibi Chrysostomus, *non duo corpora, sed unum corpus Filii Dei* extare testatur. Si substantia panis revera maneret simul cum substantia corporis Christi; iam duo essent corpora, non unum. Ergo ut hæc doctrina Chrysostomi de uno corpore consistat, necessario dicendum est, nomine naturæ ipsum intelligere accidentia, & proprietates sensibiles, quæ panis substantiam consequuntur. Hæc intelligentia tum Græcis, tum Latinis Scriptoribus communissima est. Nos ipsi post consecrationem Eucharistiam *panem eucharisticum* appellamus. Hanc interpretationem opportune confirmat Tertullianus *Lib. de anim. cap.* XXXII. inquiens, *aliud esse substantiam, aliud naturam substantiæ. Siquidem substantia propria est rei cuiusque; natura vero potest esse communis. V. g. substantia est lapis, ferrum &c. duritia lapidis, & ferri est natura substantiæ: duritia communicat; substantia discordat.* Nonne evidens est hic Tertullianum *naturæ* nomine intelligere proprietates rei, qualis est durities in lapide, in ferro? Similiter Theodoretus *dialogo* II. qui inscribitur *Inconfusus*, loquens de corpore Christi, quale de sepulcro surrexit, ait, *illud priorem suam retinere formam, figuram, circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis essentiam*: ubi nomi-

nomine essentiæ proprietatum complexionem intelligit. Tandem si Chrysostomus intellexisset remanere *substantiam panis*, suam, & Catholicorum adversus Apollinaristas caussam prodidisset, non propugnasset. Intulissent quippe hæretici illi, Christum non esse unam personam, sicut non sunt *corpus unum* caro eius, & substantia panis. Accedit quod similitudines, & exempla non semper omnino, & undique rei conveniant cui applicantur. Si evidentius assequi Lutherani cupiunt Chrysostomi mentem, legant *homil.* LXXXIII. in Matth. ubi disertissime docet, panem vi consecrationis transmutari in corpus Christi.

XVI. Insistunt Lutherani. Gelasius Papa *Lib. de duabus naturis in Christo* expresse asserit, substantiam panis & vini in Eucharistia remanere. *Et tamen*, inquit, *esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini.* Resp. Baronius ad an. 496. Melchior Cano *Lib. VI. cap. ult.* negant opus istud esse Gelasii. Sed, eo admisso, dicimus nomine substantiæ Gelasium intellexisse id quod posterioribus sæculis nomine specierum, & accidentium intelligitur. Scopus Gelasii eo tendebat ut Euthychianis ostenderet, duas in Christo esse naturas, divinam, & humanam, realiter distinctas; quemadmodum Eucharistia corpore Christi, & proprietatibus panis constat. Nam ibidem Gelasius, de pane eucharistico loquens, docet, quod *in divinam transit, Spiritu sancto perficiente, substantiam, permanente tamen in suæ proprietate naturæ*. Permanent naturæ proprietates, sapor, quantitas, & cetera eiusmodi: sed panis substantia in substantiam corporis Christi transmutatur. Distinctio naturæ, & accidentium, seu specierum non obtinebat tunc, sicuti posteriore tempore: idcirco non raro Patres pro accidentibus, seu speciebus & proprietatibus, quæ naturam consequuntur, ipsam naturam accipiebant.

XVII. Aliorum Patrum testimonia opponere solent; sed cum nullius momenti sint, illa prætereo. Illud interim dico, quod mirari satis non possum novatores istos, Patrum auctoritatem opponentes; cum nihil ipsi tam flocci faciant quam sanctorum Patrum traditionem. Cum ad hanc nos appellamus, quasi deridemur ab ipsis, & Scripturarum textus postulant. Cum undique & Scripturis divinis, & Patrum testimoniis sese pressos sentiunt; tum venari aliquod in Patribus præsidium, cavillari illorum verba, circumvenire sententias, adulterare illorum doctrinam versuta arte, & incredibili temeritate nituntur. Sed alias obiectiunculas diluamus.

XVIII. Opponunt 4. Accidentia sunt signa quæ adesse substantiam produnt. Quamobrem Christus post resurrectionem, se hominem esse patefacere volens, non phantasma, dixit Luc. XXIV. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*. Sed eucharistica accidentia evincunt, ibi panem & vinum subesse. Ergo ibi tum corporis Christi, tum panis substantia existit. Resp. Si argutatio ista consisteret, plura sequerentur absurda, quæ nec novatores ipsi deglutire possent. Omnes sensus Christum, ut personam humanam, experiebantur. Ideone persona humana in Christo? Non affirmabunt Lutherani. Angeli qui antiquis Patriarchis apparuere, humanam naturam sensibus præferebant; & tamen spiritus, non homines, erant. Christus, dum se palpandum præbuit discipulis, simul adiecit suum testimonium, confirmans verum esse quod sensibus tangebant. In Eucharistia testimonium Christi oppositum testatur, nempe sub accidentibus suum corpus latere. In rebus itaque naturalibus argumentatio facta dumtaxat concludit. Per se & naturaliter accidentia indicant, produntque ibi adesse substantiam; secus in iis quæ supernaturaliter, & per miraculum eveniunt. Nonne Lutherani ipsi fatentur, mutationem, & quidem prodigiosam, evenire in Eucharistia? An sensibus eam deprehendunt? Nonne Calvinus ipse fatetur, dementiam manifestam redolere, sacramentum istud metiri sensibus velle? Inepta ergo est Lutheranorum ratiocinatio.

XIX. Opponunt 5. Accidentia absque subiecto subsistere nequeunt. Ut verba eucharistica obvium præferrent sensum, deberent & ipsa accidentia converti in accidentia corporis Christi. Denique explicari nequit, qua actione fiat hæc transubstantiatio. Hæc, & alia eiusmodi sophismata congerunt novatores. Resp. Accidentia nequeunt subsistere absque subiecto naturaliter, verum est: supernaturaliter, negatur. Non minus ineptum est alterum quod opponunt. Accidentia enim manere Christus disposuit, quia sacris symbolis tectum præbere voluit nobis corpus suum. Pronomen autem *hoc* supponit non pro accidentibus, sed pro substantia sub illis contenta. Actionem qua hæc transubstantiatio fit, dicimus ingenii nostri modulum superare. Omnipotentia Dei, quæ captum nostrum fugit, hoc stupendum prodigium operatur. Modum quo id fiat, ignoramus. An exponere Lutherani valent modum

dum, quo impanatio, aut consubstantiatio peragatur? Desinant ergo garrire, & humanis cogitatiunculis tantum mysterium obnubilare.

XX. Plura alia examinanda essent; sed ea prætereo, quod, ut dixi, eo dumtaxat pertineat oratio mea, ut præcipua catholicæ doctrinæ capita lectoribus meis exponam, quantum sat est ad mores instituendos, & fidem firmandam. Christianæ enim morum Theologiæ interpres non minus dogmata quam præcepta sobrie, & definitis terminis exponere debet.

§. IV.

Nonnullæ quæstiunculæ Eucharistiam spectantes resolvuntur.

I. EX innumeris quæstionibus quæ tractantur tum a Theologis, tum a Casuistis, præcipuas, & scitu necessarias resolvam, iis neglectis quæ curiositatem magis, & disputandi libidinem redolent quam scientiæ commodum.

II. Quæst. I. *An totus Christus sit in hoc sacramento?* Resp. Fide catholica credendum est, totum Christum esse in hoc sacramento. Animadvertendum tamen, duplici modo Christum in hoc sacramento esse, inquit S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVI. *art.* 1. nempe & vi verborum, & vi naturalis concomitantiæ. Vi horum verborum, *Hoc est corpus meum*, directe ponitur corpus Christi. Per hæc alia verba, *Hic est sanguis meus*, directe ponitur sanguis Christi. Vi concomitantiæ ea omnia ponuntur quæ corpori unita sunt. Et quia corpus sanguini, animæ, & divinitati unitum est; immo corpus ipsum subsistit per subsistentiam Verbi: ideo ubi est corpus Christi, cum eodem hæc omnia sunt. Igitur per concomitantiam anima, subsistentia Verbi, divinitas speciali modo in hoc Eucharistiæ sacramento sunt. Hanc catholicam doctrinam explicat Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* III. his verbis. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis, & vini specie una cum ipsius anima, & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypostaticam unionem.*

III. Sub qualibet ergo specie sacramenti totus Christus existit, ut optime explicat S. Thomas *loc. cit. art.* 2. sub specie panis vi verborum est corpus, & sanguis per concomitantiam: e contrario sub speciebus vini vi verborum est sanguis, & vi concomitantiæ corpus: & sub qualibet specie anima, & divinitas per concomitantiam existunt. Advertit ibidem Angelicus, quod si in triduo mortis Christi celebratum hoc sacramentum fuisset, sub speciebus panis fuisset tantum corpus sine sanguine, & sub speciebus vini dumtaxat sanguis sine corpore: quia tunc separata hæc duo fuerant. At cum post resurrectionem unita semper sint, ideo ubi ponitur unum, vi naturalis connexionis ponitur & alterum.

IV. Suarez, & Vasquez contendunt, vi concomitantiæ præsentes quoque esse in hoc sacramento Patrem, & Spiritum sanctum. At Concilium Tridentinum omnia enumerans quæ sunt per concomitantiam in hoc sacramento, aliarum a Filio Trinitatis personarum non meminit. Nec est quod opponas omnium personarum cum divinitate identitatem. Nam sicut identitas hæc non efficit ut Pater, & Spiritus sanctus sint per concomitantiam incarnati; ita neque efficit ut sint in hoc sacramento per concomitantiam. Porro quamvis tota Trinitas non sit in Eucharistia vi concomitantiæ, & modo sacramentali; speciali tamen ratione quadam illam adesse fatendum est. Cum enim sacramentum istud centrum sit divini amoris, Pater misericordiarum divitias bonitatis suæ, & consolationis fluenta hic effundit; & Spiritus sanctus castissimi amoris flammas ineffabili quodam modo accendit.

V. Quæst. II. *An Christus sit totus in qualibet specierum parte?* Resp. Si species consecratæ dividantur, & separentur, facta separatione, totus Christus sub singulis separatis speciebus existit: & hoc definivit Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *can.* III. his verbis, *Si quis negaverit, in hoc sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.* Disputant vero Theologi, an ante separationem hostiæ consecratæ sit totum corpus Christi in tota hostia, & totum in qualibet parte. Adfirmat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVI. *art.* 3. quia, inquit, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ. Na-

Natura autem substantiæ tota est sub qualibet dimensionum parte, sub quibus continetur. Ergo, concludit ille, *totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur.* Si plura cupis, textum consule.

VI. Quæst. III. *An Christus sit in hoc sacramento sicut in loco?* Resp. Negat S. Thomas *loc. cit. art.* 5. Duplex est modus quo aliquid in loco constituitur. Definitivus unus, circumscriptivus alter. Neutro modo corpus Christi potest esse præsens in Eucharistia. Non definitive: quia quod est definitive in loco, ita est hic, ut nequeat esse alibi. Non circumscriptive, seu per commensurationem propriæ quantitatis ad quantitatem loci: quod enim est circumscriptive in loco uno, ita est, ut partes corporis respondeant partibus loci. Christus autem in Eucharistia est totus in toto, & totus in qualibet parte. Præsentia itaque corporis Christi in Eucharistia est realis substantialis, at non localis, sed eminentior, quæ sacramentalis dicitur, modulum ingenii nostri superans.

VII. Quæst. IV. *Potest ne corpus Christi oculo corporali, aut intellectuali in hoc sacramento percipi?* Resp. Negat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVI. *art.* 7. Quoniam corpus Christi in hoc sacramento est per modum substantiæ quæ sensibus non subiacet. Disputant autem Scholastici, utrum oculus corporeus per absolutam Dei potentiam elevari possit ad hanc visionem per lumen supernaturale. Sed hanc quæstionem illis accensemus quæ curiositati magis quam utili cognitioni inserviunt. Neque intellectus lumine naturali corpus istud percipere valet; lumine autem supernaturali perfusus, quemadmodum videre potest ipsam divinam essentiam, ita potiori iure corpus istud videre potest.

VIII. Quando in hoc sacramento apparet caro, aut puer, est ne Christi corpus quod videtur? Respondet S. Thomas *loc. cit. art.* 8. dupliciter hanc apparitionem contingere posse. Primo per immutationem oculorum videntium, ac si expresse *viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando ni videtur sub specie carnis, vel pueri; aliis tamen videtur sicut & prius, sub specie panis: vel quando idem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri & postmodum sub specie panis.* Interdum vero videtur non per solam immutationem ex parte videntium, sed per immutationem ex parte specierum: quod contingere videtur, subdit Angelicus, *quando sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ita permanet.*

IX. Quæst. V. *An accidentia, seu species sacramentales & corrumpi, & nutrire valeant?* Resp. Remanere accidentia omnia post consecrationem, quæ prius afficiebant panem, & vinum, nempe quantitatem, & qualitates, certum est; & quidem sine subiecto, ut dictum est: quia illorum subiectum substantiale conversum est in Christi corpus. Ad quæsitum respondet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXVII. *art.* 4. corrumpi posse, quemadmodum corrumpi poterant ante consecrationem. Id totum experientia constat. Evincit vero S. Doctor *art.* 6. eiusmodi species vere nutrire. Innumeras quæstiunculas instituunt Theologi, quandonam corpus Christi desinat permanere sub speciebus. Disputant, an si sacramentum proiiciatur in locum immundum; an si comedatur a mure, a bruto, continuo desinat? Aliqui contendunt, continuo desinere esse in his casibus. Sed falluntur. Siquidem certum est, tamdiu manere sub speciebus, quamdiu conservantur, ubicumque species illæ, & quamdiu sub eisdem conservari posset substantia panis.

X. Quæst. VI. *Quantum temporis interfluere debeat, ut particulæ in communione receptæ species corrumpantur?* Resp. Fuerunt aliqui qui asserebant, illico ac particula recepta fuerit in ore, desinere corpus Christi esse sub speciebus. Sed hæc opinio, ut evidenter falsa, reiecta ab omnibus est. Quia, ut diximus, corpus Christi permanet sub speciebus, usquedum istæ corrumpantur. Si in ipso ore corrumperentur, statim desineret ibi esse. Circa tempus quo durant species in stomacho receptæ, varia sunt Auctorum placita. Cardinalis de Lugo *disp.* X. sub finem narrat, se consuluisse Romæ peritissimos medicos, & præsertim Ioannem Manelphum, in Romanæ Sapientiæ Academia Professorem Philosophiæ, qui asseruit, particulam receptam a laicis corrumpi in stomacho intra horæ minutum. Sed ego, inquit P. Leander a SS. Sacramento *tract.* VII. *disp.* X. *quæst.* XXIII. consultis pluribus huius Complutensis Academiæ, non Philosophiæ tantum, sed Medicinæ professoribus, dico, quod debeant elabi quatuor fere minuta, seu quarta pars quadrantis horæ. Ut vero corrumpantur species hostiæ sumptæ a Sacerdote, subdit, debere transire spatium unius quadrantis. Plures ratiunculæ pro utraque parte afferuntur. Sed nihil, ut ego quidem sentio, certo concludunt. In uno stomacho citius, in altero tardius, sicuti & alii cibi, corrumpun-

tur

tur ſpecies iſtæ. Illud dumtaxat pro reverentia ſacramento debita ſervandum, nempe, ſuſceptores iſtius ſacramenti debere poſt communionem ſaltem per quadrantem plus minuſve ſe colligere, & ferventiore qua valent devotione ſe ſe cum Chriſto Domino detinere, eum intra ſemetipſos veluti commorantem adorare, alloqui, gratias agere, beneficia poſtulare, ignitis alloquiis, & ferventiore amore proſequi & complecti, a cibo potuque ſumendo in obſequium ſacramenti abſtinere per aliquod temporis ſpatium; ut infra magis declarabo.

XI. Quæſt. VII. *An ſi ſanguini, ſub ſpeciebus vini conſecrato, vinum infundatur, deſinat eſſe ſanguis ſub eiſdem ſpeciebus?* Reſp. Adfirmant aliqui. Alii diſtinguentes dicunt, deſinere ſanguinem Chriſti ſubeſſe ſpeciebus, ſi tanta vini quantitas infundatur quæ ſatis eſſet ad ſpecies deſtruendas; ſecus, ſi quantitas vini non eſſet tanta, quanta neceſſaria eſt ad ſpecierum vini conſecrati deſtructionem. Quid, ſi vinum infuſum eſſet diverſæ ſpeciei; ut quando ſpeciebus vini albi conſecrati infunditur vinum rubrum? In hoc caſu adfirmant Auctores prioris opinionis. Alii communius negant: quia contendunt vina omnia eſſe eiuſdem ſpeciei. Quid, ſi decem guttæ vini conſecrati miſceantur cum dolio vini? Omnes has quæſtiones frivolas, ineptaſque reputo, quarum deciſiones ex variis Philoſophorum placitis pendent: nam ex mixtione vini unius cum alio non poteſt certo inferri corruptio. Caſus propoſiti vix umquam contingunt, & ideo ut inutiles relinquimus. Ceterum ſi una, aut decem guttæ ſanguinis infunderentur amphoræ, aut dolio vini; exiſtimarem permanere Chriſti ſanguinem, vinumque illud ſervandum eſſe, & a Sacerdotibus, ſecus a laicis, ſumendum eſſe poſt ſumptionem calicis ante ablutionem. Plures alias ſimiles quæſtiunculas prætereo.

§. V.

Aliæ quæſtiunculæ de adoratione Chriſti in Euchariſtia, de eiuſdem conſervatione, expoſitione, feſto, aliiſque, reſolvuntur.

I. QUæſt. I. *Utrum Chriſtus in Euchariſtia exiſtens adorandus ſit cultu latriæ?* Reſp. Cultus latriæ appellatur obſequium, ſervitus, veneratio, ſupremo Domino debita, ut Theologi omnes docent. Ariani fatebantur, Chriſtum realiter præſentem eſſe in Euchariſtia; at quia blaſphemabant, eum puram eſſe creaturam, adorationem eidem denegabant. Vaſa ſacra tanto obſequio venerabantur, ut Athanaſium ab Epiſcopatu depoſuerint, quod fracti calicis reum per manifeſtam calumniam finxerant. Zuingliani, Calvinianique, tamquam idololatras, Catholicos derident, & execrantur, quod Chriſtum in Euchariſtia adorent. Lutherus aliquando Euchariſtiæ adorationem ut piam, aliquando ut neceſſariam, a conſecratione ad communionem uſque probavit. Melanchthon, ut Euchariſtiæ adorationem tolleret, commentus eſt, Chriſtum non eſſe in pane præſentem, ſed in fidelibus tantum, dum reipſa ſumunt communionem.

II. Veritas catholica eſt, Euchariſtiæ deberi latriæ cultum, ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſs.* XIII. *can.* III. his verbis. *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum &c. anathema ſit.* Conſtat veritas hæc univerſali conſenſu Eccleſiæ tum orientalis, tum occidentalis. Miſſis teſtimoniis Nazianzeni oratione funebri in honorem Gorgoniæ ſororis, Chryſoſtomi *homil.* XXVIII. *ad popul. Antioch.* Cyrilli Hieroſolymitani *catecheſ.* V. & aliorum, unum promo ex S. Ambroſio *Lib.* III. *de Spiritu ſancto cap.* XII. ubi hæc habet. *Adorate ſcabellum pedum eius. Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorarunt.* S. Auguſtinus in hunc eumdem citatum Pſalmi textum tanta perſpicuitate adorandum in Euchariſtia Chriſtum docet, ut novatorum cavillationes omnes explodat. *Quæro* (inquit) *quod ſit ſcabellum pedum eius: & dicit mihi Scriptura:* Terra ſcabellum pedum meorum. *Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic: & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram: quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit; nemo autem ipſam carnem manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Liturgiæ antiquiſſimæ, quas Renaudotius, Richardus Simon, Vitaſſius, Goarius, & alii plurimi collegerunt, adorationem Euchariſtiæ latreuticam præſcribunt.

III. Blaterant novatores, idololatriæ crimen eſſe, latriæ cultum exhibere pani; quaſi nos pani, & non corpori Chriſti, loco ſubſtantiæ panis exiſtenti ſub ſacris ſymbolis, cultum exhiberemus. Exprimi verbis nequit Lutheranorum, & Calviniſtarum impotens furor in putidiſſimis calumniis adverſus Catholicos fingendis. Ipſos non latet, nos propugnare, Dei Filium ſub ſpeciebus panis & vini loco ſubſtantiæ panis & vini extare. Cum hanc noſtram theſim oppugnant, Scripturarum, Patrum, & univerſæ traditionis ignorantes, ſeu potius hæreticæ factionis caligine obductos ſeſe produnt. Verum dum, hac theſi admiſſa, conſectarium adorandi Verbi divini ibidem extantis impetunt, tamquam inſani, & impii excipiendi ſunt. An verbum divinum, ubicumque reperiatur, adorandum, & quidem latriæ cultu, non eſt? An Catholici omnes uno ore non fatentur, ſe cultum latriæ exhibere directe Verbo incarnato, in hoc ſacramento exiſtenti? An non fatentur, ſymbola ipſa, ut ſunt merum ſignum, veneratione quidem digna eſſe, ut cetera ſacramenta; ſecus latriæ cultu ſoli Deo debito? Quid ergo obganniunt ſannionès iſti, idololatriæ ſcelus nobis improperantes? An Lutherani, qui a conſecratione uſque ad communionem præſentem Chriſtum fatentur, illum eo tempore non adorant?

IV. Quæſt. II. *An religioſe in templis cuſtodienda & aſſervanda Euchariſtia ſit?* Reſp. Negant Sacramentarii, Lutherani, & Calviniſtæ, qui aut negant in Euchariſtia Chriſti præſentiam, aut hanc in ſolo uſu, & actione cœnæ agnoſcunt, ut Lutherani. At hic quoque mirum in modum falluntur heterodoxi. Nam realis Chriſti præſentia in Euchariſtia abſoluta eſt, & ab uſu minime pendet; ut verba dominica, *Hoc eſt corpus meum,* oſtendunt. Antequam panis euchariſticus frangatur, & manducetur, eſt Chriſti corpus, ut conceptis verbis Apoſtolus *I. Corinth.* X. teſtatur: *Calix cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Mentitus Apoſtolus fuiſſet dicendo *eſt* niſi ibi Chriſti corpus fuiſſet ſub ſacris ſymbolis, antequam hæc frangerentur. S. Thomas III. *Part. quæſt.* LXXIII. *art.* I. *ad* 3. ſapienter de more inquit: *Hæc autem eſt differentia inter Euchariſtiam, & alia ſacramenta habentia materiam ſenſibilem; quod Euchariſtia continet aliquid ſacrum abſolute, ſcilicet ipſum Chriſtum; aqua vero baptiſmi continet aliquid ſacrum in ordine ad aliud, ſcilicet virtutem ad ſanctificandum ..... Et ideo ſacramentum Euchariſtiæ perficitur in ipſa conſecratione materiæ; alia vero ſacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum.* Hanc veritatem perpetuo obtinuiſſe in Eccleſia, teſtatur Concilium Tridentinum *ſeſs.* XIII. *cap.* III. inquiens: *Excellens, & ſingulare reperitur, quod reliqua ſacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante uſum eſt: nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque eius ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie ... exiſtere.*

V. Ex quo præſentia Chriſti realis permanens ſit in Euchariſtia, neceſſario conſequitur, Euchariſtiam diligenter, ac religioſe aſſervandam eſſe. Iſtius ſacri moris univerſam antiquitatem teſtem habemus. S. Iuſtinus martyr *apol.* II. narrat, Euchariſtiam præſentibus diſtribui, & ad abſentes per miniſtros deferri. S. Irenæus *epiſt. ad Victorem Papam* teſtatur, Euchariſtiam miſſam ad fideles abſentes, quod facile tunc non eſſet templa adire. Euchariſtiam aſſervatam in templis, aſportatam domum, delatam ad eremos, teſtantur Tertullianus, & Clemens Alexandrinus. Cyprianus etiam *Lib. de lapſis* narrat, quamdam mulierem, auſam aperire arcam in qua Euchariſtia conſervabatur, orto repente igne exterritam fuiſſe. An negaturi ſunt novatores noſtri perantiquam diſciplinam deferendi Euchariſtiam morituris? Concilium Nicænum I. *can.* XIII. hæc præſcribit. *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur, ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & neceſſario viatico minime privetur.* Calvinus, qui ſacroſanctam appellat hanc Synodum *Lib. IV. Inſtit. cap.* XVII. §. 39. ſcribit: *Clare patet, repoſitionem ſacramenti, quam nonnulli urgent, ut ægrotis extra ordinem diſtribuatur, inutilem eſſe.* Et continuo poſt pauca ſubdit: *Sed enim qui ſic faciunt, habent veteris Eccleſiæ exemplum.... Fateor.* Nobis ſat eſt veteris Eccleſiæ veſtigia premere, neglectis novatorum commentis. Plura antiquitatis monumenta proferrem, niſi adeo explorata veritas eſſet, ut vel ipſi inimici noſtri eam confiteri cogerentur.

VI. Quæſt. III. *Pia ne eſt, & religioſa feſti corporis Chriſti inſtitutio?* Reſp. Nemo, præter heterodoxos, quibus familiare eſt omnia Romanæ Eccleſiæ ſtatuta carpere, piam religioſamque eſſe inficiabitur iſtius ſancti

ſancti feſti inſtitutionem. Anno 1208. B. Iulianæ, ſanctimoniali percelebri, huius feſtivitatis inſtitutionem divinitus revelatam ferunt. Anno 1262. peculiari Bulla, quæ habetur *l.* 3. *Clement. tit.* XVI. Urbanus IV. feſtum iſtud inſtituit. Officium quod in hoc feſto Eccleſia recitat, a S. THOMA AQUINATE conſcriptum fuit. Papebrochio viſum eſt, editum hoc officium fuiſſe a Ioanne Clerico Leodienſi. Sed omnium Scriptorum teſtimonio iſtius officii auctorem fuiſſe S. Thomam, evincit Natalis ab Alexandro *diſs.* VI. *ſæculi* XIII. *art.* I. Et Pontifex Sapientiſſimus BENEDICTUS XIV. ait *not.* V. in feſtum corporis Chriſti, quod numquam in diſcrimen vocaſſet Papebrochius, S. Thomam ſcripſiſſe hoc officium, ſi lecta ab eo fuiſſet conſtitutio SIXTI IV. inſerta Bullario *Ord. Prædic. Tom. III.* in qua legitur feſtum hoc inſtitutum fuiſſe ab Urbano IV. *propriumque eiuſdem ſolemnitatis officium per Beatum Thomam de Aquino, tunc in ipſa curia exiſtentem, compoſitum.*

VII. Porro quam prudens, pia, & religioſa ſit huius feſtivitatis inſtitutio, patere inde poteſt, quod cum ſacramentum iſtud in dominicæ paſſionis commemorationem celebrari præcipiatur, nihil congruentius videtur quam peculiari ſolemnitate illud ſingulis annis recolere. Accedunt rationum momenta quibus inductus Urbanus IV. fuit ad hanc feſtivitatem inſtituendam. Sunt autem revelatio facta Sanctimoniali Leodienſi; miraculum apud Vulſinienſes patratum: ſupplicationes plurium Eccleſiarum: gratianimi teſtimonium quod Catholici omnes exhibere debent immenſæ divinæ caritati in huius ſacramenti inſtitutione: victoria de Berengarianis ſæculo XI. & XII. reportata. Hæc indicantur in ipſa Urbani Bulla. Tandem divinitus hoc inſtitutum feſtum videtur, non modo ad cultum ſolemniori pompa celebrandum, exhibendumque auguſtiſſimo ſacramento ſingulis annis, ſed etiam ut univerſa Eccleſia ſplendidum devictarum hæreſum triumphum ageret, in cuius ſplendoris, atque chriſtianæ lætitiæ conſpectu hæreticorum fracta perfidia tabeſceret.

VIII. Quæſt. IV. *Religioſa ne eſt ſolemnis corporis Chriſti in proceſſionibus circumgeſtatio?* Reſp. Iſtius proceſſionis originem repetit communior ſententia ab ipſo Urbano IV. non quod expreſſe hic Pontifex eam præſcripſerit, ut ſcite animadvertit BENEDICTUS XIV. *notif.* V. *num.* 6. de feſto corporis Chriſti *num.* 536. ſed ex facto, quatenus ex feſtivitatis ſolemnis inſtitutione ritus proceſſionis obtinuit. Martinus V. in conſtitutione, *Ineffabile ſacramentum*, proceſſionem iam inſtitutam confirmat, & illam frequentantibus indulgentias elargitur.

IX. Solitas impoſturas *artolatriæ* Kemnitius *II. Part. exam. pag.* 447. evomit adverſus hunc ſacrum ritum. Calvinus, omnium hæreticorum maledicentiſſimus, *Lib. IV. Inſtit. cap.* XVII. §. 39. de more inſanit adverſus Catholicos, idololatriæ eos incuſans. Verum, ut dixi ſupra, admiſſa Catholicorum doctrina de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia, nequeunt novatores abſque dementiæ nota nos accuſare, quod Filium Dei veneremur, ubi ineffabili modo præſentem credimus. Ritus autem Deum colendi Eccleſia pro temporum opportunitate præſcribit. Iſtius proceſſionis figuræ præceſſerunt & in circumgeſtatione arcæ fœderis, quam filii Iſrael ſecum deferebant, ut habeturIoſue *cap.* III. & in typico manna incluſo in eadem arca. Præterea primis Eccleſiæ ſæculis Euchariſtia magna veneratione ad titulos, ad Epiſcopos ſuburbicarios deferebatur, miſſa a ſummis Pontificibus, tamquam communionis mutuæ teſſera.

X. Nimis inepta ſunt quæ novatores opponunt. Euchariſtia, inquiunt, ad ſolum cœnæ uſum inſtituta eſt. Eſto. An per circumgeſtationem tollitur primarius eiuſdem uſus, nempe communio? Immo hoc ſacro ritu excitantur fideles ad frequentiorem communionem. Quod de *artolatria* garrit Kemnitius, iam ſupra convulſum eſt. Non enim pani, ſed Dei Filio cultum offerimus. Inſiſtit idem Kemnitius. Arca, huius ſacramenti figura, in caſtra aſportata, & ingenti Hebræorum cæde capta a Philiſthæis, oſtendit, Deum deteſtari eiuſmodi circumgeſtationes ut impias & ſacrilegas. Linguas impias & ſacrilegas novatorum Deus execratur, quod ſacra dogmata profanent. Arcæ circumgeſtatio Hebræis lætitiam, gaudium, animi fortitudinem ingerebat, Philiſthæis terrorem, & deiectionem. Arcæ profanatio, & Hebræorum ſcelera in cauſſa fuere cur Deus ſemel permiſerit, arcam in manus tranſire Philiſthæorum. Circumgeſtatio arcæ adeo pia, & religioſa erat, ut etiam capta a Philiſthæis contriverit idolum Dagonis, & percuſſerit Azotios.

XI. Quæſt. V. *Pia ne eſt & religioſa Euchariſtiæ expoſitio?* Reſp. Ritum proceſſionis corporis Chriſti conſecuta eſt conſuetudo illud publicæ adorationi exponendi, eo tendens, ut cultum Dei promoveat, & Chriſti Domini adorationem, atque erga tam auguſtum

ſtum ſacramentum devotionem accendat; ut in publicis gravibuſque calamitatibus divinum auxilium imploretur. Rationum momenta quæ circumgeſtationes huius admirandi ſacramenti in proceſſionibus pias religioſaſque evincunt, probant quoque pium religioſumque eſſe expoſitionis ritum. Ritus iſte a tribus circiter ſæculis obtinuit: & tunc adhiberi cœptum eſt tabernacula portatilia, vulgo *oſtenſoria*. Apud Græcos neque proceſſionis, neque expoſitionis uſus viget.

XII. Pauca dicenda ſunt de frequenti huius expoſitionis conſuetudine, de qua Lupus de proceſſionibus *cap.* XII. Tyers, & alii ſcripſere. Varia, ad hoc quod attinet, ſunt Auctorum placita iuxta ſingularem cuiuſque devotionem. Lupus frequentem promovet uſum; Tyers rarum eſſe debere ſentit. S. Carolus Borromæus in Synodo provinciali Mediolanenſi, ſub S. Pio V. celebrata, *cap.* VII. de circumgeſtatione Euchariſtiæ hæc præſcribit. *Sacroſancta Euchariſtia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis ſupplicationibus defertur, potiſſimum vero in feſto ſacro Chriſti corpori proprie conſecrato, eiuſque octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & nonniſi in arduis cauſſis, pacis, aut publicæ neceſſitatis. Ab illis autem proceſſionibus ad quas populus non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere ſolet, abſtineatur. In communibus autem ſupplicationibus circumgeſtari poterunt reliquiæ Sanctorum.* In Synodo vero VI. diœceſana de ſacratiſſimi corporis Chriſti expoſitione hæc præſcribit. *Ne quavis cauſſa Euchariſtia palam aperte proponatur, ſed publica tantum, atque gravi; aliis vero de cauſſis orationem licebit inſtituere, ſed non ſacramento aperte expoſito.* Plurimæ aliæ Synodi hanc eamdem S. Caroli præceptionem adoptarunt, ne ſcilicet ſacratiſſima Euchariſtia exponatur, nili cauſſis urgentibus, & probatis. Synodus Parenſis, a Cardinali Barberino celebrata anno 1623. Neapolitana anno 1699. Spoletana anno 1688. & BENEDICTUS XIV. in ſua *notificat.* X. *volum.* 2. eruditione, & prudentia ſumma, regulas huius expoſitionis in civitate Bononienſi ſervandas præſcribit, laudatque Auctores præcipuos qui hac de re ſcripſere, ſuntque Tyers *Lib. V. cap.* X. Merbeſius *III. Part. ſect.* X. *concl.* 3. & 4. Iuvenin *diſſ.* IV. *quæſt.* IV. §. 3. Clericatus *deciſ.* VI. *de Euchar.* aliique. Extrema ergo cavenda ſunt, & circumſtantiæ ſpectandæ. Eo unice ſpectare hæc expoſitio debet, ut reverentia, cultus, & devotio erga auguſtiſſimum ſacramentum promoveatur; ut populus abſtrahatur ab otio, a vanis ſpectaculis, a mundi oblectamentis, & ad templa frequentanda, adorandumque Dei Filium inducatur.

XIII. An litis victoria obtinenda, an ægroti ſanitas recuperanda, an huius vel illius perſonæ ſingularis devotio, ſint cauſſæ ſufficientes huius expoſitionis; potius negarem quam adfirmarem. Quare ſervanda eſt regula quam præſcribit S. Congregatio Concilii die XVII. Auguſti ann. 1630. *Sacra &c. cenſuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Eccleſiis, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſſa autem privata poſſe, dummodo ſanctiſſimum ſacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum ita, ut ipſa ſacra hoſtia videri non poſſit.* Animadvertit laudatus doctiſſimus Pontifex *loc. cit.* deciſionem hanc, licet latam in cauſſaNeapolitana, generalem regulam continere, in hac materia ab omnibus ſervandam. Publica ergo expoſitio, publicam, non privatam, cauſſam poſtulat. Quod potiſſimum in hac pia conſuetudine ſpectandum exiſtimo, eſt populi devotio, & obſequium erga auguſtiſſimum ſacramentum. Unus populus, una natio præ alia ferventior ſolet eſſe in tanti ſacramenti cultu. Quod expedit in amplis & populoſis, non decet in parvis civitatibus. Civitates magnæ, ſicut plurimis abundare vitiis ſolent, ita & viris piis, devotis, ac ſingulari fervore æſtuantibus. Idcirco validiora & frequentiora divina remedia ſint in iſtis oportet ad confirmandos in virtute, præſervandoſque a graſſante vitiorum lue Dei electos. Illud etiam curandum ſemper eſt, ut altare in quo Euchariſtiæ expoſitio fieri debet, ſit decenter ornatum, ut congruus cereorum numerus ardeat, ut aliquis Eccleſiaſticus præſens oret. S. Carolus, Epiſcoporum iubar, & ornamentum, in Synodo IV. Mediolanenſi *part.* II. de Eccleſiaſticis aſſiſtentibus inquit: *Dum ſanctiſſimum ſacramentum in altari propoſitum eſt, interdiu Clerici duo, ſuperpelliceo induti, capite aperto ad altare ſemper aſſiſtant, quorum alter Diaconus ſaltem ſit: noctu vero ſaltem unus, iſque in ſacro ordine conſtitutus.*

XIV. Quæſt. VI. *Licitum ne eſt in itineribus Euchariſtiam collo appenſam deferre?* Reſp. Veteris diſciplinæ uſus, domum, & ad diſſita loca deferendi Euchariſtiam, ſupra indicatus eſt. Solebant tunc Epiſcopi

nitidissimo panno involutam Eucharistiam secum portare. Qui plura hac de re scire cupit, consulat Angelum Rocca *Tom. I.* & Martenium *de antiq. Eccl. rit. Lib. I. cap.* v. *art.* 4. ubi narrat, PP. Societatis Iesu, Paulo V. Pontifice summo regnante, Venetiis discessuros, *hostias singulas* collo sibi singulos alligasse, atque hoc devotionis fervore urbe discessisse. Consuetudo hæc iam diu obsolevit; & Concilia, Cæsaraugustanum an. 380. & Toletanum an. 600. statuerunt ne quis domum, aut alio Eucharistiam deferat. BENEDICTUS XIV. in sua sæpius laudata constitutione *super Græcorum ritibus* prohibet ne Monachi orientales iter agentes Eucharistiam secum deferant. Consuetudo hæc viget adhuc, dum summi Pontifices itinera arripiunt. Tunc enim splendido, & gravi apparatu, atque comitatu Eucharistia præferri a Sacrarii apostolici Præfecto solet, spatio itineris unius diei ante Pontificem, ne populi, spectaturi Pontificem accedentes, cultum augustissimo sacramento exhibendum minuant. Angelus Rocca eruditissimum commentarium de hac sacra cæremonia edidit.

CAPUT VII.

De Eucharistiæ distribuendæ ministro ordinario, & extraordinario.

I. QUæst. I. *An soli Sacerdotes sint dispensandæ Eucharistiæ ministri ordinarii?* Resp. De ministro consecrandæ Eucharistiæ sequenti dissertatione sermo erit. In præsens, quis sit ordinarius eiusdem distribuendæ minister, inquiritur. Omnes communiter docent, solos Episcopos, & Sacerdotes esse istius sacramenti ordinarios ministros. Rationem præbet S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxii. *art.* 3. inquiens: *Dicendum, quod ad Sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi propter tria. Primo quidem quia, sicut dictum est . . . . ipse consecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in cœna, ita & aliis sumendum dedit. Unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo quia Sacerdos constituitur medius inter Deum & populum. Unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Tertio quia in reverentiam huius sacramenti a nulla re contingitur nisi consecrata; unde & corporale, & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum. Unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate; puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu.*

II. Morem hunc ab apostolica traditione proficisci, testatur Concilium Tridentinum *sess.* xiii. *cap.* viii. his verbis. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent. Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicent. Qui mos, tamquam ex traditione apostolica descendens, iure ac merito retineri debet.*

III. S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxii. *art.* 1. *ad* 4. quærit, cur soli Episcopo conveniat, & reservata sit potestas conficiendi, & administrandi chrisma; secus conficiendi, & distribuendi Eucharistiam. Respondet: *Episcopus accipit potestatem ut agat in persona Christi super corpus eius mysticum, idest super Ecclesiam; quam quidem potestatem non accipit Sacerdos in sua consecratione.* Accipit vero Sacerdos potestatem supra corpus Christi verum. Et quia, inquit *art.* 3. *ad* 3. per Eucharistiam *perficitur homo secundum se per comparationem ad Christum*, idcirco Sacerdoti ordinario conficere, & ministrare Eucharistiam iure convenit: idque ex perpetua traditione, quæ in hac materia quibusvis humanis rationibus prævalet, constat.

IV. Quæst. II. *An Diaconi possint esse extraordinarii Eucharistiæ dispensatores?* Resp. In utraque Ecclesia tum orientali, tum occidentali fuerunt priscis sæculis Diaconi dispensatores extraordinarii tum corporis, tum sanguinis Domini. Posteriori tempore solius sanguinis Domini dispensatio commissa illis fuit: ut colligitur ex S. Thoma *III. Part. quæst.* lxxxii. *art.* 3. *ad* 1. ubi inquit, *quod Diaconus, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio; ut scilicet dispenset sanguinem, non vero corpus, nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Presbytero. Primo quidem quia sanguis Christi continetur in vase: unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundo quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam: unde & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia Diaconi sunt inter Sacerdotem & populum, magis convenit Diaconis dispensatio sanguinis quam dispensatio corporis.* Unde colligitur, tempore S. Thomæ in Ecclesia occidentali Diaconos dispensasse calicem sanguinis Domini extra necessitatem, & absque peculiari Sacerdotis licentia.

V. Ad quæsitum igitur respondeo, Diaconos ex commissione Episcopi, vel Parochi posse etiam hoc tempore esse ministros extraor-

traordinarios Eucharistiæ distribuendæ. Isti tamen hanc facultatem dare non debent, nisi ex iusta caussa: quia servanda est disciplina quæ nunc obtinet.

VI. Quæst. III. *Absente Presbytero, potest ne Diaconus infirmis Eucharistiam dispensare?* Resp. Adfirmant Suarez, Fagundez, Hurtado, Lugo, quos citat, & sequitur Leander *tract.* vii. *disput.* xiv. *quæst.* ix. tum ex præsumpta voluntate Presbyteri, tum ex sacris canonibus, qui hanc facultatem illis impertiunt. Quin addunt, posse Diaconos id præstare, præsente, & nolente Presbytero Eucharistiam ægrotis administrare: quia, inquiunt, præsentia Sacerdotis sua potestate abutentis pro absentia reputanda est. Quæ sane opinio mihi improbabilis non est.

VII. Quæst. IV. *An, extrema necessitate urgente, possint, absente idoneo ministro, Subdiaconi, Clerici, laici semetipsos, & alios communicare?* Resp. Ex iis quæ dicta sunt, constat olim & minores Clericos, & laicos semetipsis, & aliis Eucharistiam administrasse. Si enim viris in nuda manu, & mulieribus in candidissimo linteolo, quod *Dominicale* appellabatur, mos obtinebat tradendi Eucharistiam; patet illos eam aut ibi, aut domi sumpsisse. Istius consuetudinis testimonia plurima ex Tertulliano, ex Cypriano, ex Martyrologio Bedæ, Adonis, Usuardi referre possem. Unum ex S. Basilio *epist. ad Lessariam Patriciam* transcribo. *Si non adsit Sacerdos, communionem propria manu sumere, minime esse grave, est supervacaneum ostendere. Propterea quod longa consuetudine etiam per res ipsas probetur. Omnes enim qui sunt in desertis Monachi, ubi non est Sacerdos, illic habentes communionem, ex seipsis eam sumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto unusquisque ex laicis qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi suæ. Nam cum Sacerdos semel confecerit hostiam, & dederit eam, accipiens, & communicans, tamquam a Sacerdote sumptam, participare se debet credere. Etenim in Ecclesia Sacerdos tradit particulam: & cum omni potestate ac libertate eam tenet qui accipit, & sic sua manu ad os eam adducit.* Sæculo vi. plura Concilia, præsertim Cæsaraugustanum, & Toletanum, consuetudinem hanc abrogarunt. Apud Græcos tamen alicubi adhuc viget.

VIII. Apud Latinos, tum Clericos, tum laicos, extrema urgente necessitate, communicare seipsos posse, docent Suarez, Granados, Valentia, Reginaldus, & alii plures, quos citat Leander *quæst.* xii. eosque sequitur; immo ipse cum Diana, & aliis addit, laicos posse communicare etiam alios: quia ius humanum, prohibens laicis Eucharistiæ tactum, non obligat in extrema necessitate in qua prævalere præceptum divinum debet de Eucharistia sumenda.

IX. Hæc opinio mihi videtur falsa: quoniam ab octo & amplius sæculis vetitum est laicis tangere vel ipsa vasa sacra, nedum Christi corpus. Quare non licet nec Clericis Diacono inferioribus, nec laicis, aut sibi, aut aliis communionem porrigere in Ecclesia Latina, quia plures sacri canones id prohibent. Porro Ecclesia prædita est potestate præscribendi ritum administrandi sacramenta. Cum itaque Ecclesia vetet laicis, & Clericis Diacono inferioribus corporis Christi tactum; servanda est hæc Ecclesiæ disciplina in re adeo gravi.

X. Præceptum divinum sumendi Eucharistiam, præsertim in articulo mortis, obligat, si minister idoneus adsit: secus, si desit. Potest laicus in mortis articulo baptizare, & simplex Sacerdos absolvere: quia sacramenta hæc sunt maioris necessitatis; & Ecclesia consentit. Eucharistia autem non est tantæ necessitatis: idcirco prudenter Ecclesia prohibuit omnibus Diacono inferioribus illius administrationem ob reverentiam sacramento debitam. Cum igitur idoneus minister deest, perinde est ac si nullus adesset Et tum præceptum divinum communione spirituali implendum est, voto nempe, & desiderio suscipiendi Christi corpus.

XI. Ex peculiari tamen summi Pontificis dispensatione possunt laici semetipsos, & alios communicare. Nam si olim persecutionis tempore Ecclesia id concessit, eadem hodie fruitur potestate. Et reipsa S. Pius V. Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ, in carceribus ab Elisabetha Regina Anglorum detentæ, facultatem impertiit ut in extremo mortis agone augustissimo sacramento, quod apud se retinebat, semetipsam reficeret, muniretque. Nihilque obstat quominus Pontifices summi, iusta occurrente caussa, simile privilegium concedere aliis iure valeant; cum hoc ad solam attineat disciplinam.

XII. Quæst. V. *An Sacerdotes, & Diaconi possint semetipsos communicare, cum alii idonei ministri desint?* Resp. Adfirmant communiter Theologi, in extremo necessitatis casu posse Sacerdotem semetipsum communicare. Immo communior sententia defendit, sublata etiam necessitate, posse Sacerdotem sola devotionis caussa, puta dum magna festivitas recurrit, & nequeat celebrare, e sacrario Eucharistiam extrahere, & se-

ipsum communicare. Hanc sententiam defendunt Suarez, Vasquez, Hurtado, Sylvius, Lugo, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* XIV. Immo addunt plures, posse id præstare Sacerdotem, etiam præsentè Diacono: quia Sacerdos est minister ordinarius, & ex officio. Diaconum quoque extra necessitatis casum semetipsum communicare posse docent: quia Concilium Nicænum id ei concedit *can.* XIV. Quam opinionem defendunt Vasquez, Dicastillus, Leander *quæst.* XVI. Quæ opinio non est improbabilis. Sed disciplina hodierna spectanda est. Probabile quoque est posse Sacerdotem celebrantem partem hostiæ dividere, & communicare laicum ob solam devotionem, si aliæ particulæ desint.

XIII. Quæst. VI. *Tenetur ne Parochus tempore pestis cum vitæ periculo communicare suos parochianos?* Resp. Omnes curam animarum habentes, Papa, Archiepiscopi, Episcopi, Parochi, Rectores, Superiores tempore pestis, vel epidemiæ tenentur cum vitæ periculo administrare subditis suis sacramentum Eucharistiæ meliori modo quo possunt. Disputant Casuistæ, num in cochleari argenteo licite administrare Pastores isti valeant infirmis Eucharistiam ad declinandum contagium. Negant Diana, Bonacina, & alii; adfirmat vero Leander cum aliis; immo subdunt, posse Sacerdotem ponere sacram particulam in loco decenti, ut inde infirmus proprio ore, aut manibus accipiat sacramentum, & se se communicet. In his eventibus spectandæ sunt circumstantiæ. Et primum Pastores omnes propriam vitam exponere pro ovibus suis debere, certum est. Qui reformidant mortis periculum, iam se produnt Pastores ineptos, & mercenarios. Tunc licite, ut ego quidem sentio, instrumentis uti possent ad Eucharistiam administrandam, quando penuria esset ministrorum, & ex morte Parochi, seu animarum Rectoris, populus ministris privatus maneret. Tunc enim bonum publicum eiusmodi ritus variationem exigere videretur. Sed, ut securius minister agat, Episcopum in similibus casibus consulat.

XIV. Quæst. VII. *Licitum ne est a Sacerdote excommunicato, schismatico, hæretico sacramentum Eucharistiæ suscipere in mortis articulo?* Resp. Diana, Suarez, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* XXII. docent, licitum esse petere a quocumque Sacerdote, etiam hæretico, nedum excommunicato, in articulo mortis Eucharistiam; dummodo absit scandalum, contemptus religionis, & periculum, ne Sacerdos heinc ansam sumat permanendi in proprio errore. Quoniam, inquiunt, licitum est in extremo periculo petere sacramentum pœnitentiæ: ergo etiam sacramentum Eucharistiæ.

XV. Quæst. VIII. *An peccet mortaliter Sacerdos administrans sacramentum Eucharistiæ absque superpelliceo, & stola?* Resp. Adfirmat communis & vera sententia. Idque colligitur ex *cap. Sane de celeb. Miss.* Contendunt aliqui, peccare dumtaxat venialiter Sacerdotem qui cum superpelliceo sine stola administraret. Sed Suarez, Filliucius, Fagundez, Lugo, Granados, & alii, quos citat, & sequitur Leander *quæst.* XXVII. dicunt, hunc Sacerdotem peccare mortaliter: quia stola super utrumque humerum est veluti tessera sacerdotalis. Peccarent quoque Sacerdotes qui extra Missam communicantes omitterent cæremonias præscriptas: nempe, si absque cereis accensis, & non præmissa absolutione communicarent. Ritus quippe isti, cum sint gravissimi, exacte servandi sunt, sublata necessitate; ut tempore pestis, aliisque gravibus casibus, in quibus absque consuetis cæremoniis administrari hoc sacramentum potest. Sacerdos, dum extra Missam communicatur, stolam sibi imponere debet. Disputant Auctores, num Sacerdos qui laborans chiragra, nequit pollice, & indice ministrare Eucharistiam, possit aliis digitis illam conferre. Negant aliqui, alii cum Leandro *quæst.* XIX. adfirmant. Ego dicerem, posse, si necessitas urgeat; secus, ablata gravi, & rationabili caussa. Curandum semper est ut ritus ab Ecclesia præscripti in huius præsertim sacramenti administratione serventur tum circa locum & tempus, cum circa sacras vestes.

CAPUT VIII.

De subiecto capaci ad suscipiendum Eucharistiæ sacramentum.

I. TRiplex communionis genus distingui communiter solet, sacramentalis tantum, spiritualis dumtaxat, sacramentalis & spiritualis simul. Sacramentalem communionem, seu corpus Christi, in hoc sacramento existens, recipiunt peccatores; at fructum, nempe animæ salutem, ex eo non hauriunt. Spiritualiter communicant qui voto, & fide viva sacramentum istud suscipere anhelant; fructumque experiuntur. Istorum classes tres distinguuntur, incipientium, proficientium, & perfectorum. Sacramentaliter, & spiritualiter hoc sacramentum suscipiunt qui induti veste nuptiali, idest gratia sanctificante orna-

ornati, ad sacram hanc mensam accedunt. Quibus præmissis, sequentes quæstiunculas resolvo.

II. Quæst. I. *Administranda ne parvulis est Eucharistia?* Resp. Certum est, olim in Ecclesia tum orientali, tum occidentali, una cum baptismo administratam infantibus fuisse Eucharistiam. Hæc disciplina etiamnum viget apud Ecclesiam orientalem; ut constat ex Euchologiis Græcorum, Syrorum, Melchitarum, Nestorianorum, aliorumque sive catholicorum, sive schismaticorum, & hæreticorum. In Ecclesia Latina quinque abhinc circiter sæculis abrogata fuit disciplina hæc. Concilium Tridentinum utramque disciplinam laudandam esse decernit *sess.* XXI. *cap.* IV. his verbis. *Denique eadem S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem . . . Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem caussam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Hoc solum factum obstruit novatorum os. Infantes enim fidei capaces non sunt; & tamen per XII. sæcula illis administratum Eucharistiæ sacramentum fuit; & nunc etiam, ut dixi, in Ecclesia orientali administratur. Plures assignantur rationes antiquatæ huius disciplinæ in Ecclesia occidentali. Communio enim parvulis vix administrari potest, nisi sub speciebus vini. Difficilis autem hæc administratio est, sine effusionis alicuius periculo, atque adeo irreverentiæ erga sacramentum. Alia etiam ratio mutatæ disciplinæ fuit, nempe remissa fidelium devotio, & tepescens pristinus fervor. Sumebatur enim divinus ille panis ut panis communis. Quare ne infantes huic abusui assuefierent, cautum est ne isti ante annos discretionis, & antequam a Pastoribus imbuti, & instructi essent, participes fierent sacratissimi corporis Christi.

III. Quæst. II. *Administrandum ne hoc sacramentum amentibus, & energumenis?* Resp. Energumenis qui a maligno spiritu vexabantur diuturna turbatione, denegatam olim fuisse sacram communionem, colligitur ex *can.* XXIX. Concilii Illiberitani. Concilium præfatum *can.* XXXVII. decernit, in ultimo vitæ termino energumenis communionem administrandam esse; sed in vitæ decursu illis denegabatur. Quando enim sacra mysteria peragenda erant Diaconus clamabat: *Exite energumeni.*

IV. De amentibus, & energumenis S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXX. *art.* 9. hæc docet. *Dicendum, quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter. Uno modo quia habent debilem usum rationis; sicut dicitur non videns qui male videt: & quia tales possunt aliquam devotionem huius sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur numquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt: & sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo precessit huius sacramenti devotio; aut non semper caruerunt usu rationis; & tunc si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi; nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Unde in Concilio Carthaginensi . . . . . legitur, & habetur in Decret. . . . . Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Lege ibi plura alia in responsis *ad* 1. & 2. argumentum. Plura exempla occurrunt quæ vi huius divini sacramenti curatos energumenos perhibent. Circumstantiæ tamen spectandæ sunt.

V. Quæst. III. *Supplicio extremo plectendis administranda ne Eucharistia est?* Resp. In Gallia, & in Hispania in pœnam perpetrati sceleris Eucharistia, olim saltem, denegabatur. Dominicus Soto Hispanus in *IV. dist.* XII. *quæst.* I. *art.* II. hanc Hispanorum consuetudinem refert, & reiicit; laudatque Italorum, & Germanorum morem communicandi reos ultimo supplicio afficiendos, qui sint apte dispositi. Servanda est cuiusque Ecclesiæ disciplina. Laudabilior tamen videtur, & magis pia disciplina quæ omnibus morituris rite dispositis, etiam extremo supplicio percutiendis, vel pœnitentiam agentibus, in ipso mortis exitu Eucharistiam impertitur. Olim lapsis in extremo mortis articulo communio denegata fuit. Sed Concilium Nicænum indulsit ut omnibus in mortis exitu poscentibus communio administraretur, si digni reputati essent a sacris Pastoribus.

VI. Quæst. IV. *Administranda ne est mortuis Eucharistia?* Resp. Plura adduci exempla solent, unde eruitur, datam olim mortuis fuisse Eucharistiam, & cum iis sepultam.

Positam supra pectus cuiusdam Monachi Eucharistiam, & cum eo sepultam iussu S. Benedicti, narrat S. Gregorius Magnus *Lib. II. Dialog. cap.* XXIV. Aliquando obtinuit ut sacrum Christi corpus collocaretur supra pectus Episcopi defuncti. Plures rationes huius ritus, dandi mortuis communionem assignat Christianus Lupus in *can.* LXXXIII. Trullani Concilii. Prima est, ne cadavera a sepulcro eiicerentur. Altera, ne dæmones in cadavera furerent. Tertia, ut qui, dum in vivis erant, refici sacro viatico non poterant, præsentia saltem tanti sacramenti iuvarentur. Alii quartam addunt caussam, ut nempe hoc sacro communionis ritu abducerentur fideles a superstitione gentilium, qui mortuis obulum ori imponebant, Acheronti pro ratis naulo solvendum. Heinc Iuvenalis *satir.* 3. inquit.

Iam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alvum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Laudati Concilii Trullani *can.* LXXXIII. prohibet ne mortuis Eucharistia administretur his verbis. *Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet. Scriptum est enim:* Accipite, & comedite. *Mortuorum autem corpora non possunt accipere, nec comedere.* Antiquata similiter est consuetudo collocandi Eucharistiam supra pectus defunctorum: quorum tranquillitati adversus dæmonum infestationes cœmeteriorum benedictione consultum est. Nam cœmeteria in hunc finem benedicuntur, *ne dæmon accedat*; & lustrali aqua purgantur *ab omni spurcitiæ inquinamento, & immundorum spirituum insidiis.* Orationes funduntur, ut fidelium corporibus sepeliendis Deus concedat *quietis sedem, & ab omni incursione malorum spirituum tutelam.* Quæ omnia Pontificale Romanum *Part. II. tit.* VI. exponit.

VII. Quæst. V. *An concedenda sit Eucharistia publicis peccatoribus?* Resp. S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXX. *art.* 6. animadvertit, duplici modo peccatorem dici publicum. Primo per confessionem ipsius delinquentis, per testium depositionem, & iudicii publici sententiam; & dicitur publicus *publicitate iuris.* Secundo per evidentiam facti; ut sunt feneratores, raptores, histriones, meretrices, saltatrices &c. Publicis peccatoribus Eucharistiam petentibus denegandam esse, fatentur omnes cum S. Thoma. Ministri enim instituti sunt dispensatores prudentes mysteriorum Dei: illis Christus imposuit *Matth.* VII. *Nolite sanctum dare canibus*: & rursus cap. XV. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Idem dicendum est de iis qui vehementer & publice suspecti de gravi aliquo crimine sunt. Contendunt tamen aliqui, in mortis articulo ob solam vehementem suspicionem non esse denegandam Eucharistiam. Sed præscribi regula generalis, ad hoc quod attinet, non potest. Peccatori publico, etiam secreto emendato, non est concedenda Eucharistia: quia prius publico scandalo satisfacere debet. Quænam est hæc satisfactio? In articulo mortis voce aut propria, aut Confessarii, retractanda publice sunt scandala, & crimina. Debet peccator signa ferventis doloris, quoad potest, præbere. Dum vero peccator sanus est, publicam exhibere satisfactionem debet. Feneratores prius restituere usuras, & infamem artem relinquere; meretrices e loco prostibuli se subducere; concubinarii pellere concubinam; comici, histrionesque omnes turpem professionem derelinquere tenentur, & publicæ pœnitentiæ signa exhibere. Magna opus prudentia est, antequam isti ad sacram communionem sacramentalem admittantur.

VIII. Quæst. VI. *Peccatori occulto publice petenti Eucharistiam concedenda ne est?* Resp. Adfirmant communiter omnes, quando sine infamia denegari non potest: quia præceptum non infamandi prævalet præcepto non administrandi indigno Eucharistiam. Et licet peccator occultus nullum ius habeat ad Eucharistiam; iure tamen potitur ne infametur. Peccatori autem occulto occulte petenti deneganda est. Dominicus Soto in *IV. dist.* XII. *q.* 1. *art.* 6. contendit, a proprio Parocho, qui ex officio tenetur administrare Eucharistiam, non posse huic peccatori occulto denegari, sed solum ab aliis Sacerdotibus. Sed hæc opinio falsa est. Parochus tenetur administrare ex officio dignis, secus indignis. Quare neque a Parocho, neque a quocumque alio Sacerdote administrari Eucharistia debet peccatori occulto occulte petenti. Quoniam is nullum habet ad Eucharistiam ius; & ex alia parte nullam ex tali denegatione patitur infamiam. Si vero peccatum notum sit ex confessione; tum denegari communio nequit, ne odiosa reddatur confessio. Prohibuit enim hanc propositionem Innocentius XI. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.* Quamvis itaque non violetur sigillum; iniuria tamen illi irrogatur, & gravamen pœnitenti imponitur, quoties fit usus notitiæ in confessione acceptæ.

IX. Quæst. VII. *Si quis hoc loco sit publicus peccator, & alio pergat, ubi sit occultus, & publice petat Eucharistiam, denegandа ne illi est?* Resp. Plures docent, non esse denegandam: quia ubi publice petit Eucharistiam, est peccator occultus, & ibi ius habet ad suam famam. Suarez, Bonacina, Fagundez defendunt, esse denegandam: quoniam infamatus publice in uno loco, ius amisit ad suam famam. P. Dominicus Viva *q.* IV. *art.* 10. *num.* 11. hæc scribit. *Demum Henriquez putat, posse repelli, & posse ad sacramenta admitti; cum pro utraque parte sint rationes probabiles.* Nec quidquam ipse addit; sed lectoris arbitrio relinquit, ut quam malit, sibi eligat. Opinio P. Suarez mihi probabilior est; & oppositam reiicio ut falsam. Si opposita alicui videatur probabilior, utatur suo sensu; sed quod alterutra quisque pro arbitrio uti possit, hoc improbo tamquam absurdum.

X. Quæst. VIII. *Potest ne Sacerdos administrare Eucharistiam publico peccatori ob metum mortis, aut notabilis suæ infamiæ?* Resp. P. Dominicus Viva *loc. cit.* adfirmat: quia, inquit, si potest administrare Eucharistiam peccatori occulto publice petenti, ad vitandam eius infamiam; *a fortiori poterit ministrare peccatori publico publice petenti, ad vitandam infamiam propriam, aut mortem, permittendo peccatum illius.* Id tamen intelligendum, subdit ex Suarez, præciso scandalo activo. Hæc sententia falsa est, falsoque nititur principio. Peccatori occulto publice petenti administratur Eucharistia, ut peccatum vitetur illius diffamationis: quia præceptum non infamandi proximum prævalet præcepto reverentiæ erga sacramentum, & exemplum Christi Domini habemus, qui Iudæ Eucharistiam dispensavit. Minister enim publicus communia Ecclesiæ bona dispensare debet iuxta notitiam non privatam, sed publicam: aliter multæ orirentur perturbationes, & absurda. E contrario in proposito casu, quod Sacerdos propriam infamiam sustineat, aut mortem, nullum peccatum, aut peccandi periculum est. Si ad vitandam propriam infamiam, nedum mortem, licet sanctum dare canibus, & margaritas proiicere ante porcos; cur licitum non erit thus adolere exterius idolo? Neque præscindi scandalum activum potest ab hac administratione, metu infamiæ, aut mortis extorta.

XI. Quæst. IX. *Peccatori occulto publice petenti Eucharistiam, potest ne Sacerdos præbere hostiam non consecratam ad illius sacrilegium vitandum?* Resp. Adfirmant plures: quam opinionem probabilem reputat Diana. Verum S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXX. *art.* 6. cui subscribunt ceteri Theologi negantem opinionem defendit: quia, inquit *ad* 2. licet *peius sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quam infamari; tamen Sacerdoti ministranti corpus Christi peius est peccare mortaliter infamando iniuste peccatorem occultum quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato .... Hostia non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ: quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem ... Unde extra de celebratione Missarum dicitur: Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere qui fraudulenter illud præsumpserit simulare.* Fusius hanc doctrinam Angelicus exponit in *IV. dist.* IX. *qu.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *ad* 4.

XII. Quæst. X. *Quid de corruptela quæ alicubi grassatur? Licet ne Sacerdoti simulare se hostiam immittere in os peccatoris, ad vitandam infamiam, vel damnum accedentis?* Resp. Adfirmantem opinionem defendunt Ioannes Sanchez, Diana, Henriquez, quos citat P. Leander *disp.* VII. *quæst.* LXI. Ipse vero distinguit. Si nulla, inquit, adsit caussa simulationis, illicita est administratio; licita vero, si iusta caussa adsit. *In casu quo maritus minaretur mortem uxori, nisi communicaret, ut sic suspicionem adversus illam conceptam abiiceret: tunc enim*, inquit Leander, *optime poterit simulare se Eucharistiam suscipere, sicut potest simulare se sacramentaliter confiteri: quia in eo casu optime potest absque mendacii crimine uti æquivocatione: ergo & Sacerdos etiam simulare se hostiam in os eius immittere.*

XIII. Enormem hanc corruptelam latius hodie grassari ferunt. Et Confessarii nonnulli hanc simulationem exercent, ut dicunt, quin ullum sibi scrupulum moveant. Accedunt iuvenes matronæ ad Confessarium: palam fatentur, se suos habere amasios, quorum abrumpere amicitiam aperte se nolle patefaciunt. Sed ut maritis fucum faciant, & honestatis velo turpe commercium tegant, sacramentorum frequentiam simulant, inquientes: *Domine, meum habeo amatorculum:*

lum : eum dimittere nolo : interim mea interest ut me frequentare sacramenta maritus, & ceteri credant. Dabis mihi benedictionem, & res iota confecta est. Firmantur mulieres istæ in hac sacrilega simulatione, Casuistarum, quos indicavi, opinionibus imbutæ. Curant etiam ut sui amasii consulant Casuistas aliquos, quorum commentis deludere maritos valeant. Casuisticæ opiniones, quæ simulationem licitam asserunt, simul favent Confessariis, quorum aliqui ad nimiam benignitatem compositi opinionem præfatam Leandri, & aliorum facile probabilem credunt, eiusque usu sacramentorum simulationem exequuntur.

XIV. Ad quæsitum ergo respondeo, simulationem hanc sacramentorum, sive pœnitentiæ, sive Eucharistiæ, sacrilegam esse, & scandalorum plenissimam. Et principio Leander ipse mitissimus fatetur, mendacem hanc simulationem vitiosam esse, legitima sublata caussa. Quid vero caussæ legitimæ est, ut illustres amasiæ istæ sacramenta simulent? Maritorum suspiciones, infamia publica? Dimittant amasios suos, illorum conversationem omnino declinent : modestiam, pudorem, & solitudinem, quoad earum fert conditio, colant, caste vivant : & en sublatam maritorum suspicionem, & publicam infamiam. Nulla est ergo simulationis legitima caussa mariti suspicio. Turpia frequentare commercia, & luculentam amicitiam fovere nobiles istæ amasiæ, perfricte lateribus adhærere suis amasios suos efflictim cupiunt ; simulque ementita sacramentorum frequentia propriam fucare, & incrustare turpitudinem audacissime contendunt ? Et eo malorum disciplina devenit, ut divinorum mysteriorum dispensatores aliqui inveniantur qui tam propudiosam, sacrilegamque corruptelam foveant? Si verborum mendacia illicita sunt, factorum ne mendacia honesta erunt? Non est mendacium, inquies, sed æquivocatio, & amphibologica simulatio. Scilicet amphibologica simulatio est sacramentorum, qua iniquitas occultatur, & alitur. Accedunt scandala publica & amasiorum, & aliorum quibus compertæ mutuæ amicitiæ, & turpes amores sunt. Innumeros ipse audivi inquientes : illæ, & illæ matronulæ suos habent æstuantes amatores, quorum mutuos amores amplexus reciprocos nos apprime compertos habemus; nihilosecius illas sacramenta tum pœnitentiæ, tum Eucharistiæ frequentare propriis oculis conspicimus. Ergo consociari eiusmodi mutui amores, & reciproca fœdera cum sacramentorum frequentia licite valent. Quid? An dicturus eris, Confessarios doctos, eruditos, & probitatis fama claros, sacrilegia perpetrare, & propriæ æternæ salutis dispendio sacramenta feminis istis administrare? Aut contra, feminas eiusmodi crimina criminibus accumulare, & flagitia propria in confessione occultare? Cum dici neutrum horum possit, inferendum est, viam salutis non esse adeo angustam, ut rigidiores Theologi exaggerant. Hæc circumloquuntur mundi homines; & ex frequentia sive simulata, sive vera talium feminarum sacramenta suscipientium, scandala & absurda gravissima manant.

XV. Prudens ergo, doctusque Confessarius aut instruat eiusmodi feminas, doceatque, quam sit hæc sacramentorum simulatio perniciosa, quæ & Confessarium, & pœnitentes infamat : aut si instructionem suscipere nolint, eas gravi reprehensione reiiciat. Aliqui Confessarii similem simulationem suadent puellis, quæ, nisi Eucharistiam suscipiant, matribus suspicionem ingerunt violatæ castitatis, aut pravæ consuetudinis. Si Confessarii suos pœnitentes sanam docerent doctrinam; hoc artificio opus minime haberent ad famam tegendam puellarum. Doceant, communionis frequentiam suspendi posse, & debere ob plurimas caussas, ob peccata venialia, ob tepescentem fervorem, ob nocturnas illusiones, & ob cetera id genus. Quando similes casus occurrunt, suspendant tum matri, tum filiæ communionem ; aut doceant caussas cur suspendi possit, & debeat. Eo malorum perventum est, ut interdum sacramentorum aut mendaci simulatione, aut sacrilega profanatione custodire prævaricantium famam aliqui velint. Verum plura de his infra.

CAPUT IX.

De necessitate, seu divino præcepto sumendæ eucharisticæ communionis.

I. Communionis vocabulum interdum sumitur pro societate, & fidelium consortio : interdum usurpatur ad designandum Missæ sacrificium, & antiphonam, quæ, dum fideles communicant, cantatur in celebratione Missæ : communiter autem accipitur pro Eucharistiæ participatione.

II. Necessitas alia medii, alia præcepti. Eucharistia sumi potest aut reipsa, aut voto, seu desiderio tantum ; ut alias dictum est. Id in disputationem principio venit, utrum

utrum Eucharistia sit necessaria in re necessitate medii ad salutem tum parvulis, tum adultis. Adfirmant Græcorum plures, quibus subscribunt novatores, præsertim Calvinistæ, Dallæus, Albertinus, ceterique Calvinianæ sectæ scriptores. Hanc fuisse mentem S. Augustini, Innocentii, & aliorum Patrum, contendunt etiam Catholicorum aliqui.

III. *Tom. V. Lib. IV. diss.* II. præceptum ecclesiasticum communionis percipiendæ quotannis explicatum est. Quamobrem in præsentia divinum dumtaxat mandatum exponam sequentibus quæstiunculis.

IV. Quæst. I. *Eucharistia est ne necessaria necessitate medii ad salutem* ? Resp. De fide est, Eucharistiam in re susceptam, non esse necessariam necessitate medii ad salutem. Hanc veritatem definivit Concilium Tridentinum *sess.* XXI. *can.* IV. adversus novatores. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem ; anathema sit.* Hoc perspicue patet ex divina Scriptura Rom. VIII. *Nihil .... damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu*. Rursus ad Titum III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*.

V. Ratione ex Scripturis, & Patribus omnibus repetita evincitur. Scripturæ, & Patres omnes tum Græci, tum Latini testantur, per baptismum omnia peccata dimitti. Ergo Eucharistia non est necessaria necessitate medii ad salutem. Si enim absque Eucharistia per baptismum parvuli sanctificantur, fiuntque Christi membra; in tali statu decedentes salutem consequentur æternam. Nec opponant novatores, Ecclesiam primis Ecclesiæ sæculis baptismum non administrasse sine Eucharistia. Quoniam nec sine confirmatione illum conferebat. Quid inde? Necessariam ne dicent confirmationem? Ecclesia, quæ olim parvulis Eucharistiam administrabat, postmodum subtraxit. Disciplinæ, non necessitatis fuit ritus iste ; ut alibi dictum est. Insistunt novatores. Verbis simillimis Christus præcepit communionem eucharisticam quibus baptismum, & pœnitentiam. Nam si ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* : similiter inquit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Si priora, cur non & posteriora verba inferunt necessitatem medii? Mala fide hæc ultima verba opponunt novatores; cum ipsi non de Eucharistia intelligenda esse contendant. Ceterum nos diverso a primis sensu posteriora verba intelligenda dicimus. Numquid hæc verba Ioan. XIII *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, paris necessitatis aliquid significant ac verba quibus baptisma, & pœnitentia præcipiuntur? Sicut ergo hæc ultima particula *nisi* non infert pedum lotionem necessariam esse necessitate medii ; ita nec in ista propositione, *Nisi manducaveritis* &c. medii necessitas denotatur. Sensus diversitatem & ex subiecta materia diversa, & ex perpetua Ecclesiæ traditione colligimus.

VI. Quæst. II. *Est ne necessaria Eucharistia necessitate medii saltem in voto* ? Resp. Non una est hac de quæstione Catholicorum sententia. Honoratus Turnely *quæst.* VI. *de Eucharist. art.* I. contendit, nec in voto necessariam esse Eucharistiam; quamvis addat, se loqui de voto proprie dicto. Dissidium inter Theologos catholicos potius de voce quam de re est. Sententia mihi probabilior est, quam ex Augustino docet S. Thomas, nempe necessariam esse Eucharistiam in voto, non explicito, sed implicito. Distinguenda quoque est manducatio realis, & mystica. Reali manducatione reipsa sumitur eucharistia : mystica communio est adoptatio in mysticum Christi corpus seu in Ecclesiam. Hac distinctione ambæ sententiæ conciliantur.

VII. Porro necessariam esse Eucharistiam in voto, saltem implicite, S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXIII. *art.* 3. docet his verbis. *Per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam : & ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ad Eucharistiam ordinantur per Ecclesiam : & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex fide Ecclesiæ desiderant Eucharistiam*. Quam doctrinam confirmat *q.* LXXIX. *art.* I. *ad* I. inquiens : *Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi : nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti, nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti; vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli, sicut supra dictum est*.

VIII. Doctrina S. Thomæ huc pertinet. Eucharistia finis est omnium sacramentorum, quæ strictiori vinculo nos Christo coniungit, & membra eiusdem peculiari ratione efficit. Ergo dum quis baptismum suscipit, votum saltem implicitum habet suscipiendi Eucharistiam; cum media natura sua tendant in finem. Votum enim istud includitur in ipsa baptismi susceptione. Nec est quod opponas, heinc sequi, paris necessitatis esse Eucharistiam ac baptismum. Nam consectarium istud illegitime infertur; & falsum est. Baptismus namque principium est vitæ spiritua-

tualis, in cuius susceptione includi votum implicitum Eucharistiæ dictum est. Votum autem implicitum baptismi non includitur in alio præcedente sacramento: & nisi parvuli reipsa baptisma suscipiant, pereunt. Votum baptismi explicitum sit oportet; votum vero Eucharistiæ sat est ut sit implicitum.

IX. Opponunt novatores plura S. Augustini testimonia, tum ex *Lib. I. de peccat. mer. cap.* XX. tum ex *Lib. II. ad Bonif. cap.* IV. quibus S. Doctor docere videtur, Eucharistiam necessariam esse necessitate medii. Immo Innocentii I. epistola ad Patres Concilii Milevitani hanc eamdem suam doctrinam confirmare Augustinus videtur. Et Gelasius Papa *epist.* VII. inquit: *Ipse Dominus Iesus Christus cælesti voce pronuntiat*: Qui non manducaverit carnem Filii hominis *&c. ubi utique neminem videmus exceptum; nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci*. Celebris Maldonatus, & alii catholici Theologi in hac sententia de absoluta necessitate Eucharistiæ ad salutem fuisse Augustinum, Innocentium, & Gelasium, existimarunt. Sed aperte falluntur. Sanctus quippe Augustinus constanter docet, parvulos qui baptismate tincti decedunt, salvari. In huius rei confirmationem plura adduci Augustini testimonia solent. Unum transcribo ex S. Fulgentio, qui *epist.* ad Ferrandum Diaconum sic interpretatur Augustini testimonia, quæ opponebantur. *Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam aliquatenus esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem corporis, & sanguinis fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus discedat*. Doctrina itaque Augustini huc pertinet, parvulos eo ipso manducare mystice carnem Christi quod sint per baptismum eiusdem corporis membra; seu, ut inquit S. Thomas, manducant non re, sed voto implicito, & interpretativo. Idque evincunt Contensonius, Cl. Berti, & alii qui fusius S. Doctoris testimonia expendunt, ex statu controversiæ, quam S. Augustinus cum Pelagianis habebat. Pelagiani negantes peccatum originale, & argumentis a necessitate baptismi repetitis pressi distinguebant regnum Dei, & vitam æternam: contendebantque parvulos non baptizatos decedentes, non ingressuros quidem regnum Dei, quod iuxta illos eximia quædam gloria est, & non baptizatis indebita; sed assecuturos vitam æternam, cum sint innocentes. Qua chimærica distinctione admissa, urgebat illos Augustinus parvulos non baptizatos privandos esse etiam vita æterna. Quod ut evinceret, allegabat Ioannis textum: *Nisi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis*. Porro parvuli, nisi baptizentur, nequeunt fieri participes corporis Christi. Ergo parvuli non baptizati privantur tum regno Dei, tum salute æterna. In testimoniis itaque quæ opponuntur, Augustinus, Innocentius, & Gelasius loquuntur de parvulis non baptizatis; & in hypothesi in qua regnum Dei distinctum quid sit a vita æterna, ut Pelagiani delirabant: & evincunt, parvulos istos non baptizatos tam regno Dei, quam salute æterna carere. Ceterum S. Augustinus, scribens adversus Semipelagianos, qui fictitiam distinctionem Pelagianorum inter regnum Dei & vitam æternam reiecerunt, luculentissime communem Catholicorum doctrinam defendit, nempe parvulos cum solo baptismo absque Eucharistia decedentes salutem assequi æternam. Si plura cupis, lege citatos Auctores.

X. Quæst. III. *Eucharistia est ne necessaria vi divini præcepti?* Resp. Quamvis aliqui negaverint hoc divinum præceptum; tamen Theologi communiter omnes cum S. Thoma *III. Part. quæst.* lxxx. *art.* II. defendunt hoc divinum mandatum; probantque verbis Christi Domini: *Nisi manducaveritis carnem &c. Hoc facite in meam commemorationem*. Nec Catholicorum aliquis absque manifesto errore, in Concilio Tridentino *sess.* XIII. iam proscripto, oppositum sustinere valet.

XI. Quæst. IV. *Quinam hoc divino præcepto obligantur? An soli baptizati, an etiam non baptizati?* Resp. Leander *tract.* VII. *disp.* II. *quæst.* II. defendit, solos baptizatos huic præcepto subiectos esse: & pro hac sententia laudat Sotum, Bonacinam, Candidum, & alios. Verum probabilior mihi opinio contraria est, nempe, exceptis parvulis, omnes adultos hoc divino præcepto obstringi, sive baptizatos, sive non baptizatos. Quoniam divinum mandatum absolutum est, & universale: ergo omnes comprehendit. Nec est quod opponatur, non baptizatos capaces non esse Eucharistiæ. Ergo ad illam non tenentur. Consequentia falsa est: tenentur quippe se aptos ad illam percipiendam reddere baptismum suscipiendo. Instabis. Qui baptismo carent, non tenentur sacramentaliter confiteri: ergo neque Eucharistiam sumere. Negatur consequentia. Confessio sacramentalis non

non præcipitur, nisi pro peccatis post baptismum perpetratis; Eucharistiæ vero communio omnibus adultis absolute iubetur.

XII. Quæst. V. *Quandonam obligat præceptum istud divinum?* Resp. Theologi nonnulli defenderunt, obligare dumtaxat semel in vita. Verum sicuti damnatæ sunt opiniones illorum qui dicebant, sufficere semel in vita amare, credere, sperare in Deum; ita proscribenda videtur opinio hæc quæ obligare semel tantum in vita præceptum divinum de Eucharistia sumenda docet.

XIII. Obligat igitur hoc præceptum potissimum in mortis articulo: quoniam tunc maxime urget præceptum, cum potissimum finis præcepti necessarius est. At coniunctio cum Christo, quæ est finis præcepti, maxime necessaria est mortis tempore. Ergo tunc præsertim observantia præcepti urget. Consuetudinem deferendi ad infirmos sacrum viaticum antiquissimam asserit Tridentinum Concilium *sess.* XIII. *cap.* VI. Ipsum Concilium Nicænum I. *can.* XII. antiquam hanc consuetudinem servandam *can.* XIII. præscribit, sumendi scilicet sacrum viaticum.

XIV. Quæst. VI. *Qui paullo antequam incideret in mortis periculum, communicavit, astringitur ne iterum sumere sacrum viaticum?* Resp. Negant Paludanus, Suarez, Reginaldus, Layman, & alii, asserentes eum qui uno, duobus, aut etiam octo diebus ex devotione communicavit, non astringi ad viaticum suscipiendum. Sed probabilior est contraria sententia, & communior. Quandoquidem per opus non præceptum non impletur præceptum. Divinum autem mandatum ex communi Ecclesiæ interpretatione obligat in mortis articulo, ut contra hostes hoc divino præsidio muniamur. Ergo hoc mandatum non impletur communione ex devotione peracta. Qui sabbato ante dominicam palmarum ex devotione communicaret, non impleret præceptum paschale; sed deberet dominica sequenti, seu infra tempus paschale iterum sumere Eucharistiam, ut præcepto ecclesiastico satisfaceret. Ergo idem de divino mandato dicendum est. Quare falsum existimo quod P. Viva *quæst.* IV. *art.* 2. docet, nempe posse satisfieri præcepto per opus non præceptum, ita ut ille qui mane ex devotione audivit Missam, possit satisfacere supervenienti præcepto imposito ab Episcopo. Heinc contendit ille cum aliis, non teneri eum qui ante octo dies communicavit ex devotione, sumere viaticum, si incidat in mortis extremum.

XV. Quid, si eodem die quis Eucharistiam ex devotione percepisset, & post in mortis extremum incideret? Leander *quæst.* VI. cum pluribus aliis adfirmat, hunc debere eodem die sumere viaticum: quia licet vetitum sit bis eodem die sumere Eucharistiam extra Missam; in hoc tamen casu vetitum id non est, cum viaticum sumatur ad implendum præceptum divinum. Communior tamen opinio defendit probabilius, non debere illum qui eodem die communicavit, iterum Eucharistiam sumere: quia cum præceptum divinum obliget ex communi interpretatione Ecclesiæ, praxis Ecclesiæ non est ut quis eodem die bis communicet. Neque casus iste inter exceptos numeratur. Qui tamen ferventi amore succensus, hoc sacrum viaticum peteret hac intentione, ut securius satisfaceret divino mandato, num sit eidem denegandum, iudicent prudentiores, & doctiores.

XVI. Qui semel sumpsit viaticum, si post incidat in peccatum, non tenetur iterum eodem, aut altero die communicare pro viatico sumendo. Si vero plures dies supervixerit, puta octo, aut decem dies, poterit eidem iterum illud administrari.

XVII. Oppones contra ea quæ dicta sunt. Si præceptum divinum urgeret in articulo mortis; non posset Ecclesia privare aliquem criminosum tempore mortis communione: & tamen aliquando id præstitit. Resp. Numquam Ecclesia universa legem tulit de neganda moribundis pœnitentibus Eucharistia; immo opposita lex in Concilio Nicæno sancita est. Ecclesiæ particulares, ut Hispanica, Africana, Gallicana, interdum iis qui tempore mortis pœnitentiam agebant, denegarunt Eucharistiam: quia præsumebant, non virtutis amore, sed formidine pœnæ istos pœnitentiam agere. Idque præstiterunt ad aliorum terrorem, & correptionem. Et sicut potest iudex reum cibo privare; ita Ecclesia potuit alicui peccatori in pœnam criminum hunc divinum panem subducere. Hæc tamen disciplina iamdiu antiquata est. Et hodie tenentur iudices concedere reis ad mortem damnatis tempus sufficiens pro sumenda Eucharistia, ut communis sententia docet. Aliqui contendunt, eodem mortis die non esse eiusmodi damnatis a iudice administrandum hoc sacramentum. Sed communis sententia oppositum docet. Si enim iis qui morte naturali decedunt, administratur; cur non & iis qui morte violenta plectendi sunt, dummodo dispositi reperiantur? Disputant etiam, utrum una hora, antequam morte plectantur, sint communicandi. Si necessitas urgeat,

geat, non video quid impediat. Non irreverentia adversus sacramentum: nam certum est species sacramentales spatio unius horæ consumi. Ex alia parte urget divinum præceptum sacri Viatici sumendi.

XVIII. Quæst. VII. *An hoc divinum præceptum pluries obliget?* Resp. Certum est, hoc divinum mandatum pluries obligare extra mortis articulum. Regula tamen generalis præscribi nequit. Ecclesia pro hominum communitate statuit semel in anno peragendam communionem sacramentalem esse. Quisque fidelium, propriæ infirmitatis, & necessitatis conscius, & prudens Confessarius qui conscientiam illius dirigit, frequentiam istius medicinæ statuere possunt. Verum de hoc infra.

XIX. Quæst. VIII. *Hoc divinum præceptum obligat ne ut Eucharistia sub utraque specie sumatur?* Resp. Distinguenda est a præcepti obligatione disciplinæ usus. In Ecclesia Græca usque ad hodiernum diem; in Latina usque ad XII. sæculum consuetudo obtinuit communicandi laicos sub utraque specie. A sæculo XII. usus solius speciei panis in Ecclesia Latina sensim prævaluit. Sæculo XIV. ineunte, nonnulli Bohemi capere Ecclesiæ Latinæ disciplinam ausi sunt, qui dicti fuere *Calixtini*: quorum audaciam ut comprimeret Concilium Constantiense, ann. 1415. statuit servandam esse disciplinam diu invectam, & pro lege habendam, communicandi nempe sub unica specie. Quam legem confirmavit Concilium Basileense anno 1435. Pacis tamen amore Bohemis concessit facultatem communicandi sub utraque specie; dummodo agnoscerent, hanc communionem non esse præcepto divino necessariam. Lutherus modo dixit, tyrannidem sapere, subtrahere laicis calicem; modo indifferentem talem ritum agnovit. Calvinus *Lib. IV. Instituf. cap.* XVII. §. 14. more suo debacchatur, & furens inquit, ex officina diaboli prodiisse legem quæ dimidiam cœnæ partem Christianis suffuratur.

XX. Duplicem hic quæstionem Theologi instituunt. Prima est, utrum communio sub utraque specie non sacrificantibus necessaria sit necessitate aut sacramenti, aut præcepti divini. Quam controversiam definivit Concilium Tridentinum *sess.* XXI. *can.* I. his verbis. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit.* Definitio hæc fidei est, eruta ex divinis Scripturis, & constanti traditione. Scripturæ divinæ obviæ sunt. Ioan. VI. dicitur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et Sanctus Lucas Actorum II. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.*

XXI. Traditio quoque suffragatur. Nam supra ostensum est (neque id revocari in disputationem a novatoribus potest) primis Ecclesiæ sæculis consuevisse fideles eucharisticum panem secum deferre & domum, & in deserta loca. Nullibi fit mentio, illos secum detulisse vini species. Frequenter asseritur, viros panem eucharisticum suscepisse nudis manibus, mulieres nitido linteolo, quod *Orarium*, vel *Dominicale* appellabatur. De vase idoneo ad suscipiendas vini species altum silentium. Porro sicuti meminerunt & manuum, & linteoli pro suscipiendis panis speciebus; ita profecto narrassent vas, aptum ad recipiendum sanguinem, fuisse aut argenteum, aut cupreum, aut vitreum, aut ligneum, aut testaceum. Sed altum est apud ipsos silentium. Cur? Quia vini species tum non semper concedebatur in his privatis communionibus. Accedit luculentum testimonium Tertulliani *Lib. II. ad uxor cap.* V. ubi inquit: *Non sciat maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Perspicue hic asseritur communio sub unica specie.

XXII. Innumera produci documenta solent utriusque Ecclesiæ tum orientalis, tum occidentalis, quibus evincitur, communionem sub una tantum specie interdum administratam fuisse. Nam Eucharistiam pro morientium viatico servatam olim fuisse, & sub una tantum specie administratam interdum, compertum est. Eusebius *Lib. VI. hist. cap.* XLIV. narrat, Serapionem quemdam in extremis constitutum, noctu puerum misisse ad Presbyterum, a quo Eucharistiam reciperet. Et cum Presbyter ægrotans ire non posset, puero exiguam Eucharistiæ partem consignavit, iussitque *ut aqua intinctam, seni in os instillaret: qua ille paullatim absorpta continuo animam exhalavit.* Paulinus in vita S. Ambrosii narrat, Honoratum Vercellensem Episcopum cælesti voce admonitum fuisse, ut Ambrosio iam iam moriturus succurreret, *qui descendens* (de superiori tabulato, ubi decumbebat) *obtulit Sancto Domini corpus: quo accepto, ubi deglutivit, emisit spiritum.* Nec negatur, aliquando infirmis datam interdum fuisse utramque speciem. Et aliquando panem, intinctum sanguine, datum fuisse scimus, & fatemur. Sed æque certo scimus, oppositum ritum tribuendi interdum unam solam speciem obtinuisse. Plurima alia documenta promere possem, quæ, cum sint obvia apud Theologos, qui ex instituto, non obiter, ut ego, quæstionem versant, prætereo. Et infantibus datam fuisse communionem sub unica tantum specie, tum in Græca, tum in Latina Ecclesia, & adultis in publicis synaxibus, luculenta extant & Patrum, & Conciliorum documenta.

XXIII. Theologicis ratiociniis breviter, quæ dicta sunt, confirmantur. Nam illa communio legitima & sancta est in qua totus & integer Christus percipitur, & tota sacramenti ratio, & gratiæ fructus continentur. Hæc omnia in unica tantum specie habentur. Ergo ritus tradendi unicam tantum speciem legitimus est. Minor propositio ex iis quæ supra dicta sunt, patet. Siquidem Eucharistia significat Christum præsentem, eius passionem, mortem, refectionem animæ spiritualem, & unionem fidelium inter se, & cum Christo. Porro hæc omnia unica tantum species significat: quia sub unica specie panis vi verborum est solum corpus Christi, sicut solus sanguis sub specie vini: quæ separatio exprimit Christi mortem & passionem. Heinc consequitur, virtutem & gratiam sub unica quoque specie contineri: quia gratia non ex symbolis ipsis, sed ex re contenta, nempe Christo, manat. Nec negatur, expressiorem haberi significationem mortis, & passionis Christi sub utraque specie: sicut triplex immersio in baptismo clarius exprimit Trinitatem. Sed quid inde? Propterea ne trina immersio necessaria est ad baptismi naturam? Nemo id dixerit. Sat ergo est verum & integrum sacramentum in una tantum specie haberi, & omnem gratiæ fructum ad salutem necessarium inde percipi. Utrum porro maior gratia percipiatur ex duplici quam ex una tantum specie, controversia est inter Theologos, quam definire noluit Concilium Tridentinum. Negantem ego opinionem probabiliorem existimo.

XXIV. Tandem quis dixerit, Ecclesiam Romanam universam passam esse sibi auferri rem necessariam ad salutem, quin ullus ex eadem reclamaverit? S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXX. *art.* 12. narrat disciplinam sui temporis, quæ in quibusdam Ecclesiis porrigebat utramque speciem, in plurimis aliis unam solam; eamque probat. Post obtinuit usus universalis administrandi unicam speciem. Et nemo unus vocem extulit. Quis porro dixerit, tum laicos, tum Ecclesiasticos omnes ita cæcutiisse, & tam denso ignorantiæ velo obductos fuisse, ut nescirent rem ad salutem necessariam; & neminem contradixisse, neminem reclamasse contra subtractionem calicis? Quid quod, cum primum Petrus Desdrensis necessitatem utriusque speciei intrudere conatus est, universa Ecclesia in Concilio Constantiensi, & Basileensi erroris novitatem profligavit? Ad disciplinam usum unius, aut duplicis speciei attinere, semper Theologi omnes fassi sunt. Commentitia ergo est necessitas utriusque speciei, quam post Petrum Desdrensem iactant novatores.

XXV. Quæst. IX. *Prudenter ne Ecclesia subtraxit laicis calicis usum; & an illum permittere expediat?* Resp. Ad primam partem quod attinet, adfirmant Catholici omnes. Rationes subtractionis assignat Concilium Basileense. Princeps est grave effusionis periculum, quod frequenter contingebat. Sæpissime enim sanguinis guttæ decidebant, & aut barbam, aut vestes tingebant. Altera est vini penuria, non modo in regionibus septentrionalibus, aliisque regnis, sed etiam in multis pagis, & villis, ubi ob incolarum paupertatem vix haberi vinum potest sufficiens ad sacrificium offerendum. Præterea vinum ex remotis regionibus delatum, sæpe corrumpebatur; & non raro conquerebantur fideles sibi vinum corruptum ministrari. Tertia horror quem multi concipiebant, dum bibere oporteret ex eodem calice, metuentes aut contagiosum aliquem morbum, aut halitus fœtidos, quos efflare viles homines solent. Heinc inceptus usus sæculo XII. tribuendi solam panis speciem cito invaluit. Et tantum abest quod aliquis reclamaverit, ut S. Bonaventura sæculo XIII. in *IV. dist.* XI. asserere non dubitaverit: *Quod dicitur utramque speciem accipi oportere, hæresis plane est.*

XXVI. Quantum ad secundam partem certum est, Ecclesiam posse usum calicis concedere; cum ritus iste ad disciplinam pertineat. An aliquando expedire possit, & reipsa expediat, talem ritum permittere, Synodus Tridentina declaravit, supremi Pastoris esse decernere, quid temporum, & locorum circumstantiæ postulent. Hactenus experientia compertum est, concessionem hanc plura peperisse absurda. Et præsertim hæretici ex huius ritus concessione magis firmarentur in proprio errore de necessitate utriusque speciei. Nam vel novatores existimant usum calicis ad salutem necessarium; aut secus. Si primum; non est illorum hæreticus error confirmandus. Si secundum; cur

cur ipsi non accedunt universali disciplinæ Ecclesiæ? Ritus variabilis est. Cur ipsi, propria disciplina relicta, non obtemperant universæ Ecclesiæ, unde descivere? Quæ dico, experientia patent. Pius IV. quibusdam in Germania laicis calicis usum impertiit. Quid hinc? Iacobelli hæresis excitata fuit. Martinus V. communicavit laicos in die paschatis sub utraque specie, quos inter, medicum quemdam Bohemum, qui continuo clamitare cœpit, Pontificem Summum tandem adprobasse hæresim Iacobelli. Quamobrem & S. Pius V. & Gregorius XIII. revocare coacti fuere concessionem Pii IV. Tandem in Concilio Florentino plures Principum Oratores tum ad pacandos hæreticorum motus, tum ad Catholicorum plurium vota explenda, usum calicis postularunt. Verum, cum Oratores audissent a Patribus, ex tali indulgentia efferatiores semper evasisse hæreticos, & plura consecuta fuisse absurda, luculentis adductis testimoniis, Legati, evidentia facti persuasi, a postulatione recesserunt.

XXVII. Opponunt 1. heterodoxi cap. VI. Ioan. *Nisi manducaveritis* &c. *& biberitis eius sanguinem* &c. Item: *Bibite ex eo omnes*. Resp. Fide mala opponunt novatores laudatum *S. Ioan. cap.* cum perfricte ipsi incientur, sermonem ibi esse de Eucharistia; sed de fidei manducatione præfata verba intelligenda effutiant. Ceterum respondent Catholici, negantes in laudatis verbis contineri præceptum sumendi utramque speciem. Siquidem qui unicam panis speciem sumunt, carnem, & sanguinem revera accipiunt: nam probatum supra est sub unica specie totum & integrum Christum contineri. Verba Matthæi, *Bibite ex eo omnes*, solos Sacerdotes spectant. Et hunc esse germanum horum verborum sensum, pluribus evincunt argumentis Theologi catholici, quæ non vacat referre.

XXVIII. Opponunt 2. Communio accipienda est in commemorationem passionis Christi. Sed passio Christi non repræsentatur sola panis communione; cum hæc non repræsentet sanguinis effusionem. Ergo utraque species necessaria est. Resp. Eucharistia considerari debet & ut sacrificium, & ut sacramentum. Sacrificium immolatio quædam est, quæ fit, dum seorsim sanguis, & corpus consecrantur. Sacramentum autem est signum sensibile corporis Christi pro nobis immolati. Hæc autem sacramenti ratio perfecte salvatur in unica specie. Sapienter de more S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxx. *artic.* 12. *ad* 2. inquit: *Perfectio huius sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus corpus sumat sine sanguine; dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque*. Hoc pacto sæculo XIII. scribebat Angelicus, quando indifferenter alicubi unica tantum, alicubi utraque species administrabatur. Plura alia quæ obiicere solent, prætereo, cum nullius prorsus momenti sint.

XXIX. Quæst. X. *Quid sit communio laica, peregrina, & præsanctificatorum?* Resp. Laicæ communionis diversa sunt placita. Aliqui censent illam fuisse quæ sumebatur a Sacerdotibus quibus in pœnam alicuius criminis permissum consecrare non erat: ideo de manu alterius Eucharistiam sumebant. Sed hæc opinio reiicitur: quia communio laica imponebatur Diaconis, & inferioribus Clericis graviter delinquentibus. Alii contendunt, communionem laicam fuisse illam qua sub una dumtaxat specie Eucharistia porrigebatur; ac si clericalis fuerit sub utraque specie; quod falsum est. Nam quando obtinebat usus communionis laicæ, tam Clerici, quam laici communicabant, si volebant, sub utraque specie. Quidam existimant, communionem laicam fuisse illam qua communicans speciem panis tangere poterat, secus calicem, quem in actu sumptionis, tangere Clerici poterant. Verosimilior opinio est, laicam communionem fuisse illam qua laici extra locum Presbyterii communicabant; clericalem e contrario, quæ fiebat intra ipsum Presbyterium.

XXX. Communio *peregrina* ea videtur fuisse quæ dabatur Sacerdotibus, & Clericis qui sine licentia Episcoporum peregrinabantur. Et hæc a laica non differebat, nisi quod peregrinantium esset.

XXXI. Communio *præsanctificatorum* est sumptio Eucharistiæ, non eodem die, sed uno, vel plurimis diebus antea sub specie panis consecratæ. Hanc communionem percipit Sacerdos die parasceves in Ecclesia Latina, & in Ecclesia Græca tempore Quadragesimæ, exceptis sabbatis, & dominicis diebus. Hæc præsanctificatorum communio peremptorium argumentum est contra hæterodoxos communionis olim perceptæ sub unica tantum specie.

CAPUT X.

De effectibus Eucharistiæ, quorum descriptione cordis amor erga augustissimum sacramentum accenditur.

I. SI quo feracior, atque fecundior fundus est, eo uberiorem parit messis copiam; quis manifestare pro dignitate poterit fructus augustissimæ Eucharistiæ, quæ Christum continet, omnium gratiarum, donorum, virtutum, & bonorum fontem perennem, & inexhaustum? Hactenus steriles quodammodo disputationes habuimus aut adversus heterodoxos, aut contra quorumdam Casuistarum laxas, vel nimium subtiles opinationes. In præsentia lubet lectorum corda paullisper post agitatam mentem pulsare, ne sterilis omnino sit oratio nostra. Paucos ex plurimis istius sacramenti effectus exponam.

II. *Primus effectus* augmentum gratiæ est. Sacramenta omnia gratiam producunt; aut primam, ut baptismus, & pœnitentia; aut secundam, ut Eucharistia cum ceteris. Confirmatio frontem armat ad Christum in totius mundi conspectu confitendum. Eucharistia corda hominum confirmat, ut opportune S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxii. *art.* 9. *ad* 2. docet. *Principium fortitudinis est in corde, sed signum apparet in fronte: unde dicitur Ezechiel.* III. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. *Et ideo sacramentum Eucharistiæ, quo homo in se ipso confirmatur, pertinet ad cor, secundum illud Psalm.* CIII. Panis cor hominis confirmet. *Sed sacramentum confirmationis requiritur in signum fortitudinis ad alios; & ideo exhibetur in fronte*. Mutuas vires hæc duo præsertim sacramenta instaurant, roborant. Vigor cordis, panis manducatione firmati, ad frontem ascendit, & gratiam confirmationis ad suos pariendos effectus quadam veluti spirituali pinguedine roborat. Desunt verba, & mens ipsa hebescit in hac cælestium effectuum explicatione. Pulcherrima similitudine rem explicat Ludovicus Granatensis. Quantumvis in adultam arborem, diffusam in ramos, floribus indutam, fructibus onustam, intendamus obtutus, adolescere non videmus. Similiter animæ nostræ, quæ planta spiritualis est, incrementa describere, & videre non valemus: sed ex fructibus, ex animi demissione, ex caritatis ardore, ex patientia, & mundi contemptione, ex constantia in mandatorum observantia, vitæ spiritualis augmentum, & profectum conspicimus.

III. *Secundus effectus*. Intima cum Christo, & cum fratribus coniunctio. Concilium Florentinum hunc effectum in *decret. de Euchariſt.* exponit his verbis. *Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius unitur; consequens est quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, sacramentum hoc quoad vitam æternam spiritualem: in quo gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum*. Similia habet Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* VII. Coniunctio hæc moralis, non physica, nexus cordium est, & veluti transmutatio, ut inquit Augustinus. Cyprianus *serm. de Cœna Domini*, sive Auctor eiusdem sermonis, inquit: *Nostra, & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec unit substantias; sed affectus consociat, & confœderat voluntates*. Similitudine valde accommodata hanc mirabilem coniunctionem repræsentat S. Cyrillus Lib. IV. in cap. XVII. Ioannis. *Si quis ceræ liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur*. Hanc cum Christo unitatem necessario consequitur reciproca inter fideles coniunctio. Christus centrum est, & fideles lineæ, quæ omnes in hoc centrum tendunt, & veluti in eodem conquiescunt. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus*: inquit Apostolus. Sacra hæc fidelium Catholicorum, sacramentum istud frequentantium, concordia, plus ad confirmandam adversus heterodoxorum blasphemias Eucharistiæ veritatem valet quam sexcenta miracula, ut Chrysostomus *homil.* XXXIII. *in I. Cor.* inquit. *Etsi sexcenta miracula edant, dum dissident inter se, ridiculi ceteris erunt. Quemadmodum etsi nullum signum edant, diligant autem se se vere, suspiciendi invictique omnibus mortalibus permanebunt. Nam & Paulum eam ob rem miramur magis quam ob mortuos suscitatos, leprasve mundatas. Stupenda vox est*: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror? *Sexcenta narra mihi miracula: nullum huic æquiparandum adduces*. Hæc altius, & continenter meditanda

sunt,

sunt, præsertim Sacerdotibus quotidie sacrificantibus.

IV. *Tertius effectus*. Spiritus delectatio, & interna cordis dulcendo, ut Angelicus Doctor *III. P. quæst.* lxxii. *art.* i. *ad* 2. declarat. *Ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, secundum illud Cant.* v. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi*. Suavitatis huius divini cibi ineffabilis, manna, unde omnis sapor profluebat, figura fuit. Et Profeta Isaias *cap.* xxv. huius cælestis convivii castissimas voluptates ita prædixit. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc convivium pinguium, & convivium vindemiæ: convivium pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ*. Deliciæ istæ cuiusque impuritatis expertes sunt; cum ex Christi intima præsentia, & tenerrimo amplexu manent. Pauci experiuntur divini convivii voluptates, super mel & favum dulciores: quia terrenorum delectatio, & carnalium illecebrarum humor veneficus cordis palatum inficit. Mutat homo gloriam suam in similitudinem vituli, comedentis fenum; & anhelans Ægyptias carnes, cæpas, allia, & cucumeres, percipere divinas suavitates non potest. Evacuandus stomachus est terrenis oblectamentis, abalienandus animus veluti infantes a maternis uberibus, ab anxiis curis, sollicitudinibus, & negotiis mundi, si gustare quam suavis Dominicus sit velimus. Alioquin, si corde sicci, inquit eloquentissimus Vincentius Contensonius *Lib. XI. part.* ii. *diss.* iii. *cap.* ii. mente acidi, viribus languidi, spiritu frigidi divina frequentabimus mysteria, lambemus quidem petram; sed inde nec mel sugemus, nec oleum: quin nec aliqua caritatis dulcedine, nec Spiritus sancti pinguedine vegetabimur. Cito commutare terrenas delectationes in divinas suavitates valemus, ut S. Augustinus *Lib. IX. Confess. cap.* i. admonet. *Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum! Eiiciebas enim eas a me, vera in & summa suavitas: eiiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior*. Carent non raro his sacris deliciis etiam viri iusti, tum in pœnam venialium culparum, quæ fervorem remittunt, & internam lucem aliquantulum obnubilant; tum ex arcano divinæ providentiæ, quæ dilectos suos languere interdum sinit, ut illorum probet constantiam, & cælestium consolationum subtractione sitim excitet ardentiorem, eosque ferventiores in precatione, atque continua postulatione efficiat. Memoriæ commendandum est pientissimi Thomæ de Kempis *Lib. IV. de Imit. Christi cap.* xv. monitum. "„Oportet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conservare, studiose cum ea operari, ac Deo terminum, & modum supernæ visitationis, donec veniat, committere. Humiliare præcipue te debes, cum parum aut nihil devotionis interius sentis; sed non nimium deiici, nec inordinate contristari. Dat sæpe Deus in uno brevi momento quod longo negavit tempore: dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare. Si semper cito gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabile. Propterea in bona spe, & humili patientia expectanda est devotionis gratia . . . Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit, seque ab omni inordinato amore, seu displicentia cuiuslibet rei creatæ evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua invenerit; & quanto perfectius infimis quis renuntiat, & magis sibimetipsi per contemptum sui moritur; tanto gratia clarius venit, copiosius intrat, & altius liberum cor elevat."

V. *Quartus effectus* est spirituale robur adversus dæmonis tentationes, mundi præstigia, & peccatorum illecebras. Quamobrem Tridentina Synodus *sess.* xiii. *cap.* ii. hoc sanctissimum sacramentum vocat *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservamur*. A peccatis nos hoc divinum antidotum præservat, tum vires per gratiam, infusasque virtutes augendo, tum auxiliorum copia, quæ tantum sacramentum comitatur, tum denique malignos spiritus propulsando. Reformidant enim divinæ maiestatis præsentiam superbi spiritus, nec audent illuc ubi peculiari modo residet, accedere. Porro si victoria dæmonum, si a peccatis mortiferis immunitas, si perseverantia in virtutum, & sanctitatis exercitio effectus est divinissimi sacramenti huius; suspectæ profecto sunt illorum communiones qui frequenter in gravia prolabuntur flagitia. Quis dixerit, validam esse medicinam illam quæ numquam ægrotum sanat? Quis dixerit, optimum esse cibum illum quo pasti homines debiliores, non robustiores fiunt? Magna utique est infirmitas nostra, morbi multi & gra-

graves, a quibus, usquedum peregrinamur a Domino, numquam perfecte convalebimus. Verum validiora sunt remedia quæ nobis cælestis medicus applicat, suaque natura gratiam producunt sanitatis. Si ergo mens nostra tetris semper imaginibus, & vitiorum larvis obruitur; si cor in vitiorum luto marcescit, & terrenæ illecebræ animum occupant: qui fieri potest ut effectus sacramenti huius experiamur? Ad ignem accedere, & semper algere, cælestem fontem potare, & carnalia sitire, in Christi complexus irruere, & pietatis sensu, caritatis fervore, Deoque placendi studio carere, extrema adeo opposita sunt, ut nullam patiantur confœderationem.

VI. *Quintus effectus* remissio venialium peccatorum. Sicut enim quotidiano cibo reparantur corporis vires contra vim innati caloris naturalis; ita divino hoc epulo quidquid anima ex insita concupiscentia per leves offensas amittit, cum fenore redimit, & imminutum per peccata venialia caritatis fervorem rursus inflammat, & ardentiorem efficit. Hinc collige quam parum proficiant hoc divini cibi usu illi qui peccata venialia parvi faciunt, nullamque in iis cavendis diligentiam adhibent; quin, non secus ac virtutis opera, eadem deglutiunt. Quamvis peccata, sigillatim accepta, levia sint; tamen simul congregata animæ candorem, & decus denigrant, vestis nuptialis pulchritudinem deturpant. Si nemo, inquit Augustinus *ser.* ccxliv. sordida veste ad Ecclesiam pergere audet; qua fronte divinum complecti sponsum audes tot maculis, & sordibus pollutus? Distinguenda tamen sunt peccata venialia quæ nostram consequuntur imbecillitatem, ab iis quæ nostra deliberata voluntas parit. In illa incidere humanum est, & quotidianum; at hæc affectu prosequi, & deliberate repetere, malitiam redolet: quare secundæ huius classis peccata Eucharistiæ fructibus obsistunt: *Sed dicis* (inquit Augustinus loc. cit.) *peccatum quidem est, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus, quia peccatum capitale est. Sed tamen si frequentius exerceatur, & ieiuniis, & eleemosynis non redimatur, nimis immundam facit animam. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt. Nam & pluviarum guttæ parvæ sunt; sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu, qui dicis, quia parvum peccatum est, velim scire, quoties peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corde, & tot maculas, aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras, vel maculas fieri acquiescas; qua conscientia tot facere in anima tua non metuis? Ac sic quicumque hoc fecerit, plus amat vestem, ac carnem suam quam animam*. Diligentiorem ergo te exhibe in linguæ custodia, in curiositate coercenda, & in ceteris voluntariis culpis, quantumvis levibus, declinandis.

VII. *Sextus effectus* est remissio pœnæ, ut S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxix. *art.* 5. docet. Quoniam præcipuus Eucharistiæ effectus est augmentum caritatis. *Ex eius fervore* (inquit Angelicus) *aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ: inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris*. Numquam enim culpa remittitur, quin aliquid pœnæ remittatur. Effectus Eucharistiæ est remissio culparum venialium: ergo pœna quoque quæ illis debetur, sin minus tota, quoad partem saltem condonatur.

VIII. *Septimus effectus* est sensuum, & appetituum compressio, inquit Angelicus *loc. cit. art.* 6. *ad* 3. Quandoquidem *licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, inquantum auget caritatem: quia, sicut Augustinus dicit in Lib.* lxxxiii. *Qq. augumentum caritatis est diminutio cupiditatis*. Non extinguit Eucharistia fomitem, sed moderatur, & coercet, cordis castimoniam in ipsos appetitus quodammodo effundens. Animadvertit Cl. P. Contensonius *Lib. XI. part.* ii. *diss.* iii. *cap.* ii. quosdam apposite Ethicam appellasse animi agriculturam; aliosque officinæ ferrariæ eam comparasse. Siquidem, inquit, quemadmodum agros, sponte sua spinarum, & tribulorum feraces, non ornat modo, & mundat, sed fructibus etiam, & messium copia ditat agricultura; sic virtus, gratia cælesti fecundata, & Eucharistiæ robore munita, hominem natura rudem, concupiscentia lascivientem, vitiorum luto sordidum, squallidumque polit, ornat, illustrat, atque cælestium bonorum abundantia cumulat. Rursus si ferrariæ arti Ethicam comparas, quemadmodum inter malleorum ictus, flammarum crepitus, & fumos, follium flatus importunos, & repetitas incudis tunsiones, & pressuras elaborantur artefacta ad speciem pulchra, ad miraculum concinna, ad humanos usus perutilia; sic laboriosum virtutis opus ex passionum, & animi certamine, ex amoris carnalis, & cælestis conflictu splendidus emicat, ful-

fulgetque. Quamobrem suspectæ non parum illorum communiones sunt quorum passiones indomitæ & effrenatæ passim furunt, & mordent. Stupidus sit oportet illorum palatus ad divini epuli delicias, qui voluptatibus corporis inhiantes, porcorum manducant siliquas, & sordidis vitiorum dapibus saginantur; qui frena corpori laxant, & immaculatum Christi corpus in cor putridum immittunt. Hi non caritate unum cum Christo fiunt, sed iniquitate in dæmones transformantur, ut S. Petrus Chrysologus *serm.* I. inquit. *Sicut Domino qui se iungit, unus spiritus est; ita qui se iungit diabolo, est dæmon unus.*

IX. *Octavus effectus* est immortalitatis, & resurrectionis semen. Mors per esum ligni intravit in mundum: & per esum fructus ligni in quo pependit Salvator noster, morte devicta, ad immortalitatis vitam resurgemus, ut optime S. Petrus Chrysologus *ser.* IIX exponit. *Crucifixus est, ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum: & sepultus, ut officia tota mortis impleret, ut mors morte moreretur, ut ex illius semine corporis omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret, & levaretur in messem.* Non impedit utique Eucharistia quominus moriamur; at efficit ut morte hac temporanea, veluti instrumento quodam vitam comparemus immortalem. Audi S. Cyrillum Alexandrinum *Lib. IV. in Ioannem cap.* II. sic loquentem. *Discant, si velint corruptionis immunes esse, & ipsam ex prævaricatione ingruentem mortem exuere, necessario accedendum esse ad participationem eius qui vivificare potest, & qui corruptionem delet, & mortem destruit. Proprium enim istud revera, & convenientissimum vitæ secundum naturam opus est. Qui panem in se vitæ suscipiunt, præmium immortalitatis habebunt, & corruptionis, ceterorumque malorum expertes ad perpetuum & æternum illud christianæ vitæ spatium ascendent. Nec obstat quod iis qui facti sunt Christi participes, necessario mors degustanda sit. Nam licet humanitus eis mors accidat, tamen, ut Paulus Rom.* VI. *ait, vivunt Deo victuri.* Resurgent quoque infideles, & impii; sed ad supplicia, & pœnam æternam, morte ipsa acerbiorem. Qui vero bona egerunt, in vitam resurgent æternam.

X. *Nonus effectus* est perseverantia finalis, cui æterna vita succedit. Effectus iste corona est, & meta omnium donorum. Hac de caussa Patres Eucharistiam *viaticum* peregrinationis nostræ appellant, quatenus in huius cibi fortitudine, superatis hostium insidiis, æternitatis laurea obtinetur. Plurimæ sunt infirmitates quæ in hac lacrymarum valle animum nostrum circumdant, exagitant, affligunt. At sacro isto cibo pasti, fortitudinem cælestem induimus; & huius divini epuli sapor dulces efficit omnes exilii amaritudines.

XI. Ne vitio mihi vertas velim, lector benevole, si integrum caput istud insumpsi, ut brevi calamo immensas istius sacramenti divitias indicarem potius quam describerem. Tu piis meditationibus traditam doctrinam amplifica in corde tuo, & altius menti tuæ eam imprimito. Nemo dignoscere melius te valet, an cibus iste divinus recensitos pariat in anima tua effectus. Pignus habes hereditatis æternæ: vide, num fructus dignos æterna vita edas. Quid tibi, inquit piissimus Contensonius, cum terra, & humanis quisquiliis, si evectus es ad divina comparanda? Adeo ne tibi invides, qui elevatus ad regnum cælorum, brevi adeundum, velis ad siliquas, ad stercora vescenda descendere? Expergiscere tandem, & iacta in Domino curam tuam: nam qui se totum in Eucharistia donat, regnum suum non denegabit: qui se in escam porrigit in exilio, aconvivio æterno non arcebit in patria. Tantummodo animum tuum a voluptuosis huius vitæ illecebris abstine, & totus in ea incumbe quæ ad suavissimas agni nuptias viam sternunt. Verum de his plura mox subiungam.

CAPUT XL.

De dispositionibus tum animæ, tum corporis ad Eucharistiam digne suscipiendam.

I. DUo dispositionum genera distinguenda sunt. Primum removet impedimenta & obstacula, nempe peccata mortalia, a quibus munda sit anima oportet quæ suscipere hoc sacramentum velit; ut explicat *sess.* XIII. *cap.* VII. Concilium Tridentinum. *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte; certe quo magis sanctitas, & divinitas cælestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

II. Novatores quemadmodum multa sacramenta de medio sustulerunt, & aliorum naturam adulterarunt, sic eorum quæ admittunt, sacramentorum frequentiam impiis dogmatibus profanarunt. Lutherus adeo scelerate scripsit de dispositione ad eucharisticam communionem, ut vel ipse Antichristus impudentius, & scelestius scribere haud posset. Siquidem *concion. de præpar. ad Eucharist.* hæc eructare non formidavit. *Optima dispositio est nonnisi ea qua pessime es dispositus: & ideo pœnitentia potius post quam ante sacramentum digne peragitur. Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentum ea nixus fiducia, quod confessus est, quod non est sibi conscius mortalis peccati, quod orationes, & præparatoria sua præmiserit: omnes hi iudicium sibi manducant, & bibunt: quia his omnibus non fiunt digni, neque puri; immo per eam fiduciam puritatis petus polluuntur: fiunt autem puri per fidem.* Rursus contra Regem Angliæ Henricum VIII. sic insanit. *Furorem autem eius quo invehitur in me, quod docuerim fidem sine operibus optimam præparationem ad sacramentum, & Christianos non oportere legibus adstringi ad percipiendum, contemno.* Nonne hæc sola patefaciunt quam sit impia, quam horrenda reformatio protestantica? Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* XVII. §. 41. & 42. etsi non adeo effrenate adversus præparationem ad sacram cœnam debacchetur, contra tamen Catholicorum doctrinam non minus impudenter blasphemat, effutiens. *Quo huic ulceri mederentur, modum excogitarunt acquirendæ dignitatis, ut, quantum in nobis est, examine habito.... contritione, confessione, satisfactione nostram indignationem expiaremus.* Adversus hanc doctrinam, ex ipsis Scripturis haustam, hoc pacto insurgit tumens & furens. *Nunc iudicare promptum est, qualis sit hæc quæ in Papatu regnat doctrina, & a quo auctore profecta sit, quæ miseros peccatores, & trepidatione mæstitiaque afflictos huius sacramenti consolatione immani sua austeritate orbat, & spoliat.... Certe diabolus nullo maiori compendio homines perdere poterat quam sic eos infatuando, ne gustum, & saporem talis alimenti perciperent, quo eos optimus Pater cælestis pascere voluerat.* Diabolica ergo doctrina est ea quæ insinuat, accessuris ad Regis nuptias, abluendas sordes, delendas maculas, vestemque nuptialem induendam? Non ergo peccatores flagitiis onusti, luxuria sordidi, avaritia, odio, invidiaque perciti, carnalibus illecebris ingurgitati, & undique scelerum lue infecti pro viribus adlaborare debent ut animam suam a tam fœtida lepra, a tam putridis plagis, a tanta scelerum pravitate purgent, sanentque? Lustrare non debent intimos conscientiæ recessus, & angulos, & quas inveniunt vitiorum sordes expellere? Quis ad Regis mensam tam pollutis vestibus accederet? Sed mittamus delirantes istos reformatores, & Tridentini Concilii præscripta ob oculos revocemus. Hæc enim *loc. cit.* addit. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius* (S. Pauli) *præceptum:* Probet autem seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

III. Solam fidem pro dispositione ad Eucharistiam requirunt novatores, nihil curantes animam peccatorum plenam esse. Contendunt enim, hoc sacramentum ad peccata remittenda institutum esse. Quos duos errores damnavit Synodus Tridentina *sess.* XIII. *can.* V. & XI. his verbis: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea alios effectus non provenire; anathema sit.* Et rursus: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum; anathema sit.* Hanc doctrinam pluribus exemplis confirmavit ipsemet Christus Dominus, qui, ut habetur *Ioan.* XIII. discipulorum lavare pedes voluit, antequam ad sacrum epulum illos admitteret, ut animæ munditiem, & nitorem significaret ad illud requiri. *Matth.* XXII. severe animadvertit in illum qui ad regium convivium veste nuptiali destitutus accedere præsumpserat. In quo convivio adumbratam esse Eucharistiam Patres omnes testantur, simulque docent, absque fulgentissima caritatis habitualis veste accedendum non esse ad hanc sacram mensam. Peccatores, infidelesque omnes Christus ad baptismum, ad pœnitentiam vocavit, secus ad Eucharistiam, nisi post hæc suscepta sacramenta. Numquid vel ipsi novatores concedent, dandam esse Eucharistiam Iudæis, paganis, infidelibus, etiamsi fidem eiusdem mysterii se profiteri faterentur? Eucharistia spiritualis cibus est, qui non peccato mortuis, sed vivis datur, quorum vitam roborat, vegetat, confirmat. Hæc est traditio constans, & perpetua Ecclesiæ, ut constat ex Conciliis Eliberitano, Ancyrano, Nicæno I. Arausicano I. & ex unanimi Patrum consensu. Iustinus apolog. II. *Nulli alii participare licitum est quam ei qui ita vivit, ut Christus*

ſtus tradit. S. Ioannes Chryſoſtomus homil. lxxxiii. in Matth. *Nullus itaque Iudas aſſiſtat, nullus avarus: nam tales menſa non ſuſcipit. Ait enim: Cum diſcipulis meis facio paſcha*. S. Ambroſius Lib. VI. in cap. ix. Lucæ. *Ubique myſterii ordo, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cæleſtis exuberet*. S. Auguſtinus tract. xxvi. in Ioan. *Innocentiam ad altare apportate. Peccata, etſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite*.

IV. Opponunt illud Matth. xxvi. *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Præterea Eccleſia in liturgia precatur: *Hæc nos communio purget a crimine, ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium*. Item Patres teſtantur, hoc ſacramento morbos expelli, peccata deleri. Reſp. Chriſtus Dominum non dixit, bibi calicem in remiſſionem peccatorum; ſed ſanguinem ſuum per paſſionem fundendum eſſe in remiſſionem peccatorum. Spectanda quippe eſt Euchariſtia & ut ſacramentum, & ut ſacrificium. Ut ſacrificium Deo offertur in remiſſionem peccatorum; ut ſacramentum vero miniſtratur in vivorum alimoniam. Purgat autem a culpis venialibus, & a mortalibus præſervat, ut ſupra dictum eſt. Et hoc in ſenſu Patres loquuntur.

V. Diſputant Theologi, utrum ſaltem indirecte Euchariſtiæ ſacramentum peccata mortalia deleat. Caſum proponunt in eo qui bona fide accedit ad Euchariſtiam, invincibiliter ignorans ſe eſſe reum peccati mortalis, de quo ſaltem in genere imperfecte contritus eſt. Adfirmant omnes, ſaltem remote, & indirecte ex opere operantis, quatenus ſcilicet qui communicatur, ad præſentiam corporis Chriſti perfectæ contritionis actum edit, peccatum deleri. At in diſputationem adducunt, num ex opere operato in hac hypotheſi Euchariſtia peccatum remittat. Negant Vaſquez, Maior, Gabriel Turnely, Habert, & alii. Adfirmantem ſententiam defendunt S. Thomas, & communiter Thomiſtæ, & Scotiſtæ: item Suarez, Valentia, Tannerus, Coninch, & alii magni nominis Theologi. Legatur S. Thomas *III. Part. quæſt.* lxii. *art.* 7. *ad* 3. & *quæſt.* lxxix. *art.* 3. & *quæſt.* lxxx. *art.* 4. *ad* 5. ubi ſententiæ adfirmantis rationes promit. Nec enim quæſtio tanti eſt, ut eam ex inſtituto diſcutiam. Conſule quæ dicta ſunt *Lib. I.*

VI. Quæſt. I. *Qui poſt obtentam abſolutionem recordatur ſe aliquod perpetraſſe grave crimen, quod ex inculpabili oblivione non eſt confeſſus, debet ne ante communionem ad Confeſſarium redire?* Reſp. Adfirmat communis & vera ſententia, quando id abſque ſcandalo, & infamiæ periculo fieri poteſt. Siquidem probatio, & examen conſcientiæ, quod Apoſtolus requirit, debet iudicio Sacerdotis ſubiici. Et Tridentinum Concilium Sacerdotem cui neceſſitas imminet celebrandi non præmiſſa peccati confeſſione, præſcribit quam primum confiteri. Sacrilegium enim graviſſimum eſt cum conſcientia peccati mortalis ad tam auguſtum ſacramentum accedere, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* xcix. *art.* 3. inquiens: *Tertia ſpecies ſacrilegii, quæ circa res ſacras committitur, diverſos habet gradus, ſecundum differentiam rerum ſacrarum. Inter quas ſummum locum obtinent ſacramenta ipſa, quibus homo ſanctificatur; quorum præcipuum eſt Euchariſtiæ ſacramentum... & ideo ſacrilegium quod contra hoc ſacramentum committitur, graviſſimum eſt inter omnia*. Summa ergo diligentia explorandi ſunt intimiores conſcientiæ receſſus, ut latitantes ſordes expellantur.

VII. Quæſt. II. *Diſpoſitio neceſſaria ne eſt immunitas ab affectu ad peccata venialia?* Reſp. Non deſunt Theologi, & quidem magni nominis, docentes Euchariſtiam perceptam cum affectu ad peccata venialia, omni prorſus fructu carere. Abſurdum enim reputant, eodem actu quo quis peccat, ipſum ſanctificari. Immo contendunt peccare mortaliter illos qui obicem ponunt huic ſacramento ſive per peccata venialia, ſive per mortalia. Alii cenſent, peccata venialia non retractata impedire quidem fervorem caritatis, & remiſſionem venialium; non vero omnes ſacramenti huius effectus, præſertim gratiæ habitualis augmentum. Hoc ſolum Theologorum, & quidem graviſſimorum, diffidium ſatis eſſe debet ad deteſtanda quæcumque etiam venialia crimina; cum iuxta omnes, ſin minus ponunt gravem obicem, impediuntque omnes ſacramenti fructus, ſaltem caritatis fervorem diminuant, obſiſtantque ne venialia remittantur. Quæ cum vera ſint, quid iudicii ferendum eſt de tot Sacerdotibus quotidie offerentibus ſacrum Chriſti corpus, & ad plurima venialia affectum foventibus? Verum de hoc infra.

VIII. Affectus ad venialia peccata ſunt quædam animi ægritudines, & veluti febres tabidæ, quæ famem ſpiritualem extinguunt, deſiderium perfectionis ſuffocant, teporem, ſegnitiem, ignaviamque inducunt, faſtidium, & nauſeam generant, & tandem ſenſim ſine ſenſu ad mortem viam parant. Antequam ergo homo ad hoc tremendum ſimul, & miſericordiarum, ac gratiarum myſterium accedat, ſerio Apoſtoli *I. Cor.* xi. oraculum meditetur. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Pauca ſunt verba, ſed mirum in modum ſignificantia. *Probet ſe ipſum homo*. Sub examen inducat vitam, ſtatum, propenſiones, affectus, & univerſæ converſationis ſuæ rationes ſevere diſcutiat. Scrutetur, quinam ſint appetitus in corde ſuo dominantes, quam ſint caſtæ & ſinceræ amicitiæ quas fovet. *Probet*, non verbis ſonantibus, & ſingultibus, atque ſuſpiriis, quæ parum incommodant, & diſturbant adſtantes; ſed pœnitentiæ, & caritatis operibus. Alioquin *qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit*. Iudicium devorat indigne communicans; ſeu iam iudicatus, & damnatus eſt ſacrilegus corporis Chriſti profanator. Si Petrus tremens, viſo captorum piſcium miraculo, clamavit Lucæ v. *Exi a me, Domine, quia homo peccator ſum*; ſi Centurio indignum ſe reputavit qui in domum ſuam Chriſtum reciperet, immo nec adire ipſum auſus fuit, ſed amicos miſit qui pro ſanitate filii ipſum rogarent; ſi mulier illa quæ fluxum ſanguinis patiebatur, coram Chriſto ſe ſiſtere pertimuit, & retro dumtaxat tremebunda accedens, fimbriam veſtimenti tetigit: qua fronte ipſum ſacratiſſimum Chriſti corpus ſumere, & manducare audent Chriſtiani ſordibus polluti, libidine fœtidi, & pravorum affectuum luto hærentes? Diſtinguenda tamen ſunt peccata quæ imbecillitatem humanam comitantur, ab iis quæ deliberata electione perpetrantur. Qui peccatis etiam venialibus deliberate perpetratis contaminati, & affectum ad eadem foventes, manducare Chriſti corpus non reformidant, magno in diſcrimine verſantur in graviſſima prolabendi ſacrilegia. Inter flagitia vero mortalia luxuriæ potiſſimum ſcelus hac ſacra menſa indignum efficit Chriſtianum. Quandoquidem obſcena peccati carnalis libido mentem ſummopere hebetat, fervorem dilectionis ad cibum illum cæleſtem concoquendum penitus extinguit, & immundum brutum hominem efficit. Convivium enim iſtud caſtiſſimi ſponſi eſt, cuius ſaporem ſola caſta corda, & mundæ animæ percipere valent. Sancta Mater Eccleſia, Dei lumine illuſtrata, per plura ſæcula peccato præſertim luxuriæ pollutos hac ſacra menſa interdixit. Ex plurimis documentis unum in medium adducere liceat S. Martini I. ad Amandum Epiſcopum Traiectenſem datum. *Nullatenus in huiuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps iam depoſitus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipiſci; ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque aſſiduis, quoadusque vixerit, in eadem pœnitentia durare, ut commiſſum delictum, divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros ordines promovendos quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat; quanto magis, ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare?* Diaconi, & Sacerdotes in perpetuum a gradu deiiciebantur; laici vero a ſacra menſa arcebantur. Mutatus eſt diſciplinæ rigor; at mutata non eſt evangelica doctrina, quæ ſancta ſancte tractanda præſcribit.

§. I.

Plures aliæ quæſtiunculæ de præparatione ad communionem. Improbabiles PP. La-Croix, Viva, Tamburini, *& aliorum Caſuiſtarum opiniones refelluntur*.

I. HActenus nonnullas generales regulas tradidi circa illas diſpoſitiones quæ purgandam animam a quolibet crimine evincunt ante communionem. Nunc diſcutiendæ ſunt plures Caſuiſtarum opiniones, quarum non paucæ laxitatem produnt.

II. Quæſt. I. *An præceptum de præmittenda confeſſione ab eo qui eſt in peccato mortali, ſit divinum, vel humanum?* Reſp. Humanum dumtaxat eſſe, docent non pauci recentiores. Verum communior, & mihi vera ſententia docet, eſſe divinum, latum a Chriſto Domino, & declaratum a Paulo Apoſtolo his verbis: *Probet autem ſeipſum homo*. Hanc ſententiam docent Dominicus Soto in *IV. diſt.* xii. *quæſt.* i. *art.* 4. Suarez *diſp.* vi. *ſec.* 3. Vaſquez *diſp.* cvii. *cap.* iv. Filliucius *tractat.* iv. *num.* 12. Valentia *diſp.* vi. *quæſt.* viii. *punct.* 3. Lugo *diſp.* xiv. *num.* 69. Fagundez *præcep.* iii. *Lib.* III. *cap.* viii. Bonacina, Granados, Corneo, & alii plures, quos citat, & ſequitur Leander *quæſt.* xii. Rationes dedimus ſupra, quæ ad hanc revo-

revocandæ sunt: *Sancta sancte tractanda sunt.* Christianus ergo peccati mortalis reus, & habens Confessarii copiam, sanctitatem acquirere debet per confessionem sacramentalem, dum confiteri potest.

III. Quæst. II. *Quid sentiendum de interpretatione* P. Tamburini *in præceptum Concilii Tridentini, confitendi quam primum?* Resp. Si Sacerdos in peccato mortali celebravit, tenetur *quam primum* confiteri; ut declaravit Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* VII. his verbis: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Disputare non pauci Probabilistæ cœperunt, num hoc præceptum sit, an merum consilium. P. Thomas Tamburinus *Lib. de meth. Commun. cap.* I. §. 6. *num.* 49. refert utramque sententiam, & asserentem, & negantem, præceptum latum esse a Tridentino: & de more vi Probabilismi utramque probabilem adfirmat his verbis: *Equidem non possum priorem sententiam, agnoscentem in illis verbis præceptum sub mortali, non fateri probabilem. Aio tamen, & hanc non agnoscentem, esse probabilem.* Hanc Tamburini opinionem, quam etiam alii docuerunt, ut Villalobos, Ledesma, Machadus, quos refert ex Diana P. Viva in *Trutin. num.* I. damnavit Alexander VII. in hac propos. num. 38. *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Nullo modo ergo probabilis est. Retractatio Tamburini quam obtrudit P. Nocetius p. 214. in pluribus editionibus non est; in iis vero in quibus reperitur, illusoria est, quia post retractationem eamdem doctrinam tradit.

IV. Quæst. III. *Quid dicendum de interpretatione* P. Claudii La-Croix, P. Viva, *& aliorum in præfatum Tridentinum præceptum?* Resp. Commentum exponendum est, ut mihi videtur, valde laxum, & peregrinum. P. Claudius La-Croix cum pluribus aliis in disputationem vocat, num Sacerdos peccati mortalis conscius, qui Confessarii copiam habens celebret, non præmissa confessione, teneatur quam primum confiteri vi præcepti Tridentini. Video te commoveri, lector christiane, ob hoc solum quod in controversiam id adduci audias. Quid? Tenentur quamprimum confiteri Sacerdotes qui, urgente necessitate, carentes copia Confessarii, nequeunt confiteri: & ab hoc præcepto immunes erunt qui Confessarios obvios habentes, ex mera malitia confiteri recusant? Cuinam in mentem venire potest tam peregrinum interpretamentum? Audi quæ scribit P. La-Croix *Lib. VI. part.* I. *de Euchariſt. num.* 546. §. 4. Integrum, licet prolixum, commentum transcribo, ne adversarii de more clamitent, truncatum esse textum. „ Docent Suarez, „ Vasq. Say. Marchant. Nugn. Lugo *num.* „ 150. Diana *Part. II. tract.* XIV. *resp.* LXI. „ Dicast. *num.* 155. Avver. §. *quinto*, Ioan. „ Sanchez *disp.* XXXI. *num.* 12. Gob. *n.* 440. „ Peliz. *de Regular. Tom. VI. cap.* I. *n.* 69. „ Leander *num.* 375. & in hoc conveniunt „ fere omnes, inquit Moya *Tom. IV. qu.* VI. „ §. I. citans valde multos, *quod Sacerdos* „ *non teneatur hoc præcepto, si habens co-* „ *piam Confessarii non sit confessus ex mali-* „ *tia*: quia licet gravius peccet, tamen „ in præceptis positivis non valet argumen- „ tum a minori ad maius, vel ad simile, „ uti cum communi Lugo in *Resp. Mor.* „ *Lib. IV. dub.* 47. *n.* 5. *Tridentinum* autem „ loquitur de eo qui necessitate urgente ce- „ lebravit sine confessione prævia. Sed si „ fuerit copia Confessarii, non fuit necessitas „ urgens celebrandi absque confessione præ- „ via. *Ergo nec tunc tenebitur* ad confiten- „ dum quam primum. *Hæc sententia est* „ *probabilis.*“ Hanc eamdem opinionem defendit P. Dominicus Viva in Trutina in *prop.* 38. Alexandri VII. *num.* 12. item in *Curs. theologic. quæst.* IV. *art.* 7. *num.* 3. Hinc colligant Lectores qua sinceritate cavilletur P. Nocetius me tantum citasse La-Croixium & Vivam, quum auctores quos citat P. La-Croix, transcripserim.

V. Hæc opinio, salvo meliori iudicio, falsa, improbabilis, & laxa nimium mihi videtur; & in nihilum redigit Tridentinum præceptum. Quis, Probabilismi præiudiciis non præventus, melioris conditionis dixerit Sacerdotes qui ex malitia deliberata quam qui necessitate pressi ad tantum sacrificium celebrandum peccati mortalis conscii sine prævia confessione accedunt? Quis rem serio expendens, in animum sibi induxerit, Tridentinos Patres voluisse præcepto confessionis quamprimum peragendæ obstringere Sacerdotes qui eam necessario omiserunt, secus alios qui eam deliberate contempsere? Quid? In præceptis positivis non valet argumentum a minori ad maius? Hæc doctrina absolute, & nulla limitatione adiecta, falsa est. Concilium Tridentinum ad confitendum quam primum obligavit Sacerdotes peccati mortalis conscios, ex necessitate omittentes confessionem: quia præsumere noluit, Sacerdotes gravi scelere pollutos reperiendos fore qui ex malitia celebrare vellent, confessione non

non præmissa. Hanc doctrinam P. La-Croix, & aliorum in nihilum redigere Tridentini Concilii mandatum, patet. Nam Sacerdotes peccati mortalis conscii, ut hoc mandatum declinent, propositum elicient non confitendi, etiamsi desint Confessarii; aut peculiarem diligentiam adhibebunt, ut Confessarios inveniant, quibus repertis, confessionem contemnent. Tunc enim iuxta descriptam probabilisticam doctrinam a Concilii Tridentini præcepto immunes erunt. Sed quid diutius immoror in laxa opinione convellenda, quam communis sensus detestari videtur tamquam nimis captiosam?

VI. Sed lubet benignas rationes quas P. Tamburinus promit, ut Tridentinum præceptum de medio tollat, exscribere propriis ipsius verbis. Inquit enim *loc. cit. num.* 50. „ In casu dubio, an verba aliqua legis præ- „ ceptum obligans importent, an consilium, „ *tamquam regulam certam* ponunt Doctores, „ reputanda esse consilia, & non præcepta: „ & ratio est, quia, cum lex sit gravis & „ onerosa, SEMPER in benigniorem subdi- „ torum partem est intelligenda. Adde quod „ in dubio melior est conditio possidentis. „ Ergo in dubio, lex ne sit obligans, an „ non obligans, melior est conditio huma- „ næ libertatis, quæ a tali obligatione im- „ munis est.

„ 51. Tertio, quia *optabile est*, ut enixe „ optat Navarr.... *a legislatoribus neminem* „ *obligari ad peccatum*: & iuvat humanas „ leges sub præcepto obligantes diminuere, „ ne tanta præceptorum multitudine He- „ braeis peiores efficiamur. Quare hoc de „ quo agimus, præceptum (*confitendi quam-* „ *primum*) diminuere etiam operæ pretium „ est.“

VII. Operæ pretium ergo est præceptum latum a Tridentino diminuere, & de medio tollere. Cur? Ne præceptorum multitudine *Hebræis peiores efficiamur.* Quod Legislatores maturo studio curare debeant ne subditos legum multitudine opprimant, omnes cum S. Augustino, & Thoma fatentur. At quod subditi, & Casuistæ virgam censoriam in Legislatores, in Concilia ipsa œcumenica, ut est Tridentinum, extendant, & vanis commentis illorum præcepta extenuare præsumant, ausus videtur non ferendus. Aut prudenter, & maturo examine præmisso Concilium Tridentinum tulit hoc præceptum; aut secus. Si primum; qua fronte P. Tamburinus huc intrudit præceptorum multitudinem, & conditionem nostram peiorem esse conditione Hebræorum? Si secundum; imprudentiæ ergo, iniustæ oppressionis, & tyrannidis postulabit Tridentinos Patres? Nimis inconsiderate, ut mihi videtur, locutus est P. Tamburinus. Admissis recensitis regulis P. Tamburini, nutant ferme omnes humanæ leges. Hæc absurda Probabilismum consequuntur, ut quisque colligere facillime valet.

VIII. Quæst. IV. *Quandonam elicere actum contritionis debet laicus conscius peccati mortalis, qui urgente necessitate ad Euchariſtiam sine confessione accedit?* Resp. P. Thomas Tamburinus *loc. cit.* §. 7. *num.* 56. sequentem opinionem ut probabilissimam defendit. „ De laico non est difficultas. Satis „ enim est, si eliciat immediate ante ipsam „ sumptionem: & quia sumptio, seu man- „ ducatio substantialiter fit, cum cibum de- „ glutimus, seu traiicimus, non autem dum „ ille est in ore, quandosolum initiative est „ sumptio; ideo *probabilismum* puto, satis es- „ se, si actus contritionis fiat, cum ore ha- „ betur sacratissimahostia. Ita de Lugo *de* „ *Euch. disp.* XII. *num.* 22. Hurtad. *de Eu-* „ *char. dis.* VIII. aliique.“

IX. Quam sit hæc doctrina infesta sacramenti augustissimi sanctitati, cuique compertum est. Docent Probabilistæ, non esse ad sacramentum pœnitentiæ necessariam contritionem imperfectam; sed satis esse attritionem ex solo timore conceptam: quia contritio etiam imperfecta valde difficilis est. Nunc vero pro Euchariſtia suscipienda brevi momento, in instanti, atque repente perfectam contritionem edi posse præsumitur? Licitum erit sacratissimam Christi hostiam ore percipere illo ipso tempore quo anima diaboli captiva est? Corpus Christi in ore, & diabolus in corde resideat? Subdit tamen ibidem Tamburinus, peccare eum qui sine determinatione eliciendi contritionis actum accedit. Immo addit, difficile esse eum non peccare qui ad hanc brevem morulam contritionem differt: quia in magnum periculum se coniicit non eliciendæ contritionis. Usui tamen erit, concludit Tamburinus, præfata doctrina pro aliquo raro casu, quo receptus in ore Christus Dominus forte ipso divino tactu peccatricem illam animam illuminare, atque convertere non dedignabitur. Quæ Christus Dominus absoluta sua potestate, & infinita clementia agere possit, & velit, nostrum non est divinare; sed nostra interest peccatores docere quomodo se ad tantum sacramentum suscipiendum præparare debeant. Nostra interest, non commentis nostris arbitrariis, sed regulis a Patribus, a Con-

Conciliis, a divinis Scripturis præscriptis, Christianos instruere, ut animas a vitiis purgent, dignaque tabernacula efficiant pro tanto hospite recipiendo. Opinionem quam *probabilissimam* Tamburinus appellat, falsissimam, & laxitatis plenam ego existimo.

X. Sacerdotem qui post inceptam Missam alicuius peccati mortalis recordatur, debere elicere actum contritionis ante consecrationem, videlicet tempore *Memento*, docet idem Tamburinus *ibi num.* 57. Si vero post consecrationem recordetur, satis erit, si sese conterat immediate ante sumptionem. Nec obest, suddit, quod Sacerdos post consecrationem, & ante sumptionem debeat tangere corpus Christi: quia, inquit, probabilius est non peccare, nisi ad summum venialiter, Sacerdotem qui in peccato mortali tangit Christi corpus. Ex quibus hoc elicit consectarium *ibi num.* 59.

XI. „ Quamvis nonnulli cum Layman asserant, Sacerdotem mortali crimine deturpatum, mortaliter delinquere, si Eucharistiam fidelibus porrigat, tamen aliqui merito id negant, ut Vasquez, quem citat, „ & sequitur Lugo *disp.* VIII. *de sacram. in* „ *com. sect.* 9. quia tunc Sacerdos non conficit sacramentum, sed solum dispensat „ consecratum, ad quod tanta dignitas nequaquam requiritur. Idemque est de Diacono, quando ex speciali Sacerdotis commissione sacram Eucharistiam aliis porrigit. Siquidem tunc non conficit, sed solum dispensat. Si ergo *probabile* id est, „ quanto magis probabile fiet mortalem culpam non esse solum attingere? "

XII. Hæc omnia plus minusve falsa & laxa videntur. Ultimam quam recensui opinionem penitus falsam reputo. Sacerdos simul ac recordatur, sive ante, sive post consecrationem, adlaborare pro viribus debet ut contritionem edat. Tempore vero vel primi, vel secundi *Memento* curabit magis magisque fervorem contritionis accendere.

XIII. Quæst. V. *An præfatum Tridentini mandatum obliget etiam laicos?* Resp. Negantem opinionem defendunt Layman, Bonacina, Ioannes Sanchez, Lugo, Diana, Filliucius, & alii, quos citat, & sequitur Leander *disp.* VII. *quæst.* XLVIII. Probabilior mihi est opinio adfirmans: nam eadem fere ratio viget respectu laici, & Sacerdotis, licet solus Sacerdos a Tridentino expressus sit. Quod Probabilistæ reponere solent, non debere in odiosis fieri extensionem propter paritatem rationis, vanum est & arbitrarium. Odiosa ne sunt quæ reverentiam promovent erga augustissimum sacramentum? Scilicet, reponunt illi: quia nimis coercent hominum libertatem. Ideo, cum manifeste Tridentinum non comprehendat laicos, ad hos extendendum mandatum non est.

XIV. Addunt laudati recentiores, neque Sacerdotes teneri ad confitendum quam primum, dum conscii peccati mortalis non celebrant, sed ab alio Sacerdote recipiunt communionem. Excipiunt tamen Sacerdotem qui die parasceves celebrat Missam: quia licet non consecret, communicat tamen *sacerdotaliter*.

XV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 549. post relatas opiniones, quæ defendunt, & Sacerdotem celebrantem die parasceves, & Sacerdotem qui complet sacrificium alterius, deficientis post consecrationem, absque confessione peccati mortalis, debere quam primum confiteri, hæc adiicit. „ Recte tamen monet Dicastillo a *num.* „ 157. ista non esse adeo certa; & cum „ hæc materia sit odiosa, posset aliquis dicere *Tridentin.* intelligi debere in rigore „ de illo qui vere ipsemet celebret Missam, „ id est consecrat, & communicat. "

XVI. Mirifica est benignitas ista, quæ eo tota incumbit, ut ab hoc Concilii mandato nos eximat. Lex quæ favet sacratissimi corporis Christi honori, sanctitati, & reverentiæ, odiosa est? Cur? Quia iubet ut Christiani ad ipsum accedentes mundent a sordibus, & quidem gravibus, animam propriam media pœnitentia, a Deo ipso instituta. Et hoc principio *odiositatis* præcepta in laxiorem partem, faventem libertati humanæ, cum periculo profanandi sanctissimum Christi corpus, exponuntur, & declarantur. Quæ sequuntur, maiori sunt consideratione digna.

XVII. Quæst. VI. *Quid dicendum de opinione* P. Vasquez, *& Leandri, asserentium, Sacerdotem peccantem mortaliter in ipsius Missæ celebratione, non obstringi ad confitendum quamprimum?* Resp. Incredibile videtur paradoxon istud. Sed en verba P. Leandri *tract.* VII. *disp.* VII. *quæst.* I. ubi sic proponit quæsitum. *An Sacerdos qui in ipsa actione sacrificandi recordatur peccati mortalis, aut forte illud committit, teneatur postea ex vi dicti præcepti quam primum confiteri?* „ Probabiliter respondeo, non teneri „ eo præcepto: quia Concilium fuit locutum de Sacerdote qui *necessitate urgente* „ *absque prævia confessione celebravit*, idest „ de Sacerdote qui necessitate coactus non præ-

„ præmisit confessionem, antequam ad celebrandum sacrificium accederet: hoc „ enim clare significant illa verba, *prævia* „ *confessione*, idest confessione ante Missam: *non vero de Sacerdote qui celebrando* „ *committit peccatum*, aut illius recordatur. „ Ergo quantumvis tunc consecret, atque „ communicet absque confessione, non tenebitur postea quamprimum confiteri. „ *Sic Vasquez disp.* CCVIII. *cap.* III. *num.* „ 20. *Sayrus, Diana.* " Quæ lex consistere, admissis eiusmodi interpretamentis, valet? Qui scelus mortale perpetrat, dum ipsum sacrificium Deo immolat, non tenetur hoc præceptum implere, nempe quam primum confiteri? Paradoxon mihi hoc est inauditum. Quamobrem inepte argutatur P. Nocetius *p.* 222. ut mihi invidiam conflet, neque enim ego citavi verba Vasquezii, sed Leandri absolute asserentis Sacerdotem celebrantem actu peccantem non teneri ad confitendum *quam primum*, & pro hac sententia citantis Vasquez. Ipse autem Nocetius an artificiose omiserit verba Leandri, aliorum esto iudicium.

XVIII. Quæst. VII. *Quæ necessitas dicatur urgens, ut quis communicare possit, non præmissa confessione mortalium?* Resp. Innumeras accumulant quæstiones Casuistæ in hac explicanda necessitate. Paucis ego rem perstringam, missis ineptis commentis. Necessitas urgens dicitur 1. si alicui mors imminet. 2. si non sit copia Confessarii, & administrandum sit viaticum. Quamvis non desint qui negent, licitum esse ob administrationem viatici celebrare, non præmissa confessione; sicuti non est permissum ob hunc finem celebrare absque vestibus sacris, aut sub una tantum specie: nihilominus communior est opinio adfirmans. Similiter posse Parochum celebrare in die festo, ut parochiani Missam audiant, cum sola contritione, deficiente copia Confessarii, communiter Auctores adfirmant, quando Parochus invenire nequeat qui vices suas suppleat. 3. quando sine scandalo, vel gravi periculo infamiæ non potest aut celebratio, aut communio omitti.

XIX. Casuistæ non pauci valde exaggerant hoc scandali, & infamiæ periculum. Mihi e contrario raro id contingere posse videtur. Nam multæ caussæ sunt quæ accessum ad communionem impediunt, ut alias dictum est. Quodnam scandalum, vel infamia, quod hac aut illa die Christianus, sive Sacerdos, sive laicus, indignum se reputet aut celebratione, aut communione? Christus dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus ibi fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* An ignoramus, nos esse peccatores? An tribunal pœnitentiæ non adimus omnes? Prætermittenda ne confessio est, ne vulgus suspicetur nos gravatos esse criminibus? Quid? Confessio non solum de mortalibus est, sed etiam de venialibus. Verum habet. Sed utrum hæc confessio sit de mortali, aut veniali, ignorant homines: nec propterea quod homines suspicari valeant esse de mortali, confessionem omittimus. Ergo celebrare, communicare, non præmissa confessione peccati mortalis ad evitandum scandalum, vel infamiam, perquam raro accidit absque sacrilegio. Tot Sacerdotes, & tot Christiani, & Christianæ frequentissime scandalum ingerunt, infamiamque subeunt propter quotidianas celebrationes, & communiones, ex quibus nullum percipiunt fructum, nullamque morum reformationem, nullum profectum præferunt; sed e contrario se mundi amatores, & carnalium appetitionum sectatores exhibent. Hoc est scandalum declinandum, hæc infamia formidanda. Quibus præmissis, laxæ nonnullorum Casuistarum opiniones reiiciuntur.

XX. Laxa est opinio Leandri, qui *disp.* VII. *quæst.* XVI. cum pluribus aliis docet, Sacerdotem posse persequi Missam, si post introitum recordetur peccati mortalis, etiamsi valeat absque nota, aut scandalo desistere: quia non decet Missam interrumpere. Sed multo minus decet Missam celebrare absque confessione gravis culpæ, cuius memoria suppetit post introitum. Nulla enim tunc necessitas urget; cum, fatente Leandro, nullum occurrat scandalum.

XXI. Laxior est altera opinio quam cum aliis docet idem Leander *quæst.* XVII. videlicet non obstringi Sacerdotem præmittere confessionem peccati mortalis cuius recordatur existens in altari, antequam Missam inchoet; etiamsi nullum sit scandali periculum. Quæ necessitas tum urget? Scandalum, & infamiæ nota absunt. Cur ergo reconciliari prius non debet Regi summo media confessione, antequam eiusdem convivio assideat, & sacrificium celebret?

XXII. Nimis laxa quoque est opinio Tamburini de *Method. comm. cap.* I. *num.* 63. & Leandri *quæst.* XVIII. qui docent, posse laicum assidentem cum aliis scamno, seu mensæ communionis, Eucharistiam suscipere, non

non præmissa confessione letalis culpæ cuius recordatur, etiamsi absque scandalo recedere valeat: quia, inquit Leander, *cum quodammodo inchoata sit actio sacra, non debet ob reverentiam Eucharistiæ recedere a divina illa mensa*. Pulchra ratio. Inchoatam oblationem ante altare abrumpere nos Christus imperat, ut fratri reconciliemur: & postea probabit sumptionem sui sacratissimi corporis antequam cum ipso reconciliemur? Sed quid laxam opinationem refello? Nec dignor refellere quæ ex Tamburino opponit Nocetius *p. 226.* Nam Lectores ipsi perhorrescunt dum legunt eiusdem Tamburini verba: *Ratio est, quia ex una parte irreverenter se gereret inchoatam quasi actionem sine clara necessitate relinquendo. Sicuti non bene morate se gereret qui invitatus a Rege, ubi sedit ad mensam, vellet vel ad leve tempus recedere*. Has venustas ratiunculas rescribit P. Nocetius ut Tamburinum defendat.

XXIII. Alii docent, posse talem Christianum se communicare, quando recedere nequit absque infamiæ nota, vel scandalo. Verum, ut iam dixi, chimæricum communiter est scandalum istud, & commentitia infamia. Homines hypocritæ, & peccatorum pleni hoc scandalum, & infamiam iactant, quique sacrilega sacramentorum frequentia vellent apparere in publico conspectu Christiani bene morati, honestique, ut suas rationes, & negotia promoverent. Quodnam scandalum, quæso, quænam infamia, quod assistentes suspicentur, te recordari alicuius peccati gravis non confessi? Quid quod ob aliquam peccati dubitationem, vel ob memoriam violati ieiunii, vel ob aliam rationem, ab omni nota infamiæ immunem, te recedere a communione iudicare valent? Mulieres procaces, impudentes, immodestæ, vanæ, ambitiosæ, scandalorum plenissimæ, infamiam minime verentur, dum theatris, ludis, choreis, ceterisque mundi oblectamentis interfunt. Solum, cum sancta sancte tractanda sunt, scandalum, & infamiam obtrudunt, & pertimescunt? Vitam honestam, & vere christianam agant: & tum hæc imaginaria scandala flocci facient. An aliquando scandalum reipsa occurrere valeat nec ne, prudentum iudicio relinquo. Solum affero, raro id contingere; immo ex recessu a communione communiter prudentes inferunt delicatam conscientiam, & personam bene moratam esse: quia mali homines parum curant reverentiam, & obsequium debitum tanto sacramento.

XXIV. Qui antequam ad altare accedat, post peractam confessionem recordatur alicuius peccati mortalis non manifestati in confessione, tenetur illud confiteri; ut communiter docent vel ipsi benigniores Casuistæ cum Leandro *quæst.* XXI. ubi pro contraria opinione, omnino improbabili & laxa, refert P. Reginaldum *Tom. II. Lib. XXIX. cap.* VI. *quæst.* IV. *sect.* I. Corneo, & alios.

XXV. P. Claudius La-Croix cum Lugo, Dicastillo, & Gobat docet, eum qui non potest recedere a scamno communicantium, si recordetur mortalis culpæ non confessæ, sed commissæ ante ultimam contritionem, vel absolutionem, pro qua dolorem universalem habuerat, posse communicare *sine novo dolore*, quia est in gratia; & tantum tenebitur suo tempore peccatum illud subiicere clavibus. Felices huiusmodi homines, qui & contritionem, & statum gratiæ tam facile in promptu habent. Recordatur quis peccati mortalis non confessi; & nec novum excitare, cum possit, dolorem debet? Certus ne iste est aut de contritione necessaria habita ad absolutionem, aut de remisso crimine? Certus ne est se esse in statu gratiæ? Et sacratissimum Christi corpus suscipere poterit, quin novum dolorem de hoc peccato, quod certo se perpetrasse cognoscit, edat? Nemini ego talem doctrinam suaderem.

XXVI. Sufficiens ne est necessitas celebrandi sine præmissa confessione peccati mortalis simplici Sacerdoti iter agenti, deficiente copia Confessarii, si præcepto audiendæ Missæ cum aliis sociis satisfacere ille nequeat, nisi celebret? Adfirmant Leander, Dicastillo, Henriquez, Viva, & alii. Negant Suarez, Bonacina, Lugo, Layman. Quia, inquiunt hi, præceptum præmittendi confessionem mortalium communioni probabilius est esse divinum, cui cedere præceptum ecclesiasticum debet. Mihi aqua hæret, dum inter duo præcepta ferenda sententia est. Secunda tamen videtur præferenda sententia. Disputant quoque in utramque partem, dum servandum est præceptum communionis paschalis, quod divinum esse probabilius est, cum Ecclesia tempus dumtaxat determinaverit. Quare communior est sententia quæ docet, posse simplicem Sacerdotem celebrare absque prævia confessione obdefectum Confessarii, ut ipse, vel alii huic paschalis communionis præcepto satisfaciant. An hæc opinio sit probabilior, ignoro: propterea doctiorum iudicio rem subiicio. Sed raro hæc accidunt. Tempus enim paschalis communionis dividuum est, pluresque dies comprehendit. Vix contingere potest ut in toto intervallo copia desit Confessarii.

XXVII. Disputant recentiores, num onus satisfaciendi *capellaniæ* sit necessitas sufficiens celebrandi, non præmissa confessione mortalis peccati? Adfirmant aliqui apud Bonacinam *disp.* IV. *quæst.* VI. *num.* 23. si non possit aliter satisfacere, aut si indigeat eleemosyna. *Verum* (inquit P. Dominicus Viva in Cur. theolog. qu. IV. artic. 7. num. 5.) *id non admittitur communiter, nisi quando indigentia eleemosynæ pro Missa esset admodum gravis*. Non admittitur *communiter*. Ergo, inferunt Probabilistæ, licet opposita sententia non sit ita communis iuxta principia P. Viva, erit tamen probabilis. Necessitas Capellanorum istorum communiter est admodum gravis; cum reditus Capellaniæ sit ut plurimum patrimonium quo sustentantur. P. Claudius La-Croix *Lib. I. part.* I. *num.* 535. concinit P. Viva, inquiens: *Nec sufficit paupertas egentis Sacerdotis, nisi esset valde gravis*. Quot Sacerdotes, tum Capellani, tum non Capellani, hac doctrina utuntur, celebrantes scilicet ob lucrandam eleemosynam, non præmissa confessione mortalium? quia, inquiunt, nisi celebremus, unde vivamus non habemus. Si Confessarius pius & doctus iis ob frequentes relapsus absolutionem deneget; reponunt, Confessarium hunc esse Rigoristam; & ideo deesse copiam Confessarii. Deinde ex doctrina P. Viva iterum argumentantur. Opinio quæ asserit debitum satisfaciendi capellaniæ, aut indigentiam non admodum gravem eleemosynæ, esse necessitatem sufficientem celebrandi, non præmissa confessione, quamvis non sit communis, est tamen probabilis. Neque enim ut improbabilem reiicit P. Viva. Ergo ex duplici capite celebrare possumus. Ne his argutationibus decipiantur Capellani, dico, præfatam opinionem absolute improbabilem, & falsam esse; neque indigentiam, etiam valde gravem, captandæ eleemosynæ esse sufficientem necessitatem celebrandi, non præmissa confessione mortalium. Quare nimium laxa est doctrina Leandri, qui *disp.* VII. *quæst.* XXXII. absolute docet, posse Capellanum, deficiente Confessario, celebrare absque prævia confessione: inquit enim: *Si Sacerdos est pauper, & vivit ex consueta eleemosyna Missæ; vere in eo reperitur necessitas corporalis, quæ sufficiens est ad celebrandum sine prævia confessione*.

XXVIII. Quæst. VIII. *Quandonam deest copia Confessarii?* Resp. Varia sunt Auctorum placita. Aliqui dicunt, tum deesse Confessarium, quando haberi nequeat, nisi arripiatur iter quatuor horarum. Alii requirunt iter unius leucæ. Alii putant, sufficere quinque quadrantes impendendos in itinere, ut dici possit, Confessarium deesse. Verum regula generalis & definita præscribi non potest. Nam Sacerdos aut iuvenis, aut robustus vir, itineribus assuetus & aptus, parum incommodi patitur, si duas, aut tres leucas italicas perficere debeat, ut Confessarium adeat. Hoc vero iter Sacerdoti aut delicato & imbecillo, aut seni, extremum affert incommodum; & moraliter peragi ab eo nequit. Arbitrio ergo prudentum id relinquendum est, ut ex circumstantiarum varietate hoc definiant.

XXIX. Quæst. IX. *Quando in aliquo Monasterio, seu communitate usus obtinet quotidie celebrandi, aut communicandi certis diebus mensis, aut hebdomadæ, nec haberi potest Confessarius pro oblitis, licitum ne est communicare non præmissa confessione?* Resp. Adfirmat Leander *disp.* VII. *quæst.* XXXV. quia, inquit, si quis communionem omitteret, id esset cum nota & admiratione aliorum. Et citat pro hac opinione Henriquez, Fagundez, Ochagaviam. Immo cum Dicastillo *tract.* IV. *disp.* IX. *dub.* 9. *num.* 84. contendit, licite istos communicare posse, etiam si absque admiratione & nota abstinere queant: quia habent *ius, & obligationem pro more communicandi*. Hæc sunt axiomata novi modi opinandi. Hanc opinionem reiicimus ut falsam, & laxam. Primum, cum occurrunt eiusmodi casus, innumeri sunt prætextus, quorum usu absque nota abstinere isti possunt a celebratione, & communione. Deinde, ut dixi, & dicendum est sæpius, admiratio hæc vana est, & scandalum commentitium. Plures enim rationes sunt ob quas viri etiam optime morati abstinere a communione possunt. Quid? Infamiæ ne notam subibit quispiam, quod indignum hodie sese reputet celebrandi, aut communicandi? Hanc infamiæ notam non timemus, quando cum quotidiana celebratione, aut frequenti communione indomitam linguam, impotentem iram, vanitatem, ambitionem, & plures alios habituales defectus veniales coniungimus in totius communitatis conspectu.

XXX. Quæst. X. *Si quis confessus est peccatum mortale tamquam dubium, & ante communionem agnoscat esse certum, tenetur ne iterum confiteri?* Resp. Adfirmat communis sententia. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 540.

540. post relatam communem sententiam subdit more suo. „ Alii tamen cum Henr. Ca-
„ ram. & Leand. dicunt non teneri, quod
„ *Gobat num.* 214. dicit esse probabiliter
„ tutum in conscientia. Peliz. & Tamb.
„ apud Dian. dicunt esse probabile. " Iudicio postea lectoris remittit electionem benigniori, aut communis doctrinæ. Vi quippe Probabilismi potest quisque quam mavult opinionem eligere, quæ probabilis asseritur. Hoc opinandi modo succensus. P. Elizalde dixit, Auctores similes censum opinionum potius texere quam veram Theologiam scribere.

XXXI. Disputare etiam hic solent Probabilistæ, num peccata dubia subiici debeant clavibus ante communionem, an satis sit de illis conteri? P. Dominicus Viva *quæst.* IV. *art.* 7. *num.* 9. varias recenset & ipse opiniones probabiles contrarias, quæ vi Probabilismi omnes sunt conscientiæ regulæ.
„ Certum est (inquit) quod, si per rationes
„ probabiles dubium deponatur, vel quia
„ probabile est peccatum illud aut simpliciter non esse commissum, aut non cum plena deliberatione, vel quia probabile est,
„ iam esse confessum, licet oppositum sit
„ probabilius, ad id non obligetur; sicut
„ nec si per ignorantiam invincibilem quis
„ putet se ad id non obligari. At si dubium
„ sit *omnino negativum*, communior sententia docuit obligari ad clavibus subiicienda
„ . . . . . Non desunt tamen plures qui nos
„ a tali obligatione eximunt, eo quod non
„ constet de ea, & in tali dubio melior est
„ conditio pœnitentis: præsertim quia pro
„ delicto dubio non debet homo ad tale onus
„ certum condemnari. Ita apud Tambur.
„ &c. " Alias distinctiones ibi congerit. Iudicet prudens lector quid instructionis ex simili scribendi methodo colligere Confessarii, & Parochi parum docti valeant. Hæc data opportunitate rescribo, ut intelligas Probabilismum per universam Theologiam serpere, & non esse quæstionem de voce, ut Probabilistæ nonnulli disseminare inter imperitos solent, dum vident, deformem eiusdem faciem patefieri, & suis veris coloribus sane tetris depingi. In *tract. de pœnit.* recensitam quæstionem resolvam.

XXXII. Quæst. XI. *Habens peccatum reservatum, poterit ne, urgente necessitate, communicare, non præmissa confessione ob penuriam Confessarii qui valeat a reservatis absolvere?* Resp. Tres sunt opiniones. Prima Ioannis Sanchez, Trullenchi, & aliorum. Defendunt isti, talem accedere posse ad Eucharistiam, quin confiteatur sive reservata, sive non reservata: quia tunc deest copia Confessarii; & onus grave est eadem peccata bis conficeri. Hæc opinio falsa & laxa est. Secunda docet, aperienda Confessario tantum peccata non reservata. Tertia sustinet, omnia peccata tum reservata, tum non reservata, manifestanda Confessario esse, ut indirecte absolvat etiam a reservatis. Filliucius, inquit P. Viva, omnes tres istas opiniones, reputat probabiles. Verum sola tertia opinio vera pro praxi fruitur probabilitate. Lectorem tamen remitto ad tractatum de pœnitentia, ubi hanc quæstionem resolvam.

XXXIII. Quæst. XII. *Quem sensum præfert hæc particula confitendi* quam primum? Resp. Recentiores Probabilistæ nonnulli de medio sustulerunt præceptum Tridentini Concilii, ut vidimus supra. Alii admittentes præceptum, alia via in nihilum illud redegerunt. Docent enim præceptum istud impleri, cum primum Sacerdos confitebitur, idest quando iterum celebrare voluerit. Quare si per unum, aut plures menses a celebratione abstinere voluerit, non obstringetur ad confessionem. Alexander VII. post damnatam *proposit.* 38. proscripsit simul hanc 39. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Qua interpretatione posita, evanesceret Tridentinum mandatum. Quem ergo sensum præfert hæc particula *quam primum?* P. Dominicus Viva in hanc *proposit.* 39. *num.* 5. probabiliter ex Lugo, Candido, Trullench, Bassæo, & aliis apud Dianam docet, illum quam primum confiteri, si intra triduum confiteatur. Quia, inquit, apud *omnes Iuristas*, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, & continuo. Hæc interpretatio, ut mihi videtur, falsa est, & Concilii menti adversa. *Tò* enim *quamprimum* signat primum opportunum tempus quo confiteri celebrans valet. Hoc autem opportunum tempus potest occurrere statim post Missam, aut illo ipso die quo celebravit. Nonne si ante celebrationem habuisset copiam Confessarii, debuisset illico confiteri? Cur ergo si continuo post Missam adsit opportunitas, & quidem commoda confessionis, confiteri non debet? Quo fundamento differre hanc confessionem ad triduum valet? Quia, inquit P. Viva, *apud omnes Iuristas*, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum. *Iuristarum* ergo interpretamenta, quibus officia civilia, & humana commercia dirigunturur, ad animarum regimen, ad actiones sacramentales moderandas traducuntur? Quid ad Iuristas de sacramentis? Admissa interpretatione P. Viva, qui testatur se id definire *probabiliter*, alii Probabilistæ colligent, licitum esse differre hanc confessionem ultra sex, aut decem dies. Cur enim ad tres, & non ad sex? Quia Iuristæ id docent? Quid ad nos de Iuristis? inquient. Ut ergo vanis hisce argutationibus viam præcludamus, & ut iuxta sacræ doctrinæ regulas Tridentini Concilii præceptum exponamus, dicendum est, præfatum Sacerdotem quamprimum possit, obstrictum esse confessioni. Quandoque autem poterit statim post Missam, quandoque illa die, quandoque die sequenti, iuxta diversitatem locorum, temporum, & copiam Confessariorum &c. Finis præcepti, sacramenti sanctitas, obedientia sincera debita Ecclesiæ, & alia similia spectanda sunt, missis in re sacramentaria Iuristarum commentis de rebus profanis.

XXXIV. Quæst. XIII. *Licitum ne umquam est communicare sine confessione, & contritione, atque adeo in peccato mortali, ut contendunt PP. Tamburinus, & Viva?* Resp. Fateor me non parum commotum sensisse, dum primum legi opinionem affirmantem in P. Tamburino *Lib. de meth. comm. c.* 1. §. 10. *n.* 71. & in P. Dominico Viva *in Curs. theolog. quæst.* IV. *art.* 7. *num.* 10. ubi doctrinam Tamburini adoptat.

XXXV. P. Tamburinus, ut viam sibi sternat ad quæstionis decisionem, lectoremque suum animet ad superandum horrorem quem forte videns sacrilegium honestatum concipere posse, hæc præmittit. *Tam benigna sunt viscera misericordiæ Domini, ut non dedignetur excusare aliquado pervicaciam nostram. Invenio enim unum vel alterum casum in quo quis purissimam communionem in peccato sumere sine peccato possit.* Ne adversarii mei de more imponant imperitis, me truncatas quorumdam Probabilistarum opiniones referre, transcribam totidem verbis P. Tamburini decisionem, quæ eiusmodi est.

XXXVI. „ Etenim ex supradictis constat,
„ Sacerdotem qui incepta bona fide Missa, re-
„ cordatur se mortalis culpæ reum, debere
„ elicere actum saltem a se existimatæ con-
„ tritionis. Sed iam si non possit, *seu expe-*
„ *riatur actum illum sibi valde esse difficilem*,
„ quid agat? Confiteri non potest, conteri
„ nequaquam valet, sacrificium inchoatum
„ relinquere, ob infamiam sibi resultantem,
„ *difficillimum est*. Quid ergo ab anima sic
„ affecta superest extorquendum? *Probabile*
„ esse ex aliquorum sententia iudico, hunc
„ non peccaturum mortaliter, si cum huius-
„ modi conscientia peccati mortalis, & cum
„ eo dolore quem tunc potest elicere, Mis-
„ sam prosequatur, consecret, communicet-
„ que. Ita Vasquez *de Euchariſt. disp.* CCVII.
„ *cap.* 1. *n.* 34. Hurt. *disp.* IX. *de Euchariſt.*
„ *diff.* 1. de Lugo *de sacram. disp.* IX. *sect.* 1.
„ *num.* 8. Ratio est, quia præceptum digne
„ communicandi non videtur tam arcte fide-
„ les astringere, ut cogat Sacerdotem cum
„ tanto suo dedecore ab incepto sacro di-
„ scedere. Tum autem eiusmodi Sacerdos
„ non acquiret gratiam, sed tamen non pec-
„ cabit.

XXXVII. Sacrum Concilium Tridentinum sess. VI. cap. XI. definit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis: cuius mandata gravia non sunt.* Aut vera non est hæc Concilii doctrina; aut falsa, & improbanda est Tamburini doctrina. Primum dici nequit. Ergo secundum. Præceptum divinum est, ut omnes Catholici fatentur, ne quis cum conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam suscipiendam accedat. Præceptum quoque eliciendæ contritionis in hoc casu divinum est. *Impossibile* ne evadit hoc præceptum huic Sacerdoti? Aliquod ergo Dei præceptum impossibile est: quod Lutheranismum redolet. Non est impossibile, inquis, sed difficillimum. Esto. Sed possibile est: ergo urget: ergo est observandum. At Sacerdos experitur se non posse hoc præceptum contritionis edendæ implere. Ecquis est in caussa cur non possit? Deus? Absit. Ipse ergo Sacerdos malitia sua, iniquitate sua ineptum se constituit ad hanc contritionem. Mira sunt quorumdam Probabilistarum extrema. Ipsi defendunt, Deum omnibus obduratis, & excæcatis gratias suas offerre, & conferre: & illos qui oppositum sentiunt, in suspicionem erroris, & Iansenismi adducere non verentur. Dicunt, legem Dei esse suavissimam, in sensu etiam falso. In præsens vero legem difficillimam, & veluti impossibilem huic Sacerdoti repræsentant. Gratiam deesse qua contritionem Sacerdos iste eliciat, affirmare non dubitant. Si iuxta Tamburinum tam benigna sunt viscera misericordiæ Domini, ut non dedignetur excusare aliquando pervicaciam nostram; donabit ergo gratiam suam huic Sacerdoti, conanti edere contritionem. Si impertiet Deus, eliciet Sacerdos necessariam contritionem. Si non impertiet, ob Sacerdotis malitiam & iniquitatem negabit. Ergo sacrilegium perpetrabit Sacerdos ob impedimentum gratiæ appositum. At re-

reponit Tamburinus, hæc utique luculenta esse; *sed probabile esse ex aliquorum sententia hunc non peccaturum*. En quam verum sit id quod *Tom. I. Histor. Probabilismi diss.* I. *cap.* VII. §. I. demonstravi, nempe Probabilismum viam aperire ad plures errores, & ad Iansenismum quodammodo, quantum vi ratiocinii colligi potest, pendere. Si Probabilistæ similes sententias in aliquo Antiprobabilista reperirent, cælum terramque rumoribus implerent. Auctoritas *Vasquezii*, *Hurtadi*, *De Lugo*, quam Tamburinus opponit, non efficit eius opinionem probabilem; cum ea aperte divinis Scripturis, Patribus, & Concilio Tridentino repugnet. Innumera horrenda absurda, nisi me amor fallit, consequi videntur Tamburini doctrinam. Si casum unum & alterum Tamburinus invenit *in quo quis purissimam communionem in peccato sumere sine peccato possit*: quidni, dicet alius Probabilista, occurrere aliquis casus possit in quo quis corpus puellæ virginis deflorare sine peccato valeat? Occurrit ut quis se solum cum sola reperiat: ambo reciproco amore ardent: ambo se se procant, & procantur. Castitatem servare in hoc casu, hunc mutuum impotentem amorem coercere, difficillimum est. Quid ab eiusmodi animabus sic affectis extorquebis? Separari nequeunt absque infamiæ nota. An tam benigna sunt viscera misericordiæ Dei, ut non dedignetur excusare istorum imbecillitatem? Quid hiscis? Fornicatio, stuprum, adulterium iure naturali, & divino vetita sunt. Verum habet. Sed numquid deglutire purissimum, sanctissimumque Christi corpus in peccato mortali vetitum non est iure & naturali, & divino? Nolo persequi absurda quæ recensitam Tamburini doctrinam consequuntur. Persequamur potius rescribere quæ ibi adiicit Tamburinus.

XXXVIII. „ N. 73. Idemque erit de laico, qui iam iam recepturus sacram synaxim ante linteum, nec sub aliquo prætextu se se removere valens, peccati mortalis recordetur, nec conteri possit. Ita ibi. Par enim est ratio. NOTENT „ HANC DOCTRINAM SCRUPULOSI, „ ANIMOQUE SEMPER TIMIDI. " Audistin'? Adeo meticulosi, adeo anxii sunt Christiani ætatis nostræ; adeo tremebundi, & pavidi; adeo reverentissimi erga augustissimum sacramentum, ut vix audeant ad tam divinum convivium, nisi nitidissima, & fulgentissima caritatis veste induti sint, accedere. Ut ab his angustiis animos erigat Tamburinus: ait: *Notent*, meditentur doctrinam præfatam, qua Tamburinus ait, in uno aut altero casu posse quempiam peccato mortali pollutum, sordidum, deformem, sine peccato Eucharistiam suscipere. Timorem ergo foras eiicite, & animosi sacram mensam adite. Quid super veniali aliqua culpa, super affectu ad quampiam vanitatem, aut oblectamenta mentem torquetis, & corda exagitatis, si aliquo in casu cum conscientia peccati mortalis suscipi purissima hostia potest sine peccato? Quid? Satyram ne me scribere clamitas? Utinam mihi verba suppeterent opportuna, & phrases congruæ, quibus graviter, & pro dignitate doctrinam quæ imbecillitati meæ pugnare cum Evangelio videtur, explodere & labefactare possem. Utinam mihi tantum eloquentiæ datum esset, quo Christianos, ab eiusmodi commentis subductos, excitare atque inflammare ad digne communicandum possem. Tamburinum, aliosque quos citat Auctores veneror, & officio prosequor. At opiniones quas, salvo meliori iudicio, perniciosas æternæ Christianorum saluti existimo, ea meliori qua possum via improbandæ mihi sunt.

§. II.

De devotione qua anima a culpis mundata præparare se ad communionem debet.

I. HActenus de impedimentis quæ indignum sacra mensa Christianum reddunt, dictum est. Ab opinionibus recentiorum nimium distat doctrina Sanctorum. Non modo sancti Dei homines mundam a peccatis animam requirunt, sed mentem attentam, & devotam postulant. Mens vivæ fidei lumine illustrata sit oportet. Hanc fidem primum omnium excitare in mente debent accedentes ad sacram communionem. Deinde omni studio curare debent ut cor igne caritatis ardeat. S. Basilius *Lib. I. de bapt. cap.* IX. inquit: *Oportet accedentem ad corpus & sanguinem Domini, & ad memoriam eius qui pro nobis est mortuus, & resurrexit, non solum purum esse a quovis inquinamento carnis, & spiritus, ne iudicium edat & bibat; sed evidenter ostendere, & exprimere memoriam eius qui pro nobis mortuus est, ac revixit, in eo quod mortificatus est peccato, mundo, ac sibi ipsi, & Deo vivit in Christo Iesu Domino nostro*. Rursus reg. XXI. cap. VII. *Qui ad communicationem corporis, & sanguinis Christi accedit, neque rationem illam considerat cuius caussa instituta est, utilitatis ex ea fructum nullum reportat.*

II. S.

II. S. Thomas in *IV. dist.* XII. *quæst.* II. *artic.* I. *quæstiunc.* 3. non modo animam culparum vacuam; sed insuper attentam, devotamque postulat, ut cum fructu hoc sacramentum percipiat. *Cum hoc sacramentum perficiat coniungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Et quia interdum absque peccato mortali actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutum actus tollant; absque peccato mortali potest effectus huius sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur: nec tamen reatum peccati mortalis incurret, sed forte reatum venialis peccati, ex hoc quod imparatus accedat*. Non modo Angelicus negat percipere refectionis spiritualis dulcedinem eum qui in actuali Eucharistiæ usu alio vagatur, mente voluntarie abstracta; sed asserit augmentum gratiæ non consequi. Oppositum docere videtur *III. Part. quæst.* LXXXIX. *artic.* 8. ubi inquit: *Effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel caritatis; sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis: quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel caritatis*. Hanc doctrinam confirmat in *resp. ad* 1.

III. Natalis ab Alexandro *cap.* III. *de Euchar. prop.* 8. contendit S. Thomam doctrinam traditam in *Sentent.* retractasse hic in Summa. P. Vincentius Contensonius *Lib. XI. part.* II. *diss.* IV. *cap.* I. conciliare satagit hæc duo testimonia. Distinguit ex celebri Thomista P. Didaco Nugno tria distractionum genera. Alia est distractio mere naturalis sine culpa: alia venialis ex negligentia, sed voluntate expressa non suscepta: alia demum ex obiecto venialis, & formaliter, & de industria quæsita. Prima saporem & dulcedinem Eucharistiæ impedit; augmentum vero gratiæ non tollit. Secunda refectionem Eucharistiæ præcludit, & iuxta Caietanum omne augmentum gratiæ præpedit; quod probabilissimum iudicat Contensonius, qui subdit, tertiam distractionem esse quidem ex obiecto venialem; at in his circumstantiis esse gravem irreverentiam, quæ obicem gratiæ ponit. Allegat verba ipsius P. Didaci Nugno, inquientis: *Si ex formali intentione vult illo tempore esse cum distractione, credo quod peccat mortaliter; atque adeo nullum consequi effectum sacramenti, quia irreverentia illa gravis est*. Hac præmissa doctrina, facile est (pergit Contensonius) componere duo S. Thomæ testimonia, quæ pugnantia videntur. Dum in Summa ait Angelicus, distractionem, & peccata venialia impedire dulcedinem gratiæ actualis; secus augmentum gratiæ habitualis, loquitur de distractione ex negligentia, & naturali imbecillitate profecta. In Sententiis vero vult S. Doctor, distractionem venialem, ex industria voluntaria quæsitam, impedire augmentum gratiæ habitualis, quia tunc *homo imparatus accedit*; non tamen peccatum mortale committi, si nimirum distractio, & indevotio ex negligentia veniali proficiscatur.

IV. Hæc concordia mihi sane non arridet. Nam huc difficultas recidit, num actualis animi evagatio deliberate quæsita, eiusmodi sit, ut mortalem irreverentiam inducat. Quo in casu patet, omnem effectum impediri, & sacrilegium perpetrari. Porro S. Thomas hanc difficultatem nec versat, nec dirimit. Usquedum vero distractio sistit intra venialis culpæ confinia, augmentum gratiæ non impedit. Verum cum confinia hæc occultissima nobis sint, ideo caute & prudenter abstinendum est a sententia pronuntianda. Nihil prorsus derogaret Angelici Doctoris auctoritati, si diceretur, doctrinam traditam in Sententiis illum temperasse in Summa. Verum utcumque res hæc se habeat, id quod reipsa contingere solet, inculcandum est, ut pios lectores nostros a torpore, segnitie, & periculoso somno excitemus.

V. Qui voluntariis distractionibus, & affectu ad venialia ad hanc sacram mensam accedunt, periculum est ne in mortalia sensim sine sensu prolabantur. Angelicus in Summa sapientissime definit, peccata venialia, quocumque modo spectentur, non impedire augmentum gratiæ habitualis. Ceterum non discutit, num qui habitualiter peccatis venialibus inquinati tantum sacramentum sumunt, facillime labantur in mortalia. Et quia id in praxi facillime contingere solet, idcirco Doctores vita & sanctitate fulgentes, communiter praxim spectantes, asserunt, Christianos, & Sacerdotes, qui devotione destituti, & venialium culparum pleni, Eucharistiam sumunt, nullum percipere fructum. S. Bonaventura in *Brevil. part.* VI. *cap.* IX. inquit: *Quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu, non in ventre, sed in mente; & mens Christum non attingit, nisi per cognitionem, & amorem, per fidem, & caritatem; ita quod fides illuminat*

ad recognitionem, vel recordationem, & caritas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, & devotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius traiiciatur in ipsum mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote, & inconsiderate accedit, iudicium sibi manducat & bibit, quia tanto sacramento contumeliam facit.

VI. Verum mittere disputationes interest, utrum distractiones voluntariæ, deliberatæ, & peccata venialia impediant nec ne omnem Eucharistiæ fructum; aut talem pariant irreverentiam quæ obicem negative, ut aiunt, gratiæ habitualis augmento ponat, iuxta plures; aut sacrilegium inducat iuxta alios: mittere, inquam, has disputationes lubet, quas cum definire certo non possimus, consultius est ea quæ ad cavenda tum peccata venialia, tum voluntarias has distractiones, quæ periculum prolabendi in mortalia annexum habent, indicare, & urgere.

VII. Si qui voluntarie distracti orant, fructum orationis amittunt, Deumque tentare dicuntur; quæ indignitas erit, animo alio vagante, intra nosmetipsos ipsum sacratissimum Christi corpus recipere? Nec audienda est quorumdam recentiorum laxissima doctrina, qua dicunt, Eucharistiæ sumptionem non esse locutionem cum Deo, sicut oratio, sed manducationem; nec ullam fieri cibo iniuriam, si cum distractione sumatur. Quam a communi Ecclesiæ sensu hæc doctrina distet, nemo non videt. Quo enim pertinet Apostoli oraculum, quo imperat, cibum hunc divinum discerni, & corpus Domini diiudicari, nisi ut summa cordis puritate, & mentis attentione illud suscipiamus? Quis sibi vitio, & dedecori non verteret regiæ mensæ accumbere, animo exterius huc atque illuc vagante? Quanto ergo maior irreverentia, & profanatio erit ad Regis Regum mensam sedere, & ipsum Dominum intra propriam animam indevote suscipere? Unde, quæso, tanta animi impudentia, unde tanta socordia, & contemptio, nisi ex adipe iniquitatis, nisi ex inolita vitiorum consuetudine, qua stupidus & induratus ad cælestia dona animus efficitur?

VIII. Cardinalis Caietani argumentatio in *III. Part. quæst.* lxxix. *art.* 1. magnum incutere timorem omnibus debet. Indicat Caietanus utraque laudata testimonia S. Thomæ, & de sensu testimonii quo dicitur non impediri augmentum gratiæ ex peccatis venialibus, & distractione deliberata, hæc scribit: *Hic sensus favorabilis est, & demulcens aures multitudinis innumerabilium Sacerdotum, quasi quotidie, aut frequentissime celebrantium, qui tamen meliores quotidie non fiunt. Mihi autem hinc ordiendo sensus iste verus non apparet. Si enim qualibet sumptione Eucharistiæ, etiamsi nullus interior caritatis actus ob mentis distractionem interveniat, augeretur gratia, infinitorum pene Sacerdotum, quos credimus vere in gratia celebrare, caritas iam esset maior intensive quam credi rationabile sit; cum tanta magnitudo caritatis in tanta multitudine otiosa appareat. Quoniam nec extra apparent, nec intus de se testantur actus similes ferventissimæ caritatis. Et tamen certum est quod sicut amor Dei non est otiosus, sed operatur magna, si est; ita tam magna augmentatio amoris Dei non est otiosa, sed operatur multo maiora quam prius proportionaliter, si est; & consequenter, si longe maiora operari renuit, longe maior caritas non est: & tamen longe maior ponitur esse in singulis celebrationibus, quantumcumque parum crevisset caritas Sacerdotis, qui toi annis diebus fere singulis in gratia celebravit. Præter hanc autem ex experientia coniecturam in promptu ratio cum auctoritate suffragatur. Sacramentum enim hoc, quia datur per modum cibi, & potus . . . . non auget, sicut nec nutrit, nisi per modum nutrimenti. Sed sine actu vitali nutriti tam cibus, quam potus non nutrit, nec auget, ut patet in alimento corporali. Ergo sine operatione vitali spiritualis animæ, quæ nutritur, cibus iste nec nutrit, nec auget.* Plura alia ibi habet Caietanus, quibus interpretatur textum *art.* 8. S. Thomæ.

IX. Argumentum istud Caietani, ab ipsa manifesta experientia repetitum, permultos vellicare, pungere, & ad devotam præparationem perurgere Sacerdotes deberet. Omnes habitus, animæ hærentes, inclinant, & erumpunt frequenter in actus suos. An avaritiæ, luxuriæ, ambitionis, vanitatis habitus, opportunitate data, extrinsecus non prosiliunt? Quotidie Sacerdotes celebrant: quotidie gratia sanctificans, quam celebraturi secum deferunt, augetur, intenditur caritas: & nullum extrinsecus apparet istius augmenti signum; immo opposita argumenta in omnium oculos sese ingerunt? Sermones vani, otiosi, subobscæni, maledici, iidem sunt ac erant a decem, a viginti annis. Quænam in ludis, in oblectamentis, in gula, & in ceteris appetitionibus moderatio? Quæ superbiæ, ambitionis, & vanitatis depressio? Quænam linguæ, occasione data obiecti criminis, refrenatio? Quid de tot Sacerdotibus qui theatris, ludis, choreis intersunt; qui comicos sero agunt, & mane celebrant? Hi ne gratiæ augmentum ex quotidiana celebratione assequuntur? Blandimur nobis miseri, quod a quibusdam flagitiis nimium sordidis, & lutulentis abstineamus, minime recogitantes quod forte letalium criminum, odii, ambitionis, superbiæ, invidiæ, simultatis, & aliorum spiritualium scelerum pleni sumus. Patrum axioma est, eos qui in via Domini non proficiunt, retrogredi. Tot venialium culparum contemptio, tam negligens cælestium donorum negotiatio, tanta insensibilitas & stupiditas erga augustissima, & tremendissima religionis mysteria provocat divinam iustitiam ad subtrahenda auxilia illa peculiaria quibus destituti in graviora scelera prolabimur. Et illud est, supra quam dici potest, formidandum supplicium, quod velo cæcitatis obducti plures iactant se Dei gratiam possidere illo ipso tempore quo pravarum appetitionum, & maligni amoris proprii mancipia sunt sane lugenda.

X. Confirmantur hæc omnia auctoritate nostri P. Ioannis Tauleri, vitæ sanctitate, & doctrina insignis, qui *serm.* 1. *de Euchar.* hæc scribit: „ Si nosse cupis, utrum digne „ hoc sacramentum perceperis, vide si cor „ tuum magis abstractum sit ab omnibus extra Deum; & si vita quam ipsum in te „ operatum est, foris appareat, & operetur „ in exteriori homine tuo, in sensibus, in „ moribus, in conversatione, in verbis, in „ actibus tuis . . . Quod si quisque in se non „ sentit, sed potius cor suum vanitati & otio „ deditum, ac vacuum, & extrinsecus se „ dissolutum, ac levem in risu, in verbis, in „ cultu corporis, stoliditati quoque vacantem, „ ac potissimum per immoderatas sui recreationes perdentem tempus, & cor denique „ suum misere torpescens invenit, atque sciens, „ & sponte talis perseverat; ac nihilominus „ ad hoc reverendissimum accedit sacramentum, magno se periculo exponit. Credite mihi, ut stomachus cibum inconvenientem reiicit, sic Dominus Deus huiusmodi hominem ex ore suo evomit. "

XI. Duo peccatorum venialium genera distinguit piissimus Taulerus *serm.* IV. *de Euchar.* alia vocat inhærentia, & perseverantia; alia fluxa, quæ transeunt, & reddeunt. Perseverantia vocat in quibus, præpostero creaturarum amore irretitus homo, delectationem quærit: & hæc inter venialia gravia sunt. Singuli inclinationes peculiares habemus, & amicitias, oblectamenta, ac consuetudines, quibus difficile renuntiamus. In ipsis nostris exercitationibus honestis plus iusto nobis complacemus, iisque plus iusto adhærescimus. Quare quisque studiose diligenterque perscrutari debet cor suum, ut quæ ad creaturas inordinatæ inclinationes latitant in corde suo, deprehendat. Sed audiamus P. Taulerum ipsum. „ Est etiam vitium „ quoddam, heu nimium hodie vulgare, & „ usitatum! puta, quod omnes, & singuli „ tam Religiosi, & Ecclesiastici, quam sæculares, privatis lucris divitias accumulare, ac recondere satagunt; adeoque tenaces sunt, & avari, ut satis dici nequeat. Unde hominum amicitias superfluas ac vanas, animi recreationes, & levitates expetunt; cum tamen in eis nec intendant, nec quærant, & multo minus inveniant Dominum Deum Creatorem suum. Isti nimirum in mortalium peccatorum veluti præcipitio sunt constituti; iamque prope est ut vel intus, vel foris incomparabile eorumdem peccatorum damnum incurrant. Immo frequenter, antequam advertant, ipsi in multa gravia collabuntur. Hæc ergo sunt impedimenta perseverantia, & culpæ hærentes, cum quibus tamen multi, proh dolor! ad reverendissima Christi sacramenta accedere non metuunt, suas nihilominus consuetudines, & modos retinentes, nec aliquid ex prædictis repudiare volentes. Cumque hac de caussa nec Deum, nec sancti Spiritus intus sentiant consolationem, non magnopere id curant; sed suis studiis, & consuetudinibus inhærent, atque ad creaturas cum delectatione, & amore se convertunt: sicque nonnumquam quadraginta, vel quinquaginta, & eo amplius annos sub habitu sancto, & opinione bona transigunt. Verum utrum isti feliciter hinc discessuri, & ad extremum salvandi sint, incertum est, eo quod fundus eorum sponte scientergue diuturno quodam & inolito creaturarum amore & delectatione irretitus est, atque constrictus. Ubi vero necessitas extrema ingruerit, omniaque coram divino iudicio detegentur, nescient prorsus quo in statu res suæ sint, nec facile Deum invenire poterunt. "

XII. Hactenus P. Ioannes Taurelus de peccatis venialibus, quæ perseverantia, & hærentia vocat, quia habitualiter in iisdem homo versatur. Dum dicit, creaturarum amo-

amore hominem detineri, ne sis adeo imperitus, ut feminarum impuro amore hominem captum intelligas. Creaturarum nomine intelligit temetipsum, nimium tui, tuorum exercitiorum & consuetudinum amorem, amicitias superfluas, diverticula, curiositatem, ludos, & cetera oblectamenta; quæ, cum sint a mortali culpa immunia, eadem habituali affectu prosequeris, paratusque minime es ad ea deserenda; immo excandesceres, si illa tibi vetari audires. Hæc sunt peccata venialia perseverantia, & hærentia animæ tuæ. Nunc vero explicat Taulerus ibidem peccata venialia fluxa his verbis: „ Fluxa „ ergo, & non hærentia peccata sunt, v.g. „ si quis nullius creaturæ amore inordinato „ captus detineatur, semperque se paratum „ inveniat ad relinquendum omnia quæ certo sciret Deum ab ipso velle relinqui, „ qualiacumque etiam illa forent, vel homines, vel amici, vel bona temporalia. Interim tamen non tam studiose seipsum custodit, ut merito deberet: facileque a natura, & vitiis naturalibus, qualiacumque „ demum sint illa, vincitur, ab ira, a superbia, a torpore & ignavia, a verborum „ levitate, quorum omnium, nec non & „ aliorum vitiorum, dum se illi offert occasio, in his ipsis excedit, estque vel loquax „ nimium, vel potus cibique intemperantior, „ aut plus satis hilaris, aut demum immodice sollicitus, & occupatus. Quamvis autem ex his vitiis interdum aliqua peccata „ prioribus hærentibus queant esse graviora; „ dum tamen ex infirmitate, vel subreptione „ fiunt, multo quam illa minus impediunt. „ Quandoquidem fundus ipse purus est, & „ tantum accidens malum. Si quis tamen in „ crastinum, aut hodie accessurus, minus se „ ab his vitiis custodisset, quod ad divinam „ unionem attinet, multum certe hanc ipsam impediunt, fiduciam minuunt, mentem „ distrahunt & dilacerant, hominemque divini amorosi influxus, & corusci luminis „ efficiunt incapacem. Nihilominus si peccata, vel impedimenta hæc contra voluntatem heri contigissent, atque cum vera cordis contritione defleantur, non perinde „ nocebunt, neque impedient, ut facerent, „ si hodie accidissent. Ipsa namque pœnitentiæ amaritudo, & pressura, ac dolor „ cordis, quibus hæc deflentur, magna ex „ parte rubiginem horum vitiorum abstergunt. Iam si quis heri in ista cecidisset, „ hodieque denuo, sui ipsius cura posthabita, in hæc ipsa incideret, simulque ex his „ mentis quamdam contraheret distractio„ nem, puta vel ex garrulitate nimia, vel „ immodica occupatione; tum certe non „ parum ista impedirent, dum unum impedimentum iungeretur alteri. Nec tamen „ propterea *semper a communione sacra abstinere*, nec penitus eam intermittere necesse est. Si enim accedit, nihil peccat; „ modo illum incidisse in hæc peccata pœniteat. Poterit enim sequenti die suum „ recuperare damnum. Sæpe numero etiam „ ipsa natura indisposita impedit, puta quando aliquis vel somni, vel cibi fuit intemperantior, plus aut minus inde capiendo. „ Certe ita quemque sui deceret esse sollicitum, ut ad singulos pene morsus, si natura citra sui gravamen eos ferre posset, „ se exanimaret. Satis enim mundus, purusque sit oportet cui Deus ineffabile suum „ mysterium infundere debeat. Hæc itaque „ sunt quæ divinum impediunt influxum, & „ pretiosissimos divinæ gratiæ thesauros in „ hoc dignissimo sacramento latentes, ab anima excludunt. "

XIII. Hæc, licet paullulum prolixiora, ex piissimo P. Ioanne Taulero rescribere operæ pretium existimavi, tum ob auctoritatem tanti viri, cuius opera pro morum reformatione tanti faciebat vel ipse Martinus Lutherus, ut una cum operibus S. Bernardi legenda inculcaret, & persuaderet, ut me legisse memini in ipso Luthero; tum ob doctrinam sane momentosam, & non omnibus perviam de peccatorum venialium qualitate, & diversitate. Peccata itaque venialia summopere Eucharistiæ adversantur; cum proprium sit sacramenti huiusce eiusmodi peccata auferre, appetitiones comprimere, & creaturarum amorem extinguere; ut optime animadvertit S. Bernardus *serm.* 1. *de cœna Domini num.* 3. his verbis: *Duo illud sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo; & gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.*

XIV. Quoniam de peccatis venialibus argumentum in manibus est, ut magis magisque lector percipiat quam hostiliter hæc cum hoc augustissimo sacramento pugnent, communem Theologorum doctrinam in memoriam revocet. Peccatum veniale ad mortale disponit directe, vel indirecte. Directe quidem: quia peccatum genere suo veniale potest

est disponere ad aliquod peccatum quod est mortale ex conditione ipsius operantis, quatenus ex iterata frequentia venialium promitas ad peccandum ita augeri, & adolescere valet, ut in ea homo ceu in ultimo conquiescat fine. Incipit colloquiis, & lusibus in muliercularum cœtu indulgere. Reciprocæ amicitiæ, fuco honestæ benevolentiæ illitæ, latenter adolescunt, oblectamenta & illecebræ dominantur in animum; & tandem prolapsus in fœdas libidines consequuntur.

XV. Indirecte peccata venialia disponunt ad mortale, removendo prohibens: tum quia assuetudo levium transgressionum propensionem auget, & inclinationem ad graviores culpas: tum quia peccata venialia fervorem minuunt caritatis, animæ vires extenuant, & veluti corrodunt, ac paullatim, dum vix advertit homo, se prolapsum invenit in letalia crimina. Hæc obiter & præter institutum dicta sint, ut doctrinam illustrarem Ioannis Tauleri circa duo peccatorum venialium genera.

XVI. Paucis ergo rem totam perstringendo, dispositiones animæ ad communionem sunt sanctitas habitualis ab omni gravi culpa immunis, extinctio affectus ad venialia, fides viva, caritas fervens, memoria & meditatio passionis Christi. De his omnibus infra *cap. seq.* ubi de frequenti communione sermo erit.

§. III.

De corporis dispositione ad sacram communionem. Laxæ opiniones quorumdam Casuistarum refelluntur

I. QUæst. I. *Est ne necessarium ieiunium ad Eucharistiam sumendam?* Resp. Præcipua dispositio ex parte corporis ad Eucharistiam est ieiunium, de quo innumeras quæstiunculas movent Probabilistæ, quarum aliquas obiter indicabo. De ieiunio ad Eucharistiam agit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxx. *art.* 8. ubi duplex distinguit ieiunium. Primum vocat naturæ, in privatione cuiusque cibi, & potus situm. Ille dicitur ieiunus ieiunio naturali qui a media nocte nihil per modum cibi, aut potus, aut medicinæ sumpsit. Alterum est ieiunium ecclesiasticum (de quo fuse suo loco dictum est) quod non includit privationem absolutam & omnimodam cuiuscumque parvæ quantitatis cibi, sed solum tantæ quantitatis, aut qualitatis.

II. Omnes adfirmant, ad Eucharistiam sumendam requiri ieiunium naturale, Ecclesiæ statuto præscriptum: quæ disciplina antiquissimam habet originem, cuius meminit Tertullianus *Lib. II. ad uxorem*, Cyprianus *epist. ad Cæcilium*, Chrysostomus *hom.* xxvii. in I. ad Cor. *Tu, priusquam communices, ieiunas, ut quomodocumque communione dignus appareas.* Contrariam consuetudinem aliquorum prohibuit Concilium Carthaginense an. 397. *can.* xxix. excepto tamen die anniversario quo cœna Domini celebrabatur a non ieiunis in aliquibus Ecclesiis. Sed etiam hic mos obsolevit. S. Augustinus *epist.* cxviii. *ad Ianuar.* nunc liv. factum sibi opponit Christi Domini, & hæc respondet. *Liquidum apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a ieiunis semper accipitur? . . . . Hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent; aut, sicut faciebant quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcipit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. Cum vero ait Apostolus, de hoc sacramento loquens:* Propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: si quis esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis: *statim subtexit:* Cetera cum venero, ordinabo. *Unde intelligi datur, quia multum erat ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur.*

III. Tria hic Augustinus tradit. I. Christus Dominus Apostolos non ieiunos communicavit post cœnam: quia cum a cœna ad passionem sustinendam digressurus esset, voluit ultimo loco infinitum sui amoris pignus exhibere. II. Spiritus sanctus peculiari ratione voluit ut in os Christiani dominicum corpus prius intraret quam alii cibi, ob reverentiam & honorem debitum tanto sacramento. III. Disciplina hæc præmittendi ieiu-

ieunium ad Eucharistiam ortum habuit ab ipso Paulo Apostolo. Convenientiam præmittendi ieiunii S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxx. *art.* 8. promit, ubi, laudata Augustini auctoritate, inquit, statutum esse *in honorem huius sacramenti, ut scilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo propter significationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus, qui est res huius sacramenti, & caritas eius debet primo fundari in cordibus nostris, secundum illud Matth.* VI. Quærite primum regnum Dei. *Tertio propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur; sicut & Apostolus dicit* I. *Cor.* II. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Advertit ibidem S. Thomas ad 4. nullo modo infringi ieiunium naturale quando *reliquiæ cibi remanentes in ore casualiter transglutiuntur; nec impediunt sumptionem huius sacramenti: quia non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ: & eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur: dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ; quod vitari non potest.*

IV. Plurimas instituunt quæstiunculas Neoterici de hoc naturali ieiunio, & de peccati gravitate quod perpetrant transgressores. Disputant, num detur parvitas materiæ in hoc ieiunio: & an peccaret mortaliter qui post sumptam minimam cibi quantitatem communicaret. Pasqualigus *decis.* cccxxxv. opinionem negantem probabilem asserit; sed iure communiter omnes ut laxam talem improbant opinionem. Quid, si quis dubitet manducaverit, vel biberit nec ne post mediam noctem: Probabilistæ utramque opinionem contrariam dicunt esse probabilem; sed vera sententia docet abstinendum, exclusis casibus necessitatis, sive dubium negativum sit, sive probabile.

V. Quid, si scias te aliquid cibi, vel potus deglutivisse, sed dubites, an ante, vel post mediam noctem? P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* I. *num.* 577. de more duas contrarias opiniones profert, affirmantem te posse communicare, & negantem id licere; ac neutram oppugnat. Quid si noctu expergefactus bibat, dubitans, sit nec ne elapsa media nox: potest ne communicare? Adfirmat Gobat; negant alii. Sed homines sic dubitantes non debere communicare, nobis certum est.

VI. Disputant quoque Probabilistæ, quid intelligatur per mediam noctem: & de horologiis signantibus eam prolixas instituunt disputationes: utrum quis possit sequi unum horologium respectu ieiunii ecclesiastici, & aliud respectu ieiunii naturalis? an in primo, vel in ultimo horologii pulsu abstinere a cibo, potuque debeat? Quas tricas omnes vide resolutas *Tom. V. de ieiunio*. Disputant insuper, utrum osticula fructuum, plumbum, aurum, fila ex serico, vel lana frangant ieiunium, & communiter negant. Quid de terra, quam interdum prægnantes sumere solent? Communius adfirmant, frangere ieiunium naturale; idemque adfirmant de creta, quam mulierculæ edunt, ut albescant. Similiter asserunt frangi ieiunium per cartam, per filum ex lino, per senum, & paleam quia herbæ sunt: item per pulveres medicinales ex ossibus, & lapidibus contritis; per ceram, quia semper quidquam mixtum mellis adest. Id tamen de cera negat Diana. Venenum non frangere ieiunium, asserit Pasqualigus; sed melius adfirmant alii. Si quis deglutiret parvam nucem cum cortice clauso, Ioannes Sanchez, & Leander dicunt frangi ieiunium; sed P. La-Croix *loc. cit. num.* 565. asserit, merito dubitare Tamburinum. Ego addo, immerito ipsum dubitare. Sanguinem gingivarum, saniem e pustula profluentem non frangere ieiunium, communiter docent, etiamsi deglutiantur. Si quis in flumen lapsus invitus sumat aquam; aut si dormienti per vim inferatur cibus aut potus in fauces, aliqui dicunt non frangi ieiunium; sed communiter alii adfirmant, prioremque opinionem reiiciunt vel ipsi Probabilistæ, ut minus probabilem. Ego eam reputo falsam. Tabacum masticatum, vel fumatum frangere ieiunium, docent aliqui. Diana, Burgaber, & alii, quos refert P. La-Croix *num.* 569. negant. Nemo negaverit id dedecere: & hoc sat est ut quisque abstinere debeat. Sumptionem tabaci per nares negant communiter ieiunium frangere. Qui tamen abstinent, reverentiæ erga augustissimum sacramentum signum exhibent. Disputant quoque num communicare ille valeat in cuius apertum os musca ingrederetur, simulque eam traiiceret media respiratione? Adfirmant Leander, Lugo, Suarez, & plures alii: nec video quid opponi possit. Quid, si aliquid deglutias, & postea continuo illud evomas? Non debes communicare. Plures alias similes quæstiunculas versant, quas, ceu nullius momenti, & quia vix umquam occurunt, prætereo. Communis enim sensus sat est ad eas dirimendas, & regulis traditis de ieiunio naturali facillime resolvuntur.

VII. Quæst. II. *An sumi aliquando Eucha-*

ristia possit a non ieiuno? Resp. Infirmi, quando instat periculum mortis, communicare non ieiuni possunt; ut cum S. Thoma *loc. cit.* communiter docent omnes, & consuetudo obtinet. Tunc enim urget præceptum divinum sumendi viaticum, quod prævalere ecclesiastico præcepto debet. An vero non ieiunus Sacerdos celebrare valeat, ut viaticum administret morituro, disputant Auctores. Cardinalis Gotti *quæst.* IV. *dub.* 5. §. 2. probabilius esse docet, quod non possit. Quia præceptum divinum sumendi viaticum est adfirmativum, quod non obstringit, quando celebrari Sacrificium nequit ritu præscripto. Verum si non urget hic ritus respectu ægroti, cur urgere debeat respectu Sacerdotis, non video. Certum est, præceptum sumendi viatici esse divinum. Ieiunium vero solo præcepto Ecclesiæ impositum est. Quare mihi probabilius videtur quod celebrare Sacerdos non ieiunus valeat in hoc casu. Idque confirmatur ex eo quod Sacerdos hoc in casu possit, non præmissa confessione mortalis culpæ, cum sola contritione celebrare. Nec est quod reponas, discrimen esse: quia consuetudo obtinet servandi ieiunium a celebrante, secus præmittendæ confessionis, quando non adest copia Confessarii. Hæc disparitas arbitraria videtur: quia consuetudo communicandi ægrotum non ieiunum evidens est. Ceterum raro contingit deesse particulas consecratas pro communione infirmorum: & ideo raro contingit casus in quo Sacerdos non ieiunus debeat celebrare. Verum si accideret, ego non video cur celebrare non posset, quando alia non obstarent. Quia tamen veritas manifesta non est, & casus raro accidit, doctiorum iudicio decisionem subiicio.

VIII. Quæst. III. *Potest ne Sacerdos ut administret viaticum infirmo, privatim proferre verba consecrationis, sine vestibus sacris, sine altari &c.* Resp. Adfirmant aliqui, quibus adhærere videtur Soto in *IV. dist.* XII. *art.* 7. loquendo de Sacerdote seipsum communicante. Sed opinio negans communis & vera est. Et habetur expresse cap. *Comperimus* de consecr. dist. I. Est enim contra ius divinum consecrare speciem panis sine altera specie. Celebrare quoque absque vestibus sacris est transgressio ritus summi momenti, ut alibi dicetur, quem omittere Sacerdos non potest, ut ægroto viaticum administret.

IX. Quæst. IV. *Potest ne Sacerdos ob necessitatem perficiendi sacrificium communicare non ieiunus?* Resp. Adfirmant communiter omnes. Si Sacerdos loco vini aquam infudisset calici, quem errorem non deprehendisset, nisi hausta aqua, atque adeo ieiunio soluto, deberet continuo consecrare vinum, & perficere sacrificium. Quid, si Sacerdos advertat ex gustu aquam esse, dum in ore eam habet, antequam illam deglutiat? Nonnulli defendunt, Sacerdotem, extracta particula hostiæ, debere reiicere aquam, sive vinum corruptum in aliud vas, ut ieiunus possit communicare; sed hanc opinionem iure alii improbant. Debet Sacerdos aquam cum particula hostiæ deglutire, & vinum consecrare, ac non ieiunus sumere. Quoniam in hoc casu præceptum ieiunii non obstringit. Et quod præfati Auctores suggerunt, irreverentiam, & indecentiam redolet. Similiter quando particula hostiæ calici adhærescit, non digito extrahenda, seu ad labrum calicis adducenda est, sed vinum, vel aqua infundi debet, & sumi. Idem faciendum est, quando particula hostiæ palato hæret. Quid, si Sacerdos absque nota infamiæ, vel scandali non posset consecrare vinum in adducto casu, in quo loco vini aquam infudisset? Leander *q.* XXIV. docet, non debere consecrare: & citat Suarez, Fagundez, Azorium, & alios. Scandala hæc, ut alias dixi, commentitia sunt. Nam aut populus ritum ignorat; aut si qui callent ritum, iudicabunt, vel vinum infusum pro consecratione, fuisse in aceptum conversum: vel Sacerdotem memoriæ, & inadvertentiæ lapsum passum esse. Præceptum divinum consecrandi sub utraque specie certum est; scandalum autem incertum. Præterea tantum ne malum esset, si Sacerdos aut in pœnam suæ inadvertentiæ, aut citra pœnam ullam, si absque culpa error contigit, aliquam subiret notam ob sacrificii integritatem complendam? Quare vix contingere casus potest inquo Sacerdos ob notam infamiæ, aut scandalum liber sit a debito complendi sacrificium, iure divino præscripto. Sapienter S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxiii. *art.* 6. *ad* 2. docet. *Semper accipiendum illud quod habet minus de periculo. Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est quod est contra perfectionem huius sacramenti: quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem sumentis.*

X. Si ante consecrationem advertat Sacerdos se non esse ieiunum, debet desistere a Missa persequenda, nisi grave timeatur scandalum; quod raro accidit. Si Sacerdos ante consecrationem morte corripiatur, aut gravi morbo infirmetur, non oportet ut alius Sacerdos persequatur sacrificium. Si ve-

ro id contingat post consecrationem, debet per alium Sacerdotem sacrificium compleri; ut docet S. Thomas *loc. cit. ad* 1. immo sacrificium perfici debet etiam a Sacerdote non ieiuno, si ieiunus desit.

XI. Si Sacerdos post sumptam ablutionem calicis reperiat aliquas reliquias, seu fragmenta hostiæ a se consecratæ, debet illa sumere, sive parva sint, sive magna: quia cum sint ex eodem sacrificio, tota illa actio una reputatur, & una sacrificii consumptio. Immo si reversus in sacristiam, fragmenta in patena, aut in calice inveniret, posset eadem sumere; cum ad idem sacrificium pertineant, eamdemque actionem. Secus dicendum de fragmentis consecratis ab alio Sacerdote. Hæc enim sumi debent a Sacerdote ieiuno, aut reponi. Potest denique Sacerdos non ieiunus sumere Eucharistiam, ne in manus hæreticorum, & infidelium, qui eam conculcarent, & contumeliis afficerent, perveniret.

XII. Quæst. V. *Quantum temporis interfluere debet Eucharistiam inter & cibum?* Resp. Leander *q.* XLIII. respondet, statim licitum esse post sumptam Eucharistiam cibis vesci: quia nullum extat præceptum præscribens abstinentiam. S. Thomas *III. Part. q.* LXXX. *art.* 8. *ad* 6. docet, magis requiri ieiunium ante quam post, inquiens: *Magis est institutum quod homines ieiunent ante sumptionem huius sacramenti quam post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti, & reliquos cibos. Unde & in Missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes etiam suas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones statutum fuit.... ut habetur de consec. cap.* XXIII. Si mane dominica portio editur, usque ad sextam ieiunent ministri, qui eam sumpserunt: & si tertia, vel quarta hora acceperint, ieiunent usque ad vesperum. *Antiquitus enim rarius Missarum solemnia celebrabantur, & cum maiori præparatione. Nunc autem, quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari; & ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum.* Decet tamen ut per quadrantem saltem communicantes abstineant a cibo, vel potu.

XIII. Priscis sæculis statim post Eucharistiam celebrabantur *Agapæ*, quæ dilectionem significant: quamvis aliqui contendant, hoc dilectionis convivium ante synaxim celebrari consuevisse. Hæc consuetudo usque ad Augustini tempora obtinebat: & postea obsolevit ob consectaria quorum meminit Paulus *I. Cor.* XI. Et quamvis celebriores fuerint *Agapæ* (liceat paullulum degredi) quæ post sacram communionem habebantur; tamen aliæ erant quæ *connubiales* dicebantur, peractæ tempore nuptiarum; aliæ *natalitiæ* in festis Martyrum; aliæ *funerales* in funeribus defunctorum. Ab *Agapis* dictæ fuerunt *Agapetæ*, videlicet *dilectæ*, seu sorores, devotæ spirituales, vulgo *Chietine*. Christum Dominum mulieres devotæ & sanctæ comitabantur, sicut & Apostolos. Exemplum imitati sunt viri sancti posteriores. Sed quia nihil tam sanctum est quod humanæ naturæ infirmitate, & malitia depravari nequeat, quæ spiritu puro cœpta fuerant, temporis decursu carnis maculas contraxerunt. Contra quam corruptelam calamum acuit S. Hieronymus *epist. ad Eustochium*, in qua piarum mulierum cum Sacerdotibus societatem carpit: *Novum concubinarum genus: unde in Ecclesia Agapetarum pestis introivit*. Devitandæ ergo, & gravi severitate fugiendæ sunt eiusmodi *Agapetæ*, quacumque sanctitatis specie fulgeant, non secus ac si lue inquinatæ essent; ut idem Hieronymus *epist. ad Nepot.* subdit. *Solus cum sola, secreto, & absque arbitro, vel teste non sedeas ... Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante de vita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, desiderium meum, omnes delicias & lepores, & risu dignas urbanitates, & ceteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur: quanto magis in Monachis, & Clericis, quorum & Sacerdotium proposito, & propositum ornatur Sacerdotio?* Hæc per transennam, semper tamen opportuna feminarum directoribus. In semitam regredior.

XIV. Disputant Auctores, num licitum sit expuere statim post communionem. Negant alii, alii adfirmant. Omnes conveniunt, decens esse ut communicantes per aliquod temporis intervallum abstineant, & hoc sat est ut quisque plus minusve pro variis necessitatis gradibus in reverentiam tanti sacramenti sputum coerceat.

XV. Quæst. VI. *An ad Eucharistiam præcedere somnus debeat, & ciborum digestio?* Resp. Adfirmant Panormitanus Gloss. in cap. *Nihil*, Ricardus, Aureolus, & alii. Sed S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXX. *art.* 18. *ad* 5. respondet. *Nec refert, utrum post cibum vel potum assumptum dormieris, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti. Refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem, vel indigestionem: ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti.*

XVI. Quæst. VII. *Quid de casu quem proponit P. Claudius La-Croix, de Sacerdote primam Missam canente?* Resp. Sacerdos, inquit Auctor *Lib. VI. part.* 1. *num.* 583. qui primam Missam canere debet, mane sumit incogitanter hostiam non consecratam, sicuti antea fecerat, dum se probabat. Poterit ne Missam celebrare? Absolute, inquit, non potest. Verum subdit: *Possunt tamen adesse circumstantiæ ob quas liceat. V. g. si Titius sit familiæ perhonestæ, ad cuius primitias conveniunt cognati multi, pro quibus etiam sit convivium lautum apparatum.* Quid, si Sacerdos esset honestæ, & non *perhonestæ* familiæ? Quid si convivium non esset *lautum*, sed sobrium, atque frugale? liceret ne tunc celebrare primitias? Quod Ecclesiæ præcepta, quod sacri ritus celebrandi augustissimum & incruentum sacrificium cedere profanis cæremoniis, & lautorum conviviorum celebrationi debeant, vel ipsi communi sensui repugnare, nedum reverentiæ erga sacratissimum Christi corpus debitæ, videtur. Si necessitas esset Missæ audiendæ, ut præcepto diei festi satisfieret; tum posset præceptum ieiunii cedere huic alteri mandato. Verum quod propter cognatorum interventum, & propter instructum lautum convivium valeat Sacerdos non ieiunus celebrare, numquam ego probarem. Aliam circumstantiam addit ibidem. *Item, si publice notum est, vel proclamatum eum hodie lecturum primitias: & contra error illius in sumpta hostia non consecrata, sit occultus, hoc casu licitum ei erit celebrare:* & pro hac opinione citat Gobat. Ut hoc evincant, confugiunt ad epiikiam, & ad scandalum inde oriturum. Sed quodnam scandalum oriri potest, si quod casu, & incogitanter accidit, enarretur? Sacerdos pius & probus, cui præter intentionem hoc accidit, quam mentis confusionem, quam animi perturbationem non sustinet? Et mente sic confusa, & animo sic conturbato, commotoque primum suum celebrare sacrificium debet, ne commoveantur cognati, amici, parentes? Ut vidimus ex plurium casuum resolutionibus, communiter iuxta recentiores non paucos præcepta gravissima, sacri ritus, in sacramentorum administratione servandi, negliguntur ob humanas rationes, ob mundanos respectus, qui tetra scandali larva vestiuntur. Non eo inficias, scandali habendam esse rationem. Sed aio scandala quæ obtruduntur, sæpe imaginaria, & commentitia esse. Hominum displicentia, incommodum, & admiratio, & quod nequeant parata convivia lætanter, & exultanter, ut destinatum erat, celebrari, loco scandali habentur. Imbecillitati autem meæ hæ non sunt rationes, ne quidem probabiles, salvo semper meliori iudicio, cur Sacerdos non ieiunus, turbatus, confusus, commotus celebrare primum sacrosanctum Sacrificium valeat.

XVII. Quæst. VIII. *An pollutio nocturna impediat accessum ad communionem?* Resp. Quando quis passus sit pollutionem involuntariam, nullumque illius effectum, neque mentis hebetudinem, neque animi commotionem experiatur, tum accedere hunc ad communionem posse, communiter Auctores docent. Primis tamen Ecclesiæ sæculis impedimentum erat propter fœditatem corporalem, quam semper inducit; ut constat ex *resp.* S. Basilii ad *inter.* CCCIX. & ex Cassiano *coll.* XXII. *cap.* IV. ubi tamen excipitur pollutio arte dæmonis procurata. Si vero pollutio relinquat animum turbatum, tum desistendum a communione ex quadam decentia, adfirmant. Audiamus S. Thomam, qui *III. Part. quæst.* LXX. *art.* 7. fuse discutit hanc difficultatem, & docet pollutionem quæ est sine culpa mortali, numquam retrahere a communione ex necessitate, retrahere vero ex quadam congruentia, *quantum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti non debet ad altare accedere; unde & volentes tangere aliquod sacrum, manus lavant: nisi forte talis immunditia sit perpetua, vel diuturna; sicuti est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliud huiusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.* Præmittit ibidem Angelicus: *Quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum volentium impedire hominem a sumptione huius sacramenti. Unde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis in quibus erat communicandum, seniores, comperto quod nulla caussa in ipso præcesserat, decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret: & ita cessavit illusio dæmonum.* Hinc collige qua devotione recitandus sit hymnus qui canitur in Completorio: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.* Summa ergo vigilantia & studio curan-

randa est ipsa corporalis mundities, ut cum debita reverentia ad tantum accedamus sacramentum.

XVIII. Quæst. IX. *An sit peccatum mortale eodem die quo perpetrata voluntaria pollutio, vel fornicatio est, etiamsi præcedat confessio sacramentalis, communicare?* Resp. Leander citat Navarrum, Covarruviam, Gabrielem, & alios, contendentes peccare mortaliter eum qui statim post pollutionem voluntariam, aut fornicationem accedit ad Eucharistiam, quamvis contritus, & confessus sit. Communis sententia id negat: quam sententiam veram existimo absolute loquendo. Ceterum in praxi magna opus est prudentia. Disputant vero, num sit saltem peccatum veniale. Negat Leander *disp.* III. *quæst.* III. & more suo contendit, hoc esse probabilius. Verum hanc maiorem probabilitatem reficimus, ut manifestam falsitatem; eamque improbant vel ipsi graviores Probabilistæ, ut Lugo, qui talem opinionem vocat singularem, & falsam, & ut talem damnant Patres omnes, & communis sensus.

XIX. Quæst. X. *An licitum sit accedere ad Eucharistiam post coniugalem copulam?* Resp. Leander *quæst.* IV. *& seqq.* plures opiniones falsas & laxas agglomerat. Contendit, nullam coniugatos committere culpam venialem, nullam irreverentiam, immo neque consulendum ut post habitam copulam abstineant a communione. Sed, misso hoc Auctore, laxitatis frequenter patrono, quid Scriptura, quid Patres dicant, explicandum est.

XX. S. Paulus *I. Cor.* VII. inquit: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* S. Petrus *Epist. I. cap.* III. monet, ita coniugatos cohabitare debere, *ut non impediantur orationes vestræ.* S. Hieronymus in locum Pauli Apostoli hæc scribit. *Si per coitum, quod minus est impeditur, idest orare; quanto plus, quod maius est, idest corpus Christi prohibetur accipere? Petrus ad continentiam hortatur, ne impediantur orationes nostræ.* Opponit sibi Doctor sanctus quæ Probabilistæ nonnulli obtrudere solent. *Durum est, & non ferendum: quis hoc sæcularium sustinere potest? Qui potest sustinere, sustineat, qui non potest, ipse viderit. Nobis curæ est, non quid unusquisque possit, aut velit, sed quid Scripturæ præcipiant, dicere.* Ita respondet S. Hieronymus *Epist.* I. *adverſ. Iovinian.* Similia docet S. Augustinus *serm.* III. *de temp.* inquiens: *Quotiescumque aut dies natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, ante plures dies, non solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete, ab omni iracundia vos alienos efficite: peccata præterita per elemosynam redimantur.* Concilium Eliberitanum *can.* III. hæc habet: *Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* Quid ad hæc novi quidam Casuistæ? Sed audiamus S. Thomam, qui rem hanc perspicue *III. Part. quæst.* lxxx. *artic.* 7. *ad* 2. exponit. *Dicendum, quod coitus coniugalis, si sit sine peccato (puta, si fiat caussa prolis generandæ, vel caussa reddendi debitum) non alia ratione impedit sumptionem huius Sacramenti, nisi sicut dictum est de pollutione nocturna quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem: ratione cuius Hieronym. dicit super Matth..... Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant; quanto magis ille panis qui de cælo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paullo ante hæsere complexibus, violari, atque contingi? non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare carnalibus operibus non debeamus. Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum, Gregor. dicit, quod talis est suo iudicio relinquendus. Si vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere, ut ibidem Gregor. subdit, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc sacramentum.*

XXI. Tria ex doctrina S. Thomæ, & Patrum colligere licet. I. Congruum est ut a sacra communione abstineant coniuges qui nocte præcedente communionem reddiderunt sibi debitum: sive alter eorum debitum dumtaxat reddiderit, non autem petierit; alter vero petierit. II. Qui debitum dumtaxat reddidit, potest sine culpa ad communionem accedere; immo communicare etiam potest qui petiit solius procreandæ prolis caussa. Si autem explendæ libidinis caussa petiit, peccavit venialiter; & venialiter peccabit communicando, nisi aliqua necessitas urgeat. III. Uxor communicatura non excusatur a reddendo debito propter communionem, ad quam accessura est illo ipso die. Mutuo tamen coniuges sibi suadere debent abstinentiam. Ad hanc denique continentiam illos hortatur Catechismus Concilii Tridentini Part. II. cap. IV. §. 58. *Postulat tanti sacramenti dignitas ut qui matrimonio iuncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui cum panes propositionis a Sacerdote accepturus esset, pu-*

purum se, & pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies esse professus est.

XXII. Hinc collige quam sit laxa opinio P. Tamburini, qui *Lib. de meth. com. cap.* II. *num.* 5. descriptam Patrum doctrinam reiicit hac argutatione. *Etiam qui caussa voluptatis vespere ante communionem comedisset, peccaret venialiter mane accedendo ad Eucharistiam, & sic de similibus: quod non admittimus.* Non distinguit benignus Probabilista inter voluptatem veneream, & voluptatem cibi; sed indiscriminatim ad communionem admittit fideles cum affectu ad venialia. Audi quæ docet ibidem *cap.* I. §. 4. ad quem locum remittit lectorem. Vasquez, inquit, quem sequitur Ioannes Sanchez, *docet, non esse ne veniale quidem, si quis comitanter accedat cum affectu actuali ad veniale, sive cum venialibus habitualiter, sine alia displicentia de illis.* Deinde refert contrariam sententiam Suarez, De Lugo, & sic concludit: *Utraque igitur sententia probabilitate non caret. Quare complectere tuto quam mavis.* Ecce quomodo Probabilismus per universam serpit Theologiam: ecce quam immerito nonnulli Probabilistæ nobis succensent, & excandescunt, quoties hunc opinandi modum improbamus. Verum nos patienter tolerantes illorum iras, ab improbando præfato modo abstinere nec possumus, nec tuta conscientia debemus. Quod Theologus seligat opinionem sibi verisimiliorem, quæ mihi falsa videtur, iure id facere potest; at quod passim lectoribus porrigat opiniones contrarias, tamquam probabiles, ut frequentissime Tamburinus cum aliis non paucis præstat, omitti sine culpa nequit quin admoneantur lectores ut a tali methodo caveant, & inquirant diligenti studio quid Patres, quid Concilia, quid Scripturæ sanctæ doceant, missis eiusmodi Casuistis.

XXIII. Quæst. XI. *Quid dicendum de ornatu exteriori corporis, seu de vestibus mulierum, virorum, & Sacerdotum?* Resp. Extrema vitanda sunt circa corporis ornatum. Sordidus dedecet & irreverentiam redolet. Nemo accumberet honesto convivio veste maculis plena, & lutulenta. Honesta ergo mundities in vestibus, in vultu, in manibus elucere debet. Qui tussi laborat, aut qui ad vomitum stomachum inclinatum sentit, abstinere a communione debet. Si tamen prudenter vomitum proximum non timeat, communicare potest; licet per diem vomere soleat.

XXIV. Mulierum ornatus nitidus sit, & modestus. P. Thomas Tamburinus *loc. cit. cap.* II. §. 3. quærit, quid dicendum sit de muliebri purpurissa, cerussa, & ceteris ornamentis? Et resolvit, sacrilegium committere mulieres, quando vanitas illa est peccatum mortale. De hoc nulla difficultas. Si vero fucus, & alia ornamenta veniali tantum culpa afficiantur, reponit: *Dic illud quod supra diximus de accedente ad communionem cum affectu ad peccatum veniale.* Laxa doctrina & hic recurrit. Nullam ergo culpam, neque venialem, committunt mulieres, accedentes ad communionem fucatæ, crispatæ, cincinnis ornatæ *iuxta ritus patriæ*, subdit ibi. Ritus non patriæ, sed ecclesiasticæ disciplinæ spectandus est in sacramentorum frequentia. Ad sacrum altare, complexuræ cælestem sponsum, deferre possunt mulieres vanas illas pompas quibus in sacro baptismate renuntiarunt? Arcendæ omnino sunt a sacra communione mulieres illæ quæ sinu nudato, & vestibus vanis, luxum, fastum, & mundanam pompam præferentibus, ad tantum sacramentum accedere non erubescunt. Eiusmodi ambitiosus vanusque apparatus illarum indignitatem patefacit. Illarum pulveres, odores, & nimis affectata ac ementita pulchritudo animarum fœtorem, & spurcitiem longius exhalant. Vel ipse Tamburinus peccatum veniale agnoscit, si non ex alio capite, saltem ex iactura temporis quod insumunt ad se comendas; de quo scite Poeta: *Dum comuntur, dum pectuntur, annus est.* Sed non modo ob tempus male expensum, sed etiam ob vanitatem, luxum, fastumque peccant mulieres istæ: idcircō excludendæ ab altari sunt.

CAPUT XII.

De frequenti communione.

I. ELapsum iam sæculum est ex quo Theologi, duas in partes divisi, acriter disputare de frequenti communione cœperunt, tanto partium ardore, ut mutuis censuris, & quidem gravibus non pepercerint. Sopitam controversiam suscitavit opus editum Parisiis anno 1745. inscriptum *L'Esprit de Iesus Christ, & de l' Eglise sur la frequente communion.* Auctoris nomen sileo: tum quod suppressum opus intelligo; tum ne de more clamitent, me personas, non falsas opiniones vellicare: quam imposturam sæpius labefactavi. Plures Galliarum Episcopi opus istud sub examen revocarunt, & perdoctis epistolis pastoralibus illud a suis diœcesibus proscripserunt. Deceptus Auctor est, quod

quod non distinxerit dispositionem, & virtutum ornatum, quo se præparare Christianus debet, ut cum fructu divinæ assidere mensæ valeat, ab ipsa communione. Omnes Catholici fatentur, communionem esse sanctissimam, & ad eiusdem frequentiam hortandos Christianos esse. At simul Concilia, Patres, & Pontifices docent, virtutum exercitia præcedere hanc communionem debere, præsertim fidem vivam, caritatem ardentem, spem firmam, ieiunia, preces, eleemosynas: & quo frequentior est ad altare accessus, eo ferventiores sint preces oportet, effusior caritas tum in Deum, tum in proximum, maior divitiarum, honorum, dignitatum contemptio, longior a mundi oblectamentis, & illecebris separatio, severior concupiscentiæ carnis, & appetitionum conflictatio, atque propinquior cum Deo coniunctio. Hunc pervertere videtur ordinem Auctor citati operis. Illius librum obtinere ego non potui; sed penes Auctores fide dignos hæc e gallica lingua latine reddita illum docere reperio *pag.* 369. *& seqq.* „ Iniuste homo „ (inquit) queritur de salutis suæ difficul„ tate. Non animadvertit, Redemptorem „ in frequenti communione, quam ei pro„ ponit, remedium præbere salutis, non mo„ do efficax, & prævalidum ad viam quæ „ ad cælum ducit, percurrendam; verum „ etiam cælesti perfusum dulcedine, quæ ho„ minem sanctificando plene felicem efficit. „ Rotunde dico, hoc esse medium facilius, „ & dulcius. Conferamus illud cum aliis quæ „ in Evangelio reperiuntur. Quodnam ex „ his eliges? Numquid iuges preces? An ieiu„ nia assidua? An remotam solitudinem? An „ bonorum in pauperes distributionem? An „ infirmorum, & in carceribus detentorum „ visitationem? An virginalis puritatis pra„ xim? Horum mediorum quodlibet amorem „ proprium irritat, sensus perterrefacit, & „ in desperationem coniicit voluntatem de„ bilem, qualis nostra est. At frequens „ communio via faciliori te Christo coniun„ git .... Frequens communio absque ama„ ritudine corrigit defectus nostros, curat „ vulnera nostra sine dolore, purificat cor„ da nostra sine violentia, sanctificat sine „ strepitu, & fere sine conflictu: ipsa nos „ seiungit a nobis ipsis, quin convulsiones „ mortis inducat: ipsa nos separat a creatu„ ris, Deoque sine angustia nos coniungit. "

II. Eo pertinere Auctoris istius benignitas videtur, ut fideles ad regnum cælorum ducat per viam, non spinis, & crucibus consitam, non sputis, alapis, contumeliis, & amaritudinibus illitam; sed lacte, & melle fluentem, rosis, & floribus aspersam, & lautis conviviis instructam. Christus autem testatur, regnum cælorum vim pati, & violentos illud rapere: testatur, in hoc agone certandum, deferendam crucem, portandum iugum, quod sensus, carnem, & concupiscentiam comprimit, & crucifigit: quod postea animæ Eucharistiæ dulcedine suave fit, & leve; sed sensibus & carni semper grave, & amarissimum est. Testatur denique, arctam esse viam, & angustam portam quæ ducit ad vitam. Præfatus Auctor vellet, homines ab hac carnis conflictatione, ab hac sensuum amaritudine, ab hoc iugo, spinis, crucibus, ludibriis, angustiis circumdato, subducere. Sed decipitur ille, & nolens decipit lectores suos, sensibus illorum prurit, & adulatur; & dum pio desiderio, bonaque intentione per viam salutis illos ducere sibi blanditur, eos per latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, reipsa dirigit. Una est enim, & quidem arcta, & angusta salutis via. Hæc patefacienda, in hanc reducendi fideles sunt. Plura ex eodem Auctore transcribere possem. Sed argumentum ipsum perspicue enucleandum est.

III. Et principio id quod penes omnes certum est, declarandum. Ut quis licite, & non indigne, seu non sacrilege communicet, sat est ut sit gratia sanctificante ornatus. Certum quoque est, hortandos, & pro viribus inducendos fideles esse ad frequentem communionem. Extra controversiam quoque est, laicos aliquos in Ecclesia Dei reperiri semper, quibus expediens sit quotidianam præbere communionem. Quis enim inficiari ausus fuerit, tum in sæculo, tum in tanta claustralium multitudine aliquos reperiri studio christianæ perfectionis succensos, qui peccata venialia declinare diligenter student, & virtutibus exercendis operam navant sedulam?

IV. Huc ergo disputatio recidit, utrum scilicet expediat consulere, & præbere absolute Christianis omnibus, gratia sanctificante præditis (de peccatoribus enim mortali culpa inquinatis nulla est disputatio) quotidianam communionem; licet aliam dispositionem non habeant præter solum statum gratiæ. Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* VI. hæc de quotidiana communione habet. *Optaret quidem sacrosancta Synodus ut singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent; quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior pro-*

proveniret. Utinam refloreret aurea primi Christianismi ætas, datumque esset hanc quotidianam participationem corporis Christi optare reipsa, & suadere. Verum sacra Synodus, attenta Christianorum imbecillitate, ne optare quidem audet; sed *optaret*, si fieri id moraliter posset, ut scilicet digna dispositione omnes accederent ad quotidianam communionem. Hortandum tamen, & in communi inculcandum ut omnes ita se præparent & disponant, ut digne quotidie communicare valeant. Quoniam heinc id assequemur, ut saltem plures frequenter, & aliqui quotidie communicent. His constitutis, sit

§. I.

Non expedit omnes fideles qui maiorem dispositionem non habent præter gratiam habitualem, quotidie communicare.

I. UT conclusioni propositæ demonstrandæ mihi viam parem, principio præmittendæ de more sunt propositiones ab Ecclesia in hac materia damnatæ, & opiniones, quas nonnulli mollioris Ethices fautores propugnant, similes doctrinæ quam ex citato Auctore rescripsi.

II. Vener. Innocentius XI. hanc propositionem, quæ est 56. damnavit. *Frequens confessio, & communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

Alexander VIII. sequentes duas damnavit.

22. *Sacrilegi sunt iudicandi qui ius ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

23. *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* Vides proscripta laxitatis, & severitatis extrema. Duæ ultimæ immanem severitatem præferunt, & repugnant Concilio Tridentino *sess.* XIII. *cap.* VII. ubi illos tantum sacrilegos declarat qui cum conscientia peccati mortalis ad sacram mensam accedunt, ut supra explicatum est. Thesis 22. eo errore nititur, quod nullus capax sit absolutionis sacramentalis, nisi prius debitam pœnitentiam expleverit. Thesis 23. Baianismum redolet, & affinis est aliis propositionibus, præsertim 7. & 38. Thesis 56. damnata ab Innocentio XI. horrendam prodit laxitatem.

III. P. Thomas Tamburinus *Lib. de meth. commun. cap.* I. §. II. paucis perstringit hanc controversiam, inquiens: „ Iam licere com„ munionem quotidianam laico etiam uxora„ to: immo etiam vetare illi nec Confessa„ rium, nec superiorem posse: quia eam „ Christus Dominus omnibus qui peccati „ mortalis sibi conscii non sunt, sive cum „ magno, sive cum parvo devotionis affe„ ctu, liberaliter concessit: docet cum pau„ cis Ioanne Sanchez in select. *disp.* XXII. „ Negat cum multis Ioannes de Lugo.... „ Nos breviter negantem sententiam ample„ ctimur .... Affirmans opinio illud a Con„ fessariis obtineat, ut fidelibus sacram com„ munionem appetentibus, *sive etiam so„ lum petentibus, se se faciles in posterum „ exhibeant*. " Prudens ne, & salubre monitum istud? Ex hac profecto, quantum quidem arbitror, facilitate plures sacrilegæ communiones ortum ducunt. Sanctissimus Pontifex Innocentius XI. ut, extremis laxitatis, & severitatis declinatis, regulas certas & Confessariis, & fidelibus præscriberet, sequens edidit decretum, quod integrum transcribere operæ pretium existimavi. Quod obiicit ex Indice Verbali Nocetius pag. 228. eiusdem diligentiam patefacit: debuisset enim consulere locum in Indice designatum, ubi hac de re verba Tamburini exacte transcribuntur.

DECRETUM

VEN. INNOCENTII XI.

De quotidiana communione.

I. „ CUM ad aures sanctissimi D. N. fide „ dignorum testimonio pervenerit, „ in quibusdam diœcesibus vigere usum quo„ tidianæ communionis, etiam in feria sex„ ta Parasceve; & simul affirmari, eamdem „ quotidianam communionem præceptam es„ se a iure divino; quin etiam in illius ad„ ministratione aliquos abusus inolevisse, „ videlicet quod aliqui non in Ecclesia, sed „ in privatis Oratoriis, & domi, immo cu„ bantes in lecto, & non laborantes ulla „ gravis infirmitatis noxa, sumant sacrosan„ ctam Eucharistiam, quam argentea theca „ inclusam, in crumena, aut secreto illis de„ ferunt Sacerdotes sæculares, aut regula„ res, aliique in communione accipiant plu„ res formas, ac particulas, vel grandiores „ solito; ac tandem quis confiteatur pecca„ ta venialia simplici Sacerdoti, non appro„ bato ab Episcopo aut Ordinario. Cum au„ tem hæc Sanctissimus consideranda commi„ serit S. Congregationi Cardinalium, Con„ cilii

„ cilii Tridentini intepretum, eadem S. Con-
„ gregatio, prævia matura discussione super
„ prædictis, unanimi sententia ita censuit.
„ II. Etsi frequens, quotidianusve sacrosan-
„ ctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit
„ semper in Ecclesia probatus; numquam
„ tamen aut sæpius illam percipiendi, aut ab
„ ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut
„ hebdomadis dies statuerunt, quod nec Con-
„ cilium Tridentinum præscripsit, sed quasi
„ humanam infirmitatem secum reputaret,
„ nihil præcipiens, quid cuperet tantum in-
„ dicavit, cum inquit: *Optaret quidem sa-*
„ *crosancta Synodus ut singulis Missis fideles*
„ *adstantes sacramentali Eucharistiæ perce-*
„ *ptione communicarent*. Idque non immeri-
„ to: multiplices enim sunt conscientiarum
„ recessus, variæ ob negotia spiritus aliena-
„ tiones, multæ e contra gratiæ, & Dei
„ dona parvulis concessa; quæ cum humanis
„ oculis scrutari non possimus, nihil certe
„ de cuiusque dignitate, atque integritate,
„ & consequenter de frequentiori, aut quo-
„ tidiano vitalis panis esu potest constitui.
„ III. Et propterea, quod ad negotiatores
„ ipsos attinet, frequens ad sacram alimo-
„ niam percipiendam accessus, Confessario-
„ rum, secreta cordis explorantium, iudicio
„ est relinquendus, qui ex conscientiarum
„ puritate, & frequentiæ fructu, & ad pie-
„ tatem processu laicis negotiatoribus, &
„ coniugatis, quod prospicient eorum salu-
„ ti profuturum, id illis præscribere debe-
„ bunt. IV. In coniugatis autem hoc am-
„ plius animadvertent. Cum B. Apostolus
„ nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex
„ consensu ad tempus, ut vacent orationi,
„ eos serio admoneant, tanto magis ob sa-
„ cratissimæ Eucharistiæ reverentiam con-
„ tinentiæ vacandum, puriorique mente ad
„ cælestium epularum communionem esse con-
„ veniendum. V. In hoc igitur Pastorum di-
„ ligentia potissimum invigilabit, non ut a
„ frequenti, aut quotidiana sacræ commu-
„ nionis sumptione unica præcepti formula
„ aliqui deterreantur, aut sumendi dies ge-
„ neraliter constituantur: sed magis quid
„ singulis permittendum per se, aut Paro-
„ chos, seu Confessarios sibi decernendum
„ putet; illudque omnino provideat, ut ne-
„ mo a sacro convivio, seu frequenter, seu
„ quotidie accesserit, repellatur; & nihilo-
„ minus det operam ut unusquisque digne
„ pro devotionis, & præparationis modo,
„ rarius, aut crebrius dominici corporis
„ suavitatem degustet. VI. Itidem Moniales,
„ quotidie sacram communionem petentes,
„ admonendæ erunt, ut in diebus ex earum
„ Ordinis instituto præstitutis communicent:
„ si quæ vero puritate mentis eniteant, &
„ fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ
„ frequentiori, aut quotidiana sanctissimi
„ sacramenti perceptione videri possint; id il-
„ lis a superioribus permittatur. VII. Prod-
„ erit etiam præter Parochorum, & Con-
„ fessariorum diligentiam, opera quoque
„ Concionatorum uti, & cum eis constitu-
„ tum haberi, ut cum fideles ad sanctissimi
„ sacramenti frequentiam (quod facere de-
„ bent) accenderint, statim de magna ad il-
„ lud sumendum præparatione orationem ha-
„ beant, generatimque ostendant, eos qui
„ ad frequentiorem, aut quotidianam salu-
„ tiferi cibi sumptionem devoto studio ex-
„ citantur, debere, sive laici negotiatores
„ sint, sive coniugati, sive quicumque alii,
„ suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate
„ sacramenti, ac divini iudicii formidine di-
„ scant cælestem mensam, in qua Christus
„ est, revereri: & si quando se minus paratos
„ senserint, ab ea abstinere, seque ad maio-
„ rem præparationem accingere. VIII. Epi-
„ scopi autem, in quorum diœcesibus viget
„ huiusmodi devotio erga sanctissimum sa-
„ cramentum, pro illa gratias Deo agant,
„ eamque ipsi, adhibito prudentiæ, & iudi-
„ cii temperamento, alere debebunt, & ab
„ eorum officio postulari sibi maxime per-
„ suadebunt, nulli labori, aut diligentiæ
„ parcendum, ut omnis irreverentiæ, &
„ scandali suspicio in veri, & immaculati A-
„ gni perceptione tollatur, virtutesque ac
„ dona in sumentibus augeantur. Quod abun-
„ de continget, si ii qui devoto huiusmodi
„ studio, divina præstante gratia, tenentur,
„ seque sacratissimo pane frequentius refici
„ cupiunt, suas vires expendere, seque pro-
„ bare cum timore, & caritate assueverint:
„ quibus Christum Dominum, qui se fideli-
„ bus manducandum, & se pretium in mor-
„ te tradidit, atque in cælesti regno se præ-
„ mium est daturus, precatur sacra Congre-
„ gatio ut suam opem ad dignam præpara-
„ tionem & sumptionem largiatur. IX. Por-
„ ro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii re-
„ darguant asserentes communionem quoti-
„ dianam esse de iure divino. X. Doceant,
„ in Ecclesia, seu Oratoriis privatis, ex dis-
„ pensatione, seu privilegio Pontificis de
„ manu Sacerdotis sumendam sanctissimam
„ Eucharistiam, nec eam ullo modo deferen-
„ dam in crumena, aut secreto ad existentes
„ domi, vel cubantes in lecto; quam ad
„ infirmos, qui ad illam suscipiendam ad
„ loca

„ loca prædicta accedere non valeant, & ad
„ eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, &
„ cum pompa iuxta formam Ritualis Roma-
„ ni; si vero ab Oratorio privilegiato, cum
„ forma decenti. XI. Curent etiam ut circa
„ communionem in feria sexta Parasceve,
„ Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ
„ usus serventur. XII. Insuper admoneant,
„ nulli tradendas plures Eucharistiæ formas,
„ seu particulas, neque grandiores, sed con-
„ suetas. XIII. Non permittant ut venialium
„ confessio fiat simplici Sacerdoti, non ap-
„ probato ab Episcopo, aut Ordinario. XIV.
„ Si Parochi, & Confessarii, etiam Regula-
„ res, aut quicumque alii Sacerdotes, secus
„ egerint, sciant, Deo Optimo Maximo ra-
„ tionem reddituros esse, neque desuturam
„ Episcoporum, & Ordinariorum iustam, ac
„ rigorosam animadversionem in contrafa-
„ cientes etiam Regulares, etiam Societatis
„ Iesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordina-
„ riis per hoc decretum per Sedem Aposto-
„ licam specialiter attributa.
„ XV. Et facta de præmissis omnibus, ac
„ de verbo ad verbum relatione, Sancti-
„ tas sua approbavit, ac præsens decretum
„ typis dari, ac publicari voluit. In quorum
„ &c.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Præf.

F. Archiepis. Brancacius Episc. Viterbiens. Secr.

„ Die 15. Mensis Februarii 1679. suprad.
„ decretum affixum, & publicatum fuit per
„ Urbem ad valvas Curiæ, & in acie Cam-
„ pi Floræ, ut moris est, per me Ægidium
„ Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D.
„ Magistro Cursorum Gregorius Scagius, A-
„ post. Curs."

§. II.

Decretum Innocentii XI. consentaneum est Patrum traditioni, quorum aliqua testimonia referuntur, seu regulæ pro vel frequenti, vel rariori communione.

I. CElebris P. Vincentius Contensonius fuso calamo, & eruditione summa hanc versat controversiam, quem consulere, si pleniorem cupis notitiam, poteris. Paucis ego rem perstringam. Mos quotidie communicandi suam ab Apostolis repetit originem, vigebatque tempore Cypriani, qui *Lib. de orat.* scribit: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus*. Sancta hæc consuetudo obtinebat etiam tempore Augustini, Hieronymi, Ambrosii, qui tamen in orientali Ecclesia illam desiisse narrat *Lib. V. cap. ultim. de sacram.* his verbis. *Si quotidianus est panis, quare post annum illum sumis, quemadmodum Græci facere consueverunt?* Semper. Patres fideles rite dispositos hortati ad frequentem communionem sunt; tepidos vero, & languentes, ut se pararent ad frequentiam: peccatores non continuo ac confessi erant, ad communionem admittebant.

II. Idem S. Ambrosius *Lib. II. cap. IX. de pœnit.* adversus crudelitatem Novatianorum, inquit: *Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Et non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt*. Rursus in *Psal.* CXXVIII. luculentius idem persuadet. *In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime forma iustitiæ debet, ne quis a communionis consortio abstentus brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne, cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum præbet delinquenti*.

III. S. Augustinus *epist.* CXVIII. duorum qui sanctam vitam ducebant, contrarias sententias refert. *Neuter*, inquit, *exhonorat corpus, & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus, & ille Centurio: cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum; alter dixerit*: Non sum dignus ut intres sub tectum meum. *Ambo Salvatorem honorificantes, diverso, & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti*. Ambo iusti, & ferventes erant: sed alter præ nimia humilitate non audebat accedere; alter, misericordia Domini confisus, lætanter suscepit Dominum in domum suam. Concludit vero Augustinus ibidem, deligendos dies esse *quibus purius homo, continentiusque ad tantum sacramentum dignius accedat*.

IV. Sed audiamus S. Ioannem Chrysostomum, qui uberrima suæ eloquentiæ vi *homil.* XVII. *in Epist. ad Hebr.* explicans celebre illud dictum, *Sancta sanctis*, inter Missarum solemnia inculcari solitum, hæc scribit. *Non potes dicere: Nesciebam, ignorabam hanc rem plenam esse periculi. Ne hoc possis uti prætextu, ea de caussa magna voce, terribili clamore, tamquam præco, manum tollens*

lens in altum, stans extensus, & omnibus manifestus, & in tremendo illo silentio vehementer vociferans alios quidem vocat, alios vero arcet Sacerdos, non hoc manu faciens, sed lingua clarius, & apertius quam manu. Nam vox illa, aures nostras incurrens, tamquam manus alios quidem repellit, & eiicit; alios autem introducit, & sistit. Nam quando dicit, Sancta sanctis, *hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat. Non solum, inquit, a peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim facit non solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum abundantia. Non solum, inquit, volo vos a cœno liberatos, sed altos esse, & speciosos. Nam si Rex Babylonis, iuvenes eligens ex captivitate, elegit pulchros specie, & vultu decoros; multo magis eos qui adstant mensæ regiæ, formosos esse oportet, mentisque pulchritudine præditos, auro fulgentes, pura mente amictos, regalibus calceis indutos, formosum animæ vultum, splendideque ornatum circumferentes, ac veritatis zona præcinctos. Qui talis est, accedat, & pocula tangat regia. Si quis autem pannis obsitus, sordidus, & squalidus, ad mensam regiam velit ingredi, vide quanta patietur, cum non sufficiant quadraginta dies* (idest sacrum Quadragesimæ tempus) *ad abluenda quæ omni tempore sunt admissa delicta. Nam si non sufficit gehenna, licet sit æterna, idcirco enim est æterna; multo minus hoc breve tempus. Non enim validam, sed imbecillam suscepimus pœnitentiam.* Integra Quadragesima vix tempus sufficiens Chrysostomo videbatur ad abluendas sordes ex peccatis post baptismum patratis contractas. Et nunc continuo ac peccata Sacerdotis auribus patefacta sunt, ad sacram mensam fit accessus? Plurima similia habet Chrysostomus *hom.* XXIV. *in cap.* X. I. *ad Cor.* & *hom.* III. *in cap.* I. *ad Ephes.*

V. S. Hieronymus exponens illud Zachariæ cap. IX. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, hæc habet. *Hunc panem iis comedendum qui in Christo robusti sunt, bibendumque hoc vinum ab his virginibus quæ sunt sanctæ & corpore, & spiritu, ut inebriatæ, atque gaudentes, sequantur Ecclesiam, & dicatur eis: Adducentur virgines post eam.* Rursus in illud Psal. LXXVII. *Adhuc escæ erant in ore ipsorum*, hæc adiicit. *Hæc de his qui Deum post acceptum manna dereliquerunt. Nam & nunc in Ecclesia si quis carne, & sanguine Christi reficitur, & declinat ad vitia, noverit Dei iudicium imminere.*

VI. S. Cæsarius *ser.* CXV. in app. Tom. V. S. Augustini, *Mutet ergo vitam qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur quam sanetur; magis occiditur quam vivificetur.*

§. III.

Testimonia SS. Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum Theologorum.

I. S. Thomas III. *Part. quæst.* LXXX. *art.* 10. ex instituto hanc versat controversiam, eamque resolvit hoc pacto. *Dicendum, quod circa usum huius sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris: & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructum percipiat. Unde Ambros. dicit in Lib. IV. de sacramentis .... Si, quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset, Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, subiungit: Sic vive, ut quotidie mereatis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in Lib. de eccles. dogmatibus .... dicitur: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero.*

II. Paucis improbat Doctor sanctus recentiorum Casuistarum opinationem. Contendunt isti, ad quotidianam communionem sat esse carere peccato mortali; quamvis Christianus, tepidus, languens, & peccatorum venialium plenus sit, immo licet affectum ad venialia retineat. S. Thomas e contrario docet ut *cum magna devotione, & reverentia accedat*. Hæc magna devotio pugnat cum affectu ad venialia. An animo reverenti, & ornatu mensa regia digno accedit qui adhuc flagitiorum quæ confessus est, fœtorem, & impuras exhalationes emittit? An qui frequenter in peccata mortalia relabitur, sic vivit, ut quotidie mereatur accipere? Qui vult, inquit Doctor Angelicus *opusc. de sacram. altaris cap.* XV. animam ad hoc sacramentum præparare, *primo debet per aquam lacrymarum mundari. Secundo per opera pœnitentiæ torqueri. Tertio per fervorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari*. Deinde in illud I. Cor. XI. lect. VII. *Si nosmetipsos* &c. hæc addit. *Ab ipsa mente pœnitentis talis sententia proferatur, ut se indignum iudicet participatione corporis & sanguinis Domini, ut ad tempus per ecclesiasticam disciplinam a sacramento cælestis panis separetur.*

III. Contra hanc suam doctrinam *loc. cit. ex* III. *Part.* opponit sibi Angelicus *num.* 4. ipsum argumentum quod afferre pro consulenda quotidiana communione recentiores solent. *Peccatum veniale non impedit hominem a sumptione huius sacramenti; sed nec etiam peccatum mortale post pœnitentiam. Sed dato quod nocturna pollutio provenerit ex aliquo peccato præcedenti sive crapulæ, sive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum est veniale; & si sit mortale, potest contingere quod homo de mane pœniteat, & peccatum suum confiteatur. Ergo videtur quod non debeat impediri a sumptione huius sacramenti.* Nihil speciosius opponunt hodie qui quotidianam communionem indiscriminatim consulunt. Respondet autem Angelicus: *Ad quartum dicendum, quod licet per contritionem, & confessionem auferatur reatus culpæ, non tamen auferitur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione secuta.* Si sola immundities, ex involuntaria pollutione secuta, reputatur impedimentum congruens, cur fidelis abstineat a sacra mensa; quid, quæso, dicendum de fornicatione, de adulterio, de ceteris gravissimis flagitiis quæ patrare solent nonnulli qui crastina die altaria frequentare audent, propterea quod per confessionem deleta putantur? Sed peremptoriam decisionem audiamus, quam S. Doctor in *IV. dist.* XII. *quæst.* III. *art.* I. *quæstiunc.* II. tradidit. *Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet communicare quotidie. Si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia & devotione postmodum accederet.* Nemo ergo in hac caussa iudex melior quam tumetipse. Experiris fervorem augeri, reverentiam & devotionem inflammari? Accede quotidie. Hæc est omnium Patrum doctrina. Huc Ecclesiæ vota conspirant. At si contra fervor tepescat, langueat devotio, & passiones robustiores fiant; tum abstine, ut fervorem accendas, devotionem augeas, & humilitatis, ac reverentiæ erga augustissimum sacramentum signa exhibeas.

IV. Seraphicus Doctor Bonaventura de profectu Religiosorum *cap.* LXXVII. hæc scribit. *Si aliquis desiderat experiri, utrum sit melius, sæpius, aut rarius corporis Christi suscipere sacramentum: videtur mihi quod non possit super hoc dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, & diversa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, & diversi etiam status in Religione. Et ideo sicut non potest in ægrotantibus una forma servari in dandis medicinis corporis propter diversitatem complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, aut aliarum considerationum, pro quibus aut rarius, aut sæpius, aut maiori aut minori quantitate eadem medicina datur; ita & de medicina spirituali, quæ est corpus Christi, est intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti; & alii magis, alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, & morum, & conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii vero quodammodo terrentur, cum debent accedere: & nisi conscientia urgeret, & consuetudo Religionis induceret, vel timor maioris elongationis a Deo impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum sacramentum. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare; nisi specialis caussa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superveniens, vel singularis festivitas solemnis, vel inusitatæ devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, quo solum sufficit amantis animæ ardo rem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non nisi a Spiritu sancto, ut creditur, infunditur; ideo legibus humanæ consuetudinis, & statutis mortalium non arctatur.*

V. S. Franciscus Salesius II. *Part. introduct. cap*, XX. hæc habet. *Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis communicandum suadeo; si tamen mens sine peccandi affectu fuerit .... Hoc ergo, quoad poteris, facito. Cum enim te ab omni tum mortalis, tum venialis peccati studio, ac voluntate existimem alienam, eam plane quam requirit Augustinus animi affectionem, & præparationem es adepta ... Ut quis octavo quoque die Eucharistiæ perceptionem percipiat, ab omni eum mor-*

mortalis peccati labe, ab omni peccatorum venialium studio, ac voluntate immunem esse, ac propterea sacræ Eucharistiæ vehementi desiderio flagrare oportet. Hæc doctrina S. Francisci Salesii, quemadmodum & anteriorum Patrum, directe contraria est commentis adversariorum, qui solum statum gratiæ requirunt.

VI. Celebris Magister Avila, non minus doctrina, quam sanctitate insignis, *epist.* lxv. hæc scribit. *Multum errant qui solam communionis cupiditatem, a consuetudine potius, quam a ratione veriore natam, pro idonea ad Eucharistiam præparatione habent. Quod si præterea, dum Christi corpus accipiunt, lacrymulam extillent, magnopere se profecisse arbitrantur. Verum eo falluntur, quod communionis fructum, quem nullum capiunt, non satis attendunt; neque intelligunt, unicum probæ communionis signum, animæ profectum esse, atque ad pietatem progressionem: quam si assequantur, recte ad Eucharistiam sæpius recurrunt; sin minus, ab ea debent abscedere. Commonefaciendi sunt, quanti periculi sit, ignem divinum sinu colligentem non incalescere, pane cælesti vescentem eius suavitate non imbui, præsentissima medicina utentem in summa nihilominus ægritudine iacere. Eripiendus illis cibus, tamquam inertibus, & ignavis, ut tanti boni penuria miseros se agnoscentes, pluris illud faciant, sibique laboris aliquid, & sudoris subeundum intelligant, quo ad sacras epulas sanctius se præparent: culpas, in quas identidem incurrunt, acrius ulciscantur, earum medicinam ardentius appetant, orationi, ac bonis operibus toto pectore instent, ut ita instructi, ac præculti cum interiori esurie ad cælestem panem edendum properent: hic enim cibus, ut ait Augustinus, interioris hominis famem postulat.* Plurima quoque scribit perdoctus Avila *epist.* lxvi. quæ brevitatis studio prætereo. Ardenti zelo invehitur in tepidos & ignavos, qui non proficientes in via salutis, hoc cælesti pane vesci quotidie non reformidant. Confessarios admonet, ut diligenter animum communicantium explorent, fervorem, & devotionem expendant, antequam ad sacram mensam illos admittant. Nolim, inquit, ulli sæpius quam octavo quoque die porrigi, quemadmodum suadet Augustinus; nisi quis forte tanto alimento præter alios egeat, aut tanta illius appetitione, & fame teneatur, ut tantæ cupiditati res tantopere concupita vix sine iniuria denegari posse videatur.

VII. Ludovicus Granatensis, qui vitam Magistri Avilæ scriptis consignavit, cura Eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani Romæ typis editam, regulas tradit frequentandæ communionis saluberrimas. Siquidem *conc.* 2. *in fest. corp. Christi* scribit. *Fratres, nemo credat, me ita ad frequentiorem huius sacramenti sumptionem hortari, ut non etiam illos perterrefaciendos putem qui ad illud minus pie, & religiose accedunt, sive illi Sacerdotes sint, sive non sint. Video enim esse nonnullos qui partim ex præscripta legum suarum necessitate, partim ex sola consuetudine . . . . ad illud frequenter accedunt. Ut quidam ergo excitandi sunt, ne immodico timore correpti ab hac mensa recedant; ita alii perterrefaciendi, ne indigne accedant. Utrosque igitur hortamur ut casto & puro corde, ut nuptiali caritatis veste induti, ut reverentia timidi, devotione alacres, caritate ferventes, contritionis affectu humiles, positis odiis, & dissidiis, vivificum Domini corpus accipiant.*

VIII. Missis plurimis aliorum Theologorum testimoniis, pauca adiicienda sunt ex decreto Innocentiano supra rescripto. In eodem *num.* 2. decernitur, statum gratiæ absolute non sufficere ad quotidianam communionem: & cum nihil certi super hoc statui possit, ad Pastorum vigilantiam, & prudentiam id relinquitur, ut illi resolvant quid *singulis permittendum*. His solis clausulis labefactatur Casuistarum adversantium opinio de admittendis omnibus gratia sanctificante præditis ad quotidianam communionem. Quid quod *num.* 4. Monialibus dumtaxat quæ ferventiore caritate ardent, spiritusque ardore incalescunt, frequentior, aut quotidiana communio concedi posse dicitur? Et *num.* 6. minus paratos atque dispositos, licet in statu gratiæ præsumantur, monendos a Concionatoribus esse ut abstineant a sacra mensa, inculcatur; simulque ut eis dignam præparationem suadeant, adiicitur. Instruendos quoque coniugatos decretum asserit in doctrina Sancti Apostoli Pauli, qui si, ut orationi fideles vacent, abstinendum a maritali consortio hortatur; *tanto magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cælestium epularum communionem esse conveniendum*. Et ne singulos numeros illius decreti expendam, quisque colligere potest, eo maiorem requiri devotionis fervorem, & præparationis excellentiorem sanctitatem, quo frequentior est participatio sacratissimi Christi corporis. Ecclesiæ ergo decreto, & universæ Patrum traditioni contradicunt mollioris Ethices patroni illi qui indiscriminatim ad quotidianam communionem admittendos gratia divina ornatos contendunt, absque alia peculiari præparatione.

§. IV.

Nonnullæ adversariorum obiectiunculæ diluuntur. Impostura P. Nicolai Ghezzii *exploditur.*

I. Obiiciunt 1. Æmulanda pro viribus est primitivæ Ecclesiæ disciplina, & sanctorum Patrum doctrina. Atqui in primitiva Ecclesia obtinebat quotidianæ communionis consuetudo sancta: & SS. Patres uno ore hortantur fideles ad quotidianam corporis Christi participationem. Saluberrimum ergo consilium est omnes Christianos divina gratia præditos hortari ad quotidianam communionem.

II. Resp. Mirifici sunt Casuistarum nonnulli qui hæc opponere non dubitant, quæ potissimum illorum principia noviter invecta, & peculiarem opinandi modum penitus labefactant. Si æmulanda est quotidianæ communionis frequentia, quæ priscis sæculis obtinebat; cur imitanda non est ieiuniorum, pœnarum, ciliciorum, eleemosynarum, precationum, & aliorum christianæ pœnitentiæ operum disciplina, quæ in primitiva Ecclesia exacte vigebat? Cur tanto studio quotidianam communionem inculcant primitivæ Ecclesiæ exemplo benigni Casuistæ; & tam alto silentio obvolvunt primitivæ Ecclesiæ præparationem, qua fideles se disponebant ad divinum illum cibum suscipiendum? Cur Patrum doctrinam de frequenti communione magni faciunt: & Patrum doctrinam de pœnitentia, de devotione, & fervore quo accedendum ad sacram mensam est, penitus silent? Quia forte pœnitentia, & cetera opera laboriosa, a sacris canonibus præscripta, nimium affligunt amorem proprium, nimium cruciant concupiscentiam, nimium perterrefaciunt sensus humanos, & in desperationem detrudunt imbecillem voluntatem; e contrario cibus eucharisticus delinit vulnera nostra, non exasperat, sensus demulcet, non crucifigit, voluntatem inflammat absque amaritudine, animam dealbat sine mœstitia. Ita ne vero? Expediet ergo quotidiana communio, quin crucifigatur caro, quin coerceantur sensus, quin proprius amor, quo mundi oblectamenta prosequimur, opprimatur? Qui talia doceret, doctrinam inveheret antievangelicam. Patres omnes, & Theologi frequentem & quotidianam communionem suadent, inculcant, commendant; dummodo fideles sese ad illam digne suscipiendam disponant, mores suos ad evangelicæ legis amussim reformando; dummodo virtutes christianas exerceant pro statuum & conditionum diversitate. Præterea, an adversarii evidenter ostendent, primis Ecclesiæ sæculis, amplificata per orbem religione, omnes fideles quotidie communicasse? An evincent, quotidie Sacerdotes celebrasse, & non dominicis diebus, & solemnibus festis tantum; quemadmodum apud Græcos mos adhuc obtinet? Verum admittatur, aurea illa ætate omnes, non alicubi tantum, sed ubique quotidie communicasse. Quid inde? *Optaret* Synodus Tridentina *ut omnes fideles Missæ assistentes sacramentalem communionem susciperent. Optaret*, inquam. Sed respectu omnium fidelium res adeo difficilis est, ut ne optare quidem reipsa valeat. Patres ergo ad frequentem communionem hortabantur fideles, ut sanctam vitam ducerent, ut perseverantes essent in bonorum operum exercitio. Quoniam frequentem communionem illis tantum concedebant quos devotos, & ferventes deprehendebant. Qui frequentem communionem inculcant, & dignam præparationem silent, decipiuntur, & decipiunt; atque paradoxa invehunt universæ antiquitati inaudita. Quid, si referre huc vellem documenta luculentissima, quibus exploratum habemus, adulteros, fornicatores, & ceteros flagitiosos, non publicos modo, verum etiam occultos, exclusos a sacra mensa fuisse, neque ad illam admissos, donec certa pœnitentiæ signa dedissent?

III. Obiiciunt 2. Patres, & Concilia ad digne communicandum non aliud postulant nisi exemptionem a peccato mortali; & hanc dispositionem satis esse adfirmant. Præterea Deus clementissimus dispositionem non postulat quæ infirmitatem humanam superet. Ergo non amplius exigit quam exemptionem a peccato mortali. Resp. Iam supra distinximus duplex dispositionum genus. Aliud, quod dici solet removens prohibens; quale est peccatum mortale, a quo purgari primum omnium anima debet. Aliud, quod dicitur positivum, situm in actuali devotione, & fervore. Hæc duo separant adversarii, & pro frequenti communione non aliud postulant, nisi *negativum*, seu subtractionem obstaculi, ne fiat manifestum sacrilegium. Verum Patres omnes, & Theologi positivam dispositionem requirunt ad digne communionem percipiendam. Et iuxta maiorem aut minorem

rem gradum devotionis & fervoris, rarior aut frequentior consulenda communio est. Dispositionem supra humanam infirmitatem Deus non requirit: quia ipse gratiam impertit, ne supra id quod possumus, tentemur. Ipse divitias misericordiæ suæ effundit super nos, quibus & fervorem accendere, & devotionem augere possumus, si bene illis uti velimus. Si tepidi, si languidi, si irreverentes, & indevoti, si indigni sumus frequenti communione, ex nostra malitia id proficiscitur, non ex eo quod Deus dispositionem postulet vires nostras, sua gratia adiutas, excedentes.

IV. Obiiciunt 3. Hoc sacramentum institutum est per modum alimenti; & vocatur panis quotidianus; ergo quemadmodum expedit panem corporalem quotidie sumere, ita convenit omnes fideles hunc cælestem panem quotidie percipere. Resp. Si paritas consisteret, consequeretur pluries in diem sumi posse panem hunc divinum, quomodo pluries in diem sumitur panis communis. Quotidianus est panis iste cælestis, quia quotidie omnibus aptis ad illum percipiendum paratus est. At illud expendendum est, quot sint apti & dispositi ad hanc quotidianam sumptionem digne percipiendam. Hi autem, ut experientia docet, pauci sunt. Idcirco quotidiana communio omnibus indiscriminatim consulenda, ut adversarii contendunt, non est; sed pro dispositionum diversitate rarius, aut frequentius iuxta prudentis & probi ministri iudicium percipi debet.

V. Obiicit 4. Auctor operis *spiritus Christi & Ecclesiæ* &c. *pag.* 335. & *seq.* Ieiunia, cilicia, & similia non sunt nisi exterior cortex pœnitentiæ. Frequens communio est perfecta pœnitentia. Et *pag.* 404. docet, ipsam communionem esse medium efficax quo peccatores suos corrigant defectus, seseque disponant ad illam percipiendam. Quam doctrinam passim repetit, & est veluti principium, quod per totum opus frequenter recurrit. Idque confirmat *pag.* 352. exemplo Arcæ, a Philisthæis in templo Dagon collocatæ: quod exemplum adduci in horrorem sacrilegæ communionis ab aliis solet. Auctor vero iste sic argutatur. Si umbra Eucharistiæ, Arca nempe fœderis, in templo Dagon constituta, tam potens fuit; quanto potentior erit Christus in Eucharistia præsens, si frequenter hoc sacramentum percipiatur? Continuo ac cor occupabit, e throno deturbabit amorem proprium, eiusque destruet imperium.

VI. Amor proprius ergo idolum Dagon est, quod cor occupat communicantis, quod thronum implet, & moderatur imperium a Christo destruendum? Cupiditas igitur, sive quælibet alia appetitio quæ dominatur in corde illius qui communionem suscepturus est, non est communioni obstaculum, & impedimentum? Si hoc intelligit Auctor, turpiter errat. Quoniam nullus appetitus dominans & imperium exercens in anima, componi cum statu gratiæ potest. Et tamen huc recidere Auctoris doctrina videtur. Nam, subdit *pag.* 496. loco pœnitentiæ imponi frequens communio potest: quoniam iuxta Concilia frequens communio efficacius, & compendiosius medium est *conversionis*, & sanctificationis, frenum potentius adversus vitia, & pravos habitus. Si communio medium est conversionis; licet ergo fideli communicare, antequam convertatur. Immo, si medium istud validius & brevius ceteris omnibus est, Confessarius, postquam expertus est frustranea omnia media pro conversione peccatoris obdurati in vitiis, poterit illum sacra communione reficere, ut breviori & potentiori remedio eumdem in Deum convertat. Tam horrenda absurda, quæ necessario doctrinam recensitam consequi videntur, Auctor ipse detestabitur. Hallucinatus ille est, ut alias dixi, quod genera & ordines diversos in unum confundat; velitque sola communione eximere fideles ab aliarum virtutum laborioso exercitio. Omnes fatentur, panem hunc divinum cor nostrum confirmare, instaurare vires, roborare animam, augere gratiam, venialia delere, & alios mirabiles effectus quos supra recensui, inducere. Quid heinc? Propterea ne fideles liberi sunt ab exercitio aliarum virtutum, quibus ad hoc sacramentum præparentur? Propterea ne subducere se non debent a mundi oblectamentis, theatris, comœdiis, ludis, conviviis æquo lautioribus? Propterea ne præmittere non debent & preces ferventes, & eleemosynas proprio statui congruas, & ieiunia viribus accommodata, & ceterarum appetitionum compressionem? Auctor scribit *pag.* 258. communicantes a sacra mensa *redire veluti leones robustissimos, universo inferno formidandos*. Depopulabuntur ergo *leones & leonissæ istæ* omnia inferni simulacra. Rugient leones isti contra theatra, & spectacula; scenas evertent, luxum, fastum, ambitionem, pompas vanas, & cetera insanientis mundi præstigia destruent leones eiusmodi, & devorabunt. Sed leones isti, & leonissæ non adeo frequenter visuntur. Ipsius Auctoris doctrina eiusdem

eiusdem aberrationes refelluntur. Reipsa augustissimum sacramentum digne susceptum indicatos, & plures alios ineffabiles effectus parit. Ergo efficit communicantes plus minusve contemptores mollioris vitæ, divitiarum, vanitatum, ambitionis: eos efficit temperantes, sobrios, modestos, pudicos, devotos, ferventes in oratione, constantes in periculis, patientes in adversis, in prosperis humiles. Cedo: qui frequenter accedunt ad sacram mensam, sunt, aut non sunt huiusmodi? Si secundum; ergo ex sacra mensa non redeunt ut leones, inferno, & mundo terribiles. Si primum; ergo reipsa qui frequenter communicant, præter exemptionem a peccato mortali, & statum gratiæ, secum adferunt ceterarum virtutum apparatum. Ne multa. Christianarum virtutum exercitia præparant animam ad dignam Eucharistiæ susceptionem: & digna Eucharistiæ perceptio animam roborat ad perfectiorem, sanctioremque virtutum exercitationem: mutuo sibi manus, ut ita loquar, porrigunt, & reciproco fœdere sese muniunt. Devota & fervens dispositio aptiorem animam reddit ad uberiores Eucharistiæ fructus percipiendos. Et quo maiores anima fructus in communione recipit, eo ferventiori devotione se in dies disponit ad frequentiorem communionem. Hæc cognosci nisi experientiæ beneficio nequeunt. Ergo doctrina adversariorum, qua absolute definiunt, ad frequentem communionem non requiri nisi exemptionem a peccato mortali, falsa & perniciosa est.

VII. Obiiciunt 5. Fideles, præsertim nobiles, ad frequentandam communionem, & sacramenta alliciendi sunt; quamvis frequenter relabantur, suasque reciprocas virorum, & mulierum amicitias abrumpere nolint; neque vale dicere vitæ molliori, ludis, comœdiis, choreis, & ceteris quæ hac tempestate obtinent, oblectamentis, & commerciis velint. Cur ergo admittendi ad sacramenta isti sunt, & istæ? Quia, elapsa florida iuventute, & virili ætate, cum ad senium declinaverint, tum frequentia sacramentorum suum pariet fructum. Consuetudo quippe quæ obtinuit in iuventute & virilitate frequentandi sacramenta, efficit ut, declinante ætate, sacramenta digne sanctæque percipiantur. E contrario, si florente ætate arcerentur a sacramentis, habenas laxarent; &, fractis aggeribus, totos se vitiis ingurgitarent, & in desperationem prolaberentur; templa deserta, & confessionalia vacua fierent. Minus ergo malum eligendum, ad confessionem admittendi, impertienda absolutio, reficiendi alimento cælesti sunt.

VIII. Obiectionem hanc scriptis consignatam non legi, sed a Confessoribus ipsis, & ab eorumdem pœnitentibus nonnumquam audivi. Fidem præbere prima vice vix poteram; sed tot confirmationes accesserunt, ut de facti veritate ambigere nullo modo potuerim. Consilium istud erroneum est, atque perniciosissimum; praxis est sacrilega, quæ Christi sacramenta profanat, & scandala horrenda inducit. Utinam quæ narravi, comprobata experimento in mundi conspectu non apparerent. Sacrilegis ergo communionibus demulcendi nobiles Christiani, & Christianæ sunt? Permittendum ut suis illecebris indulgeant, & interim conscientiarum aculei aliquantulum retundendi, placandi remorsus, tranquillandi animi sacramentorum frequentia, ut absque mœstitia, & amaritudine suis frui deliciis valeant? Praxis isthæc scelera sceleribus accumulat, flagitiis horrorem adimit, ad continuanda crimina animos adiicit, ad obstinationem, cæcitatem, & impietatem tandem viam parat. *O miseri* (clamat S. Thomas Villanovanus) *animarum non curatores, sed interfectores, non consultores, sed deceptores! Quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis decepistis, vestris consiliis iugulastis?* Praxis isthæc non responsionem, sed detestationem postulat. An non cuique lumine naturali prædito insitum illud est, *Sancta sanctis*? Reponunt, *sacramenta semper aliquid operari*. Verum habet. In sanctis sanctitatem: in iniquis condemnationem tremendam operantur: qui enim indigne manducant, & bibunt, iudicium sibi manducant, teste Apostolo Paulo.

IX. Imposturam P. Nicolai Ghezzii effutientis, me dissuadere fidelibus sanctissimæ communionis frequentiam, ob oculos prudentum exponere cogor. Hæc itaque scribit *epist.* VI. *pag.* 140. P. Ghezzius. „ Or, riveri-
„ tissimo Padre, a che mira tutto ciò, se
„ non a quello scopo medesimo, a cui mira
„ il famoso libro *della frequente comunione*,
„ cioè a distorre a tutto potere i fedeli dall'
„ accostarsi sovente a questi prontissimi mez-
„ zi di lor salute? L'Arnaldo anch'egli in
„ quel suo libro non mai espressamente di-
„ sapprova questa frequenza; ma quel suo
„ tenersi a non dir mai parola, che v'invi-
„ ti positivamente i fedeli, e tante dirne,
„ che gli ritraggono, è bastato per farlo
„ giudicare un libro perniciosissimo. Or
„ ove

„ ove è mai che in que' due Tomi della Storia, o in questo Esame dicasi pur una „ sillaba per animar i fedeli a valersi sovente di questi gran mezzi? Laddove quanto „ vale a ritrarneli il leggere quanto io soltanto accennai, e a metter loro, il men „ che sia, in diffidenza, se non anche in orrore que' zelanti Direttori, che a tutto potere ve li consigliano? Troppo mi sa „ male di dover rimproverarle cose tali, e „ di trovare ad ogni passo nuovi riscontri „ tra lei, e Scrittori che ella avrebbe dovuto studiare un po' meno, e meno ancora imitare. " Hactenus P. Nicolaus Ghezzius.

X. Quinam sunt libri isti, a quibus ego abstinere debueram? Sua Reverentia, ut olim, dum puerorum magistrum agebat, ita nunc nobis ceu pueris libros legendos, aut reiiciendos præscribit. Libri quibus ego studeo, P. Nicolae Ghezzi, sunt Scripturæ sanctæ, Patres, Concilia, Angelici Doctoris, & graviorum Theologorum volumina. Hæreticorum opera revolvo, ut illorum hæreses refellam. Casuistarum plurium libros sub examen induco, ut laxitatis paradoxa labefactare valeam. Duo mei Tomi *Historiæ Probabilismi & Rigorismi* in id unice incumbunt, ut impedimenta removeant quæ frequenti communione indignos fideles reddunt. Qua fronte P. Ghezzius scribillare audet, me fideles a frequenti communione retardare? Adversus sacrilegiorum frequentiam vocis sonitum ego extollo. Matronas illas, & matronulas quæ heri cum amasiis suis saltabant in circo, assidebant in theatris, tempus fallebant in ludis, in impudicis colloquiis; quæ luxum, fastum, & pompas paganicas triumphabundæ in publicum deferunt: & hodie a Confessariis aliquibus absolvuntur, communicantur, sanctificantur, quin renuntient ambitioni, vanitati, obscœnisque amicitiis: has, inquam, amasias, & amasios frequenti communione indignos dixi, donec, mundanis corruptelis eiuratis, Christi Evangelium servare velint. Contra, fideles qui mores suos conformare ad Christi IESU' splendidissimum exemplar pro humana imbecillitate student, ad frequentem communionem suadeo, exhortor, urgeo. Iure fatetur P. Ghezzi se conscientiæ aculeatos morsus experiri (*troppo mi sa male di dover rimproverarle tali cose*) dum tam immanem imposturam mihi impingere non erubescit, quod nempe pios fideles retrahere ego a frequenti communione pertentem, quod erroneæ doctrinæ Auctores mihi imitandos proponam. Quid mihi librum Arnaldi de *frequenti communione* obtrudit P. Nicolaus? Arnaldi errores execror, & data occasione refello. Illius, sicut & aliorum, inobedientiam pontificiis constitutionibus quæ errores contra dogmata divinæ gratiæ & humanæ libertatis, quæ Sinenses & Malabaricos cultus superstitiosos, quæ captiosa commenta, quæ tactus mamillares, quæ fenora, quæ libellos famosos damnant, sincero corde detestor.

XI. Unum arcanum referandum postulo a P. Ghezzio mihi improperante quod in *Historia Probabilismi & Rigorismi* non fuerim fideles ad frequentem communionem adhortatus. Arcanum est. Mollioris Ethices patroni non pauci, qui frequentiam suadent sacramentorum, a supremo, & maximo mandato frequenter eliciendi actus caritatis fideles liberant. Alii docent, hoc mandatum urgere per accidens in mortis articulo, secus in vitæ decursu; alii tantum singulis quinquenniis; alii singulis bienniis ad illud implendum Christianos obligant. Quæro. Magis ne stringit præceptum divinum communionis, quam præceptum divinum caritatis? Præterea, nonne sacramentum Eucharistiæ singulariter amoris sacramentum est? Rursus. Cui Benignistæ illi qui frequentiam inculcant Eucharistiæ, præcepta pœnitentiæ, ieiuniorum, & aliarum virtutum, quæ carnem affligunt, sensus coercent, & mundi illecebras prohibent, vanis commentis delinire, & extenuare conantur? Nonne eo tendit sanctissimæ communionis finis, ut fideles conformes efficiat imagini Filii Dei? An Iesu Cristo similes illi sunt qui theatra, & altaria; qui comœdias, & Ecclesias, qui Eucharistiam, & crapulam, qui Confessarios, & amasias frequentant? Si suadendi hordierni fideles sunt ut primos Christianos in frequentanda Eucharistia imitentur; numquid laxis opiniunculis benignitatis fuco delibutis liberandi sunt a debito æmulandi eorumdem pœnitentiam, mortificationem, modestiam, humilitatem, pomparum, luxus, & fastus contemptionem? Hoc arcanum pandendum requiro a P. Nicolao Ghezzio.

§. V.

Sacrilegarum communionum caussæ invictis argumentis manifestantur.

I. PRæiudicatæ opiniones, quæ Christianorum, & quorumdam etiam Ministrorum mentes occupant, caussæ sint innumerabilium sacrilegiorum. Pauci sunt fideles qui scienter cum conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam accedere velint. Puellæ aliquæ ob insitam verecundiam occultare aliquando flagitia solent, dedecoris laqueo iugulatæ. Verum & ex istis paucæ sunt; cum hodie effrenata procandi, peccandi, & bacchandi libertas adeo impudenter puellas inter & iuvenes, mares, & feminas grassetur, ut non dedecori, sed honori flagitia vertantur. Exceptis itaque paucissimis mulierculis, aut hypocritis, communiter fideles sua Confessariis scelera pandunt, de eisdem dolorem præferunt, & absolutionem obtinent.

II. Porro tria distinguenda sunt peccatorum genera. Alterum tum a pœnitentibus, tum a Confessariis cognitum, tamquam evidenter flagitiosum. Alterum flagitiosum quidem reipsa, sed tum a Confessariis, tum a pœnitentibus sub velo honestatis conceptum & existimatum. Tertium a pœnitentibus reputatum honestum, & a Confessariis cognitum ut pravum. De primo infra; de secundo, & tertio in præsens.

III. Cuiuscumque professionis, & conditionis homines sua peculiaria crimina habent, quæ non reputantur ab ipsis. Rustici, coloni, agricolæ, servi furta perpetrant, quæ compensationis occultæ titulo vestiunt. Artifices opera sua vitiose construunt, quod emptores solvere iusta pretia nolint. Mercatores usuras fucant. Advocati fraudes, & dolos honesta professionis stratagemata vocant. Iudices ignorantiam sapientiam practicam appellant. Matronæ vanitatem, pompas, luxum, & nuditatem plusquam paganicam, ut honestum patriæ morem, defendunt. Nobiles prodigalitatem, & immoderatas expensas status decorem nuncupant, quas ut continuent, ingentia debita sæpe contrahunt, & quando intentionem eadem solvendi habeant, nullum sibi scrupulum movent. Hæc bona & pia intentio illis sat est, nihil curantes quod mercenarii lugeant, quod artifices blasphement, quod mercatores decoctores evadant. Quid de invidia, de odio, de simultate dicam; quæ quo latius grassantur, eo minus cognoscuntur? Quid de superbia, omnium malorum initio? Quid de ambitione? Quid de ceteris criminibus? quæ quo sunt a corpore remotiora, eo difficilius cognoscuntur. De his aut vix se accusant Christiani, aut ita perfunctorie, ut nullum verum dolorem de iisdem concipiant. Quid de ipsis personis Deo consecratis dicam? Moniales simoniæ scelus, quod perpetrant, dum a puellis ad habitum Religionis admittendis dotem, & vitalitium exigunt, falso ut plurimum titulo paupertatis Monasterii incrustant, & quo ditiora sunt Monasteria, eo maiorem requirunt dotem, vitalitium opulentius, & profusiores expensas, ut paupertatis prætextus speciosior sit. Viri claustrales, & viri Theologi, tum mollioris, tum severioris Ethices, suam habent Theologiam, qua sancta constituunt quæ sibi videntur commoda. Ædificiorum magnificentiam, & amplitudinem, pecuniarum accumulationem, aut dilapidationem, disciplinæ relaxationem, delictorum dissimulationem, & cetera quæ prætereo, temporum mores nominant. Denique cœpit licitum esse quod publice agitur; & cuiuscumque cœtus crimina larvam consuetudinis induerunt, quæ non modo licita, sed ita sancta apparet, ut quicumque eam reprehendere tentaverint, maledicta contra se provocent; sicuti testatur Augustinus *serm.* CXVIII. *de verb. Evangel. Luc.* VII. *de trib. mor.* ubi hæc habet: *Qui faciendo quod malum est, etiam consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo non eos sinat videre quod malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum, irascuntur cum reprehenduntur . . . . ut iam nequitia sit iustitia, & prohibitor potius reprehenditur quam factor.*

IV. Hi omnes sacramenta & pœnitentiæ, & Eucharistiæ tranquilla conscientia frequentant, nullumque sibi scrupulum movent neque pœnitentes, neque Confessarii; & cum conscientiam peccati mortalis se habere non arbitrentur, secure communiones frequentant. Si Confessariorum aliquis peccatum in enarratis moribus, & consuetudinibus deprehendat, & difficultatem ingerat pœnitentibus; hi respondent, se tuta conscientia hæc peragere, rationesque probabiles sibi favere. Tum si Confessarius sit Probabilista, deliberat licitum esse sequi opinionem docti, & probi pœnitentis: si sit Probabiliorista, nolitque pœnitentes absolvere; hi adeunt Confessarios alios, a quibus facillime absolvuntur. En numerum ingentem Christianorum, qui sacrilege communicant ob peccata vincibilis, & culpabilis ignorantiæ.

V. Peccata manifesta, & ut talia cognita, qualia sunt adulteria, fornicationes, pollutiones voluntariæ, sodomiæ, furta, ebrietates, periuria, blasphemiæ nunc in examen veniant. Christianorum nemo, horum criminum conscius, ad Eucharistiam accedere audet, quin confessionem præmittat. Istorum funesta deceptio, & hallucinatio est, quod existiment se continuo ac confessi sunt, Eucharistia dignos. Vulnerum vestigia, flagitio-

gitiorum fœtor adhuc olet: & ad regiam divinam mensam accedere non reformidant. Verum hoc parum est. Ipsa scelera non soluta, *sed ligata in anima* post confessionem remanent in iis qui post sacramenta in similia flagitia illico, aut paullulum post relabuntur. Per confessionem sacramentalem peccata deleri certum est, posita necessaria dispositione ex parte pœnitentis. Verum utrum reipsa peccata hæc deleantur, non aliunde nos cognoscere possumus quam ex effectibus, qui sub sensus cadunt. Porro quis dixerit Christianum humilem, & non superbum, si data occasione passim se superbum prodit? Quis adfirmaverit Christianum pudicum & castum, si passim opportunitate oblata luxuriosum se manifestat? Idemque dicito de ceteris flagitiis. Ex centum hominum millibus, qui ante pascha erant luxuriosi, vindicatores, prodigi, ambitiosi, avari, quot sunt post communionem paschalem qui revera castos, inimicorum veros amatores, divitiarum iustos administratores, humiles, modestos se prodant? Nonne publica experientia constat hos esse paucissimos?

VI. Porro, ut argumenti efficacitas luculentior appareat, adversariorum rationes in medium prodeant. Extollunt ipsi nobiscum vim & efficaciam Eucharistiæ ad concupiscentiam frenandam, ad roborandam infirmitatem nostram, ad confirmandas vires, ad præservandum a relapsu, ad augendam caritatem, & diminuendam cupiditatem, & ad perseverandum in gratia. Ipsæ Scripturæ sanctæ effectus istos Eucharistiæ tribuunt. Omnis quippe qui digne Eucharistiam suscipit, iustus est. Porro *iustus* (inquit David Psal. I.) *erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet*. E contrario statim subdit: *Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis, quem proicit ventus a facie terræ*. Evangelista Matthæus *cap.* VII. assimilat iustum *viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit*. Fluctus humanarum vicissitudinum, venti tentationum non diruunt interiorem animæ iustæ domum. Peccatorem assimilat ibidem Evangelista *viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam: & descendit pluvia, venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit* &c.

VII. Quæ omnia evidentius confirmantur. Omnes iusti, digne communicantes, caritatis, & gratiæ augmentum recipiunt, ut alias dictum est. Caritatis autem amor dominatur in cupiditatem, in amorem proprium, in ceterasque appetitiones; quia augmentum caritatis infert diminutionem cupiditatis. Cum ergo Christianos communicantes videamus, post paucos dies in lutulentissimum luxuriæ cœnum relabi, & volutari tentationum ventis, ac veluti pulverem proiici a facie Dei: cum illos videamus iracundos, crapulones, avaros, loquaces, periuros, vanos, superbosque: qua vel levi probabilitate adfirmari potest, digne istos Eucharistiam suscepisse? Cur, quæso, adversarii tanta eloquentiæ ubertate inculcare student frequentem communionem omnibus indiscriminatim fidelibus gratia ornatis? Quia hæc remedium efficax, antidotum validissimum contra omnes tentationes. Ergo quoties recensitos effectus non producit, caret remedium vi & efficacitate sua propter obicem quem offendit in communicantibus. *Dic mihi* (clamat Ludovicus Granatensis tract. III. mem. vit. Christi.) *Si quis gravi morbo laborans potionem sibi a medico præscriptam ebibens nihilo melius haberet, sed idem febris ardor incenderet, idem ciborum fastidium, eadem sitis, eadem corporis debilitas illum premeret: quis huiusmodi potionem salutarem illi fuisse crederet, cum nihil de morbi molestiis immutarit?* Cum igitur sacramentalis communio animæ sanitatem confirmet, & narratos effectus natura sua edat; si nihili horum efficiat, si idem rerum spiritualium fastidium in anima remaneat, eadem rerum terrenarum sitis, atque cupido, idem libidinum æstus, idem avaritiæ, atque ambitionis ardor, eadem ad omnia virtutum officia infirmitas atque imbecillitas: qua, quæso, coniectura, vel iudicio colligere potero, spiritualem hanc medicinam tibi prodesse?

VIII. Non me latet, statum hominis viatoris mutationi obnoxium esse, & concupiscentiam in iustis ipsis pugnare adversus spiritum, atque numquam eam assequi immobilitatem quæ paucis in gratia confirmatis singulare privilegium est. Verumtamen quod communicantes hoc divino pane, qui panis fortium est, pasti, in eadem sæpius relabantur flagitia; quod easdem experiantur ægritudines, & vix umquam convalescant; quod frequentius vincantur quam vincant; argumentum est eos haudquaquam Eucharistiæ fructum percepisse. Quod hodie sis amicus Dei sincerus, constans, & fidelis, eiusque amicitia thronum cordis tui occupet, & post paucos dies ad primam occasionem

nem Deum a corde tuo repellas, & fœdus cum diabolo & mundo in eas, paradoxa sunt inaudita. Concedo, iustos ipsos posse interdum, ingruente aliqua vehementi tentatione, aut occasione, non libere quæsita, sed fortuito occurrente, infirmitati suæ succumbere, & in flagitium etiam gravissimum prolabi. Quare semper cum timore & tremore vigilandum, certandumque est pro gratiæ thesauro custodiendo. At quod passim hæc eveniant; quod tu appetitiones tuas, quæ rebellionem continenter machinantur, demulceas; quod libere mundi delicias, oblectamenta, & rebellandi pericula adeas; quod declinare diaboli præstigia respuas, sed eadem anxie perquiras; quod otio, inertia, & socordia diffluas, & animæ tuæ ægritudines vix sentias, & simul divina fruaris amicitia; sunt paradoxa inaudita. Nam cum dicimus, vir bonus non frangit fidem, iustus iudex non est personarum acceptor, mercator honestus non facit fraudes, maritus fidelis non violat thalamum, probus Religiosus abstinet a choreis &c. quisnam est harum propositionum sensus? Communis & vulgaris est, quod aut numquam, aut raro, & difficulter eiusmodi homines perpetrent indicata crimina. Communicantes aut sunt probi, casti, iusti, & sinceri Dei amici; aut secus. Si secundum: ergo sacrilegi, hypocritæ. Si primum: ergo raro, & difficulter Dei amicitiam violant. Experientia oppositum ostendit. Ergo pauci sunt qui digne & sancte communicent. Suadendum itaque omnibus est ut aptos ad communionem se reddant; sed illi tantum admittendi qui reipsa ex eorum operibus digni cognoscuntur.

IX. Lubet pauca perstringere ex iis quæ percelebris P. Emericus de Bonis Societatis Iesu Theologus habet in *tract. de sacram. altar.* latine reddita a P. Contensonio. Duos perniciosos abusus, inquit, in frequenti communione, qui utinam cito tollantur, invenio. Primus est quorumdam hominum qui passim luxuriæ spurcitiis se contaminant, & nihilosecius frequenter sanctissimo Christi corpore pascuntur. Sunt alii qui etsi rarius peccent, iis tamen diebus quibus consuescunt, ad sacram mensam accedere, quamvis die antecedenti peccaverint, non reformidant. Illorum abusus, errorque maximus est, quod non satis cogitent quam infame, & turpe vitium carnis illius virgineæ humanitatis sanctissimæ, divinitatis augustissimæ, quam hoc sacramento suscipimus, munditiei, atque puritati adversetur: cuius si vere dignitatem, & excellentiam perno-scerent, aut in viam redirent, aut mutarent mores, aut numquam tremendum sacramentum sumere auderent. Et tamen sunt homines adeo audaces, & perfrictæ frontis, ut sæpe sine ulla vitæ emendatione carne Christi vesci nihil horreant: quos si Confessarius a communione, ut decet, submovere velit, irascuntur; nec verentur cum illo contendere, causati alios esse Confessarios contra sentientes, & ad sacram synaxim accedere permittentes.

Ego, etsi nemini legem præfinire velim, non mihi videor prave sentire, si tales homines ad sacram synaxim male præparatos putem: cum ipsi tam cito, tamque frequenter ad suas impuras libidines redeant; timendumque valde esse ne indignæ communionis, & infandi sacrilegii periculo se exponant: quia crebri in easdem culpas relapsus debitam præparationem defuisse testantur. Nam si nullum adversus vim & efficaciam sacramenti obicem ponerent, effectus eius proculdubio sequerentur; quorum unus est ut eos qui digne sumunt, castos faciat: quoniam multum cupiditatem minuit, quæ sic fracta & coercita facile vinci superarique potest. Quod nunc in multis cernitur, qui cum ante luxuriæ vitio deditissimi essent, postea cælesti cibo sæpe refecti, castitatem coluere. Qui si pravam in meliorem vitam mutarunt, quidni illi quoque idem possint? Sed vultis scire quid sit, quare non faciunt? Nolunt. Quapropter arcendi a communione sunt. Unde qui secus facit, panem filiorum dat canibus, & margaritas proiicit ante porcos; quod a Christo Domino prohibetur.

Quamobrem Confessarii & Directores diligentius attendere sibi debent, ne iudiciorum Dei experiantur acerbitatem, qui dispensati tam pretiosi thesauri accuratam ab eis rationem reposcet. Ipsi secum reputent, ob indulgentiam illam & nimiam facilitatem indignos ad communionem admittendi, multos ea duritie, eoque animi stupore erga res divinas obriguisse, ut ne quidem status illius miserrimi, in quo torpent, sensum habeant salutarem. Quo fit ut cum prius venerabundi ad augustissimum sacramentum accederent, iam id absque timore, veneratione, & pietate suscipiant. Quod inde manifestissime patet, quia nonnumquam eodem die (horrendum dictu, & Angelis ipsis detestabile) ad suas sordes revertuntur. De iis quoque idem sentio qui postero, tertio, aut quarto die ex quo Eucharistiam sumpserunt, idem quod antea, peccant; aut qui pridie, nudius tertius, aut quartus ante peccave-

caverunt; ita ut vix a noxa uno die, biduo, vel triduo per hebdomadam se abstineant, qui tamen die dominico ad sacram synaxim admitti flagitant. Quod dicunt, alios Confessarios esse qui eos sic affectos a communione non arceant; sat erit respondere, nolle mihi Deo talium Confessariorum agendi rationem esse præstandam.

Non equidem ignoro, fuisse præteritis sæculis, & etiamnum esse viros & piissimos, & doctissimos, qui utile sæpe esse, & aliquando necessarium censeant, talibus absolutionem denegare, hoc freti, quod veræ contritionis, ne quidem attritionis, sine qua nemo absolvi potest, & absolvere sacrilegium est, signa nulla ostendant; qui etiam sanctæ resurrectionis tempore eos qui ante paucos dies crimen aliquod admiserint, a communione suspendant, continentiam aliquandiu ante servare iubentes quam tremenda adire mysteria sinantur; tam crebris, tam facilibus relapsibus, merito suspicionem ingerentibus Confessario, deesse illis veram attritionem, sine qua non solum possunt, sed etiam debent suorum peccatorum vinculis obstrictos remittere. Utilissimum ergo remedium est, & frequenti experientia confirmatum, ut in aliquod tempus iis hominibus absolutio differatur, quo victu, cultuque asperiori, antequam ad communionem accedant, se præparent. Est enim qui postquam innumera crimina, & horrenda scelera Sacerdoti patefecit, perendino, aut tertio die carne, & sanguine Christi refici non timeat. Quod sane non est permittendum: quoniam qui habitum peccandi contraxit, nonnisi magno nisu resipiscere, magnaque animi contentione excitare in se salutiferum peccatorum dolorem valet.

Quemadmodum arbor annosa non unico ictu deiicitur, nec vas aliquo tetro liquore imbutum, si semel frigida aqua abluatur, odorem amittit; sed opus est ut diu in cinere & lixivio fervescat: eadem quoque agendi ratione erga illos omnes utendum est qui tam sæpe ad sua peccata recurrunt. Subeant post exposita flagitia, pœnarum, & laborum genera, quibus sentiant, doleant, & detestentur præteritas culpas; quod quia ab illis non exigitur, cito suum vomitum resorbent.

Multi Confessarii pii prudentesque testantur, innumeros homines qui peccatis prius obstricti erant, quod eam rationem tenuissent, dilataque absolutione sæpius ad tribunal, ut animi statum identidem aperirent, illis redire iussissent, imposita interim delictorum pœna, pristinos mores in melius mutasse, & magno gaudio, magnoque deinceps in virtutem progressu, infandam peccati consuetudinem abiecisse. Durum plane, & grave primo illis videbitur, toties sine absolutione, & peculiaribus pœnis oneratos remitti. Verum multi postea severitatis illius fructum, & utilitatem experti, gaudentes, & ut de se optime meritis gratulantes rediere, futurumque fatentes fuisse, nisi huiusmodi austeritate fuissent cohibiti, laudabiliorem vitam ut numquam instituerent. Magno dolore proculdubio, dum chirurgus tumorem pungit, ægrotus afficitur; sed sanatus gratias agit, mercedemque pro beneficio rependit. Si Confessarii maiorem severitatem adhiberent, multo maior frequentiorque pravorum hominum emendatio consequeretur. Non iisdem semper criminibus obnoxios homines cerneremus, neque subinde, ut faciunt, Confessarios mutarent, ut tandem aliquem inveniant mollem facilemque, qui leves imponat pœnas, qui sinat, quoties libuerit, etiam moribus non mutatis, ad eucharisticam mensam accedere: quem deinde inventum, tamquam peritissimum, prædicant. Ceteros, qui perversorum morum, institutorumque mutationem exigunt, tamquam incommodos, scrupulosos, humanæque fragilitati nimium duros, reprobant. Sed miseri illi animarum rectores non cernunt, pravos homines in vitiis suis propter suam indulgentiam detineri, atque in pristina peccata relabi. Medicus qui, ne molestus sit ægroto, vulnus gangrena vitiari sinit, quod, si validum unguentum, ignem etiam, aut scalpellum mature adhibuisset, sanari potuerat, non misericors, sed crudelis haberi debet. Idipsum tam multis peccatorum reis ob nimiam Confessariorum lenitatem & indulgentiam accidit. Offeret se aliquis cuius ad expiandas noxas multis diebus ieiunia, & cilicia essent imponenda. Huic semel Rosarii preces, aut septem pœnitentiæ Psalmi recitandi imponentur. Et quoniam illæ pœnæ non sunt molestæ, fit ut illi se cito suis criminibus inquinent. Quod si illi Confessarii rationem Deo de illis hominibus sibi reddendam esse etiam atque etiam apud se cogitarent, multo impensius sibi profecto caverent. Oraculum tremendum S. Thomæ de Villanova serio ponderandum Confessariis exhibeo. *Quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum blandiens adulatio, deliniens demulcensque assentatio?* Fer. VI. Dom. III. Quadrag.

§. VI.

§. VI.

Nonnulla consectaria pro Confessariis. Quando concedere, aut denegare communionem debeant.

I. Consequitur ex hactenus dictis, inquient nonnulli, dissuadendos esse laicos fideles a frequenti & quotidiana communione. Sed basilice hallucinantur. Consectarium legitimum hoc est, videlicet arcendos a communione indignos; omnesque hortandos ut morum castimonia, vitæ puritate, & operum sanctitate se dignos reddant ad frequentem communionem. Nulla professio, nulla ars, conditio nulla, nullus status impedit quominus Christiani valeant hoc augustissimum sacramentum frequentare. Negotia, occupationes, ministeria honesta, & humanæ societati utilia, si ob finem rectum peragantur, & ad Dei gloriam ordinentur, locum meditationis & præparationis ad Eucharistiam obtinere possunt. Sacerdotes, Parochi, Episcopi, Ministri qui sine intermissione pauperum caussis & dissidentium litibus dirimendis, componendisve, qui casibus conscientiæ solvendis, rudibus imbuendis, concionibus parandis, confessionibus audiendis operam navant, continenter orant, & meditantur: quia, inquit Augustinus, qui recte novit vivere, recte orare didicit. Artifices & operarii omnes qui in sudore vultus pane vescuntur, & officia sua implent, ut Deum, qui in tali statione illos collocavit, glorificent, orant opere, sin minus ore. Mercatores, iudices & cuiusque status homines, si suæ vocationis munera exequantur; uxorati, si caste, sobrie, sancteque matrimonium exerceant, procreandæ sobolis gratia, filios imbuant in lege sancta, patienter molestias, & onera gravissima sustineant, ut Deum glorificent, se ad sacramenta disponunt. Non ergo Magistratus officia, non familiæ negotia, non artium exercitia impedimento sunt Eucharistiæ frequentandæ; dummodo animo recto, iusto, & christiano hæc omnia peragantur. Contra qui nullis, aut levibus occupationibus distenti, dies & hebdomadas voluptatibus, ambitioni, mollitiei, otio, ludis devovent, Eucharistiæ percipiendæ idonei minime reputandi sunt; tametsi die dominico paucas horas impendant in aliquibus precationibus recitandis, & devotis libellis lectitandis, quæ parum, aut nihil incommodant. Quoniam digna ad Eucharistiam præparatio non tam ex quibusdam precibus, & meditationibus, quam ex morum probitate, ex vitæ sanctitate, ex professionis propriæ observantia, ex virtutum exercitio consurgit. Status, & professionis personarum peculiaris ratio habenda est.

II. Regula tuta & vera, quam servare debent Confessarii in concedenda, aut neganda communione, hæc esto. Si certo deprehendatur, Eucharistiam suos parere in communicantibus effectus, tum communio permittatur: & quo maior est communicantium profectus, eo sit frequentior communio. Accedit peccator omni ex parte sauciatus, & fætens: vulnera sua patefacit corde sincero & contrito. Infunde vinum & oleum, & si oportuerit, acetum, quo eadem cures congruis pœnitentiæ operibus, & virtutum exercitiis plus minusve iuxta ægroti statum, & contritionis fervorem. Purgatum a vitiorum sordibus, sanatumque pœnitentiæ remedio, congruo tempore pane fortium cor illius confirma. Deprehendis illum hoc divino alimento pastum, saginatum, robustumque? Deprehendis odio habere luxuriam, illecebras, & mundi voluptates, quas prius deperibat? Tum frequentius ad sacram mensam admitte. Et quo ipse alacrius viam mandatorum Dei currit, eo tu frequentius ipsum Eucharistia refice. Relabitur? Vide num relapsus sit fortuitus, & solius infirmitatis abortus: & tum, purgatione præmissa, denuo ipsum divino cibo instaura. Serio animadverte, num studio diligenti declinet antiqua peccandi decipula, occasiones, & pericula, mulierum nempe conversationem, colloquia, ludos, theatra, comœdias, convivia. Si affligere sensus, & concupiscentiam studeat, tum liberalis & misericors esto. Si anceps sis, num ad mensam sanctam admittere eumdem debeas, una & altera vice dives in misericordia esto. Si contra certo intelligis, illum eadem ac prius persequi oblectamenta, easdem occasiones, eadem pericula, & in crimina relabi; ab altari illum arce: quia tum certo cognoscis, frustraneam esse medicinam, inutile pharmacum. A quorumdam Confessariorum enormi deceptione cave, qui dicere solent: Pauciora nunc crimina quam antea perpetrant pœnitentes mei: idcirco eos absolvo, & communico; cum videam sacramenta aliquid operari. Quam imperitiam pœnitentes ipsi deprehendentes, aliquot diebus a peccatis abstinent, abrumpunt commercia, & occasiones, ut absolutionem, & communionem furentur. Vitæ tenorem, conversionis sinceritatem, constantiam, & sanitatis statum serio expende. Quod peccata plura aut pau-

pauciora sint, non tollit quin ficta conversio communiter sit. Memento quod supra dictum est, virum sincerum raro aut numquam mentiri, virum iustum raro aut numquam fraudem facere. Quod de communione dico, de absolutione impertienda dicendum est.

III. Christianos Dei amore flagrantes, sæculi contemptores, qui habent uxores, tamquam non habentes, qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, ad sacrum epulum frequenter admitte. Noli curare pravorum hominum murmura, & dicteria; qui, cum ipsi pravi sint, & iniqui, invidia odioque ardent, quod pii fideles veste nuptiali induti ad regium convivium accedant. Contra hanc christianæ religionis pestem invehitur magnus Ludovicus Granatensis *conc.* IV. *n.* 3. *de sacr. corp. Christi* his verbis. Sunt autem alii longe deteriores, qui non contenti socordia sua, pios homines, & ad huius divini sacramenti medicinam frequentius confugientes, socordiæ suæ participes efficere nituntur, dum eos malignis verbis ac detractionibus ab hoc pio, & salutari instituto revocant. Quorsum, inquiunt, toties confiteri? Toties sacramentum Eucharistiæ sumere? Toties templa frequentare? Cum satis esse duxerit Ecclesia, semel quotannis confiteri? Indignum esse dicunt, tam familiari confidentia viles opifices, & homunciones ad hæc tremenda mysteria accedere. Quæ cum dicunt, non eo animo dicunt, quod divinæ maiestatis contumeliam dolenter ferant; sed quod piorum religio illorum impietatem magis conspicuam reddat. Ut enim D. Gregorius ait, mos pravorum est invidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt. Tales autem proditoris Iudæ exemplum imitari mihi videntur, qui indigne tulit unguentum Mariæ supra pedes Domini effundi, cum trecentis venire denariis potuisset, & dari pauperibus. Hoc autem dicebat, ut Ioannes ait, non quod ipse dominici sanguinis proditor ulla egenorum cura tangeretur; sed quia fur erat, & loculos habens, quidquid poterat, surripiebat. Sic igitur hos nulla honoris divini, sed sui tantum nominis, & opinionis cura remordet, qui alienæ religionis comparatione, & virtutis exemplo iniuriam sibi irrogari putant. Itaque, dum hæc dicunt, non Dei, sed sub Dei prætextu caussam suam agunt, sibi consulunt, & suum dedecus aliorum obiurgatione tegere conantur. Quocirca demus operam, fratres, ne hunc quotidianum panem, quem quotidie a Domino postulamus, nos socordia nostra annuum faciamus.

IV. Quid mirum, si Christianorum communitas maiori ex parte languida, atque fœtidissimis ulceribus undiqueversum scateat; cum ab hoc pane quotidiano ita abstineat, ut vix illum semel in anno manducet, coacte magis quam sponte, ne ab Ecclesiæ consortio rescindatur? O miseram temporum conditionem! exclamat ibidem Granatensis. O mirandam rerum commutationem! Summum hæresis crimen, quod hodie extremo plectitur supplicio, Ecclesia olim plectebat huius cælestis panis interdicto. Siquidem Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, & Eudoxiam Augustam, quod per summum scelus Ioannem Chrysostomum exilio damnassent, hoc potissimum fulmine feriendos curavit; ut Nicephorus *Lib. XIII. eccl. hist.* narrat. *Ego* (inquit Pontifex) *minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reticio te, & illam* (Eudoxiam) *a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri*. Hoc igitur supplicium fideles olim mortis instar esse iudicabant. Nunc autem eo res nostræ devenerunt, ut ipsi fideles se sponte sua hoc tanto supplicio puniant. Respuunt enim hunc Angelorum panem, ut porcorum siliquis vescantur. Peccatores itaque hortandi, urgendique sunt, ut, mundo contempto, vitiisque relictis, ad frequentiam communionis se præparent.

V. Aliud consectarium est contra recentiorum opinionem, inquientium: *Communio quotidiana omnium existentium in gratia est de iure divino:* quæ opinio indicatur in decreto supra adducto *num.* I. Deinde *num.* 9. hæc habentur. *Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, communionem quotidianam esse de iure divino.* Quæ verba aperte improbant recensitam opinionem. Nam si sensus eiusdem est, quotidianam communionem iure divino præcipi præfatis Christianis ministrandam; ut falsus & erroneus ab omnibus improbatur. Si vero opinio præfata significare intendit, omnes gratia divina præditos ex iure divino aptitudinem habere ad quotidianam communionem; similiter falsa est. Nam fideles ius non habent ad hoc sacramentum suscipiendum, nisi ex directione & consilio Ecclesiæ, seu superiorum, & Confessariorum. Plures autem gratia ornati apti non sunt ad quotidianam communionem ob defectum fervoris, & dispositionis peculiaris, quæ requiritur, ut iam dictum est.

VI. Opponunt Concilium Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* VII. ubi hæc habentur. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa confessione sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Heinc colligunt, ex Tridentino sat esse statum gratiæ ad frequentem & quotidianam communionem. Sed turpiter decipiuntur. Nam Concilium verbis laudatis solum vetat ne quis conscius peccati mortalis audeat accedere ad communionem, nisi præmittat confessionem. Quod autem hæc confessio sufficiat, nullo modo, vel indirecte, indicat Tridentinum. Aliud enim est confessionem esse necessariam; aliud esse sufficientem ad communionem frequentandam. Numquid ex Tridentino colligere licet, peccatores a gravissimis criminibus absolutos statim admittendos esse ad communionem? Commenta hæc adeo vana sunt, ut nec ipsi adversarii eadem propugnare valeant.

§. VII.

De Sacerdotibus quotidie celebrantibus, qui vel tepidi sunt, vel in flagitia prolabuntur.

I. TRemit manus, & artubus totis contremisco, caussam gravissimam oraturus, quæ non minus me quam alios spectat. Quamobrem nemo adduci in suspicionem iure potest, me æquo severius doctrinam de Sacerdote quotidie celebrante exaggeraturum. Quin vereor ipse ne imbecillitatis, & peccatorum meorum conscius, benignius quam par sit, hoc de argumento verba facturus sim. Quo in casu dupliciter reus forem, & quod veritatem proderem, & quod excusarem excusationes in peccatis. Implorandum propterea divinum auxilium, quo adiutus ea scribere valeam quæ & me, & alios ad devotiorem, ferventioremque quotidianam incruenti Sacrificii oblationem excitent, stimulent, urgeantque.

II. Et principio, altioris perfectionis, sublimiorisque virtutis est quotidie celebrare quam quotidie communicare. Qui celebrat, perficit sacramentum, panem & vinum consecrando; deinde communicat, utramque speciem sumendo. Quid quod sacramento Ordinis initiati Sacerdotes sunt, & peculiari vocationis gratia ad tam excelsum ministerium delecti sunt? Porro si laici, tametsi gratia sanctificante ornati, ad frequentem communionem non admittuntur, nisi devotio, & fervor in ipsis deprehendatur; si quotidiana communione digni minime iudicantur, nisi morum castimonia, & virtutum exercitatione splendeant, nisi venialia pro viribus cavere, & evangelicæ inhiare perfectioni studeant, nisi singulari desiderio divini cibi suscipiendi æstuent, nisi caritatis ardore flagrent: si, inquam, hæc omnia omnes docti probique Theologi, Sanctorum scientia illustrati, in laicis pro quotidiana communione requirunt: quo, amabo te, virtutum apparatu fulgeant oportet Sacerdotes Domini, quotidie ad altare Dei sacrificium immolaturi accedentes? Quæ corporis primum modestia, quæ sensuum custodia, quæ vestium a sacris canonibus quoad formam, colorem, & longitudinem præscriptarum diligens observantia? Quænam in incessu gravitas, quodnam silentii studium, quænam totius corporis mundities & nitor? Dignos ne reputabis quotidiana celebratione illos cincinnatos, incrispatos, comptulos, barbatulos, vanis mulierculis vaniores, & ambitiosiores, qui vestibus vix a laicis distinctis ad sacristiam accedentes, ibidem vestes talares induunt, ac si in scenam proditurí personam agere deberent? An sola externa hæc forma indignos illos non patefacit quotidiana celebratione? Sed ad illos transeamus qui exteriorem corporis ornatum, a legibus, & sacrorum Ordinum constitutionibus præscriptum, servantes, animi infirmitate laborant. Digni ne quotidiana celebratione Sacerdotes illi sunt qui non modo speciali fervore caritatis non æstuant, nec virtutum splendore emicant; sed neque vitare vel ipsa manifestiora, & graviora venialia curant? Digni ne quotidiana celebratione Religiosi Sacerdotes, qui regulari perfectioni incumbere non satagunt, qui Ordinis constitutiones violare pro nihilo ducunt, qui otio diffluunt, qui pascendæ curiositati indulgent, qui gulæ satisfacere student, qui, si dapes minus sapidæ, aut conditæ apponantur, murmurant, excandescunt, turbantur? Hi ne eo caritatis igne flagrant, & illo devotionis fervore ardent quem omnes in laicis ipsis requirunt, ut quotidiana communione refici digne valeant? Ubi, quæso, in istis gratiæ quotidianæ augmentum, quod natura sua sacramentum producit? Ubi fervoris & devotionis auctæ vel leve vestigium? Post tot annorum quotidianam celebrationem, eadem socordia, loquacitas, scurrilitas, & curiositas eadem. Nullum in frenanda gula, in cohibenda lingua, in compescenda ira, in moderandis passionibus studium; sed iidem defectus, eædem ægritudines, iidem morbi. Prima sacrificia maiori fervore, & devotio-

re

re præparatione forsitan celebrata fuerunt. Quænam ergo auctarum in dies gratiarum augmenta? An tanta gratiarum copia nullum extrinsecus promeret fructum? An caritas *illa fervens* & ardens nullam emitteret *scintillam*?

III. An exiguus tibi videtur profectus, quod nullum mortale crimen sit perpetratum? Ecquis istius abstinentiæ iudex? Nullum erit peccatum corporeum, & carnale, sensibus obvium. At quot forte peccata mortalia superbiæ, invidiæ, odii, omissionis, & acediæ? Qui non proficiunt in via Dei, retrogrediuntur: & difficillimum Patres reputant, illos qui venialia passim perpetrant, affectumque ad eadem non coercent, sed fovent, qui ad proprii status perfectionem anhelare negligunt, a mortalibus immunes esse. Quot sunt mortalia, ut supra diximus, velo honestatis obducta? An a mortalibus, & quidem gravissimis, immunes illos Sacerdotes, unaque Theologos re vel nomine, dixeris qui gravissimas controversias superba elatione inflati resolvunt, dirimunt, definiunt iuxta præiudicatas opiniones? In disputationem adducuntur negotia momentosissima, unde pendent consectaria gravissimorum criminum, & malorum plenissima. Videbis Sacerdotes, quo indoctiores, eo audaciores, & pervicaciores in deliberando, & definiendo. Nullum ne periculum in istis mortaliter peccandi, & eo quidem gravius, quo graviora sunt negotia, & maiora damna quæ ex falsa resolutione proficiscuntur? Heu nos miseri! Tum nos a mortali scelere innoxios esse credimus, dum in flagitia carnalia non prolabimur, a quibus ob solum externum respectum infamiæ vitandæ abstinere possumus. Castos vidimus Ethnicos, castas Vestales; at superbia vincendi, & dominandi inflatos. Sæpe vitium vitio tegimus; & plures appetitiones illi passioni obtemperare cogimus quæ in nobis dominatur. A dignitatibus, a gradibus imperandi excluduntur illi qui manifestis sordibus fætent: idcirco ab his aliqui sæpe ieiunant, ut intemperanter ambitionis, & superbiæ appetitum expleant. Difficile enim est, spectata etiam solius mundi conditione, omnes passiones saturare. Quare una alteri inserviat oportet. Ne multa. Sacerdotes quotidie celebrantes qui venialia evitare non student, qui perdomandis passionibus, & virtutibus colendis operam sedulam non impendunt, indigni sunt quotidiana celebratione; verendumque summopere est ne aliquis occultus vermis morsu letali corrodat, & devoret interioris sanctitatis plantam, & callo obducto, anima gratiæ mortua sit, quin se mortuam sentiat. Longius producerem argumentum, si id instituti ratio sineret.

IV. Audio plures obstrepentes. Religiosi tum sæculares, tum claustrales quotidie celebrare debent: neque interrumpere absque scandalo celebrationem possunt. Quid heinc? Propterea ne tepidi, indevoti, & languidi celebrare quotidie debent? Negant sapientes omnes. S. Bonaventura *Lib. II. de profes. Religios. cap.* lxxvii. hæc docet. *Circa Sacerdotes potest hæc forma teneri, ut nec nimis raro, nec semper, continue, & impræetermisse sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim quotidie celebrare aliquam videtur notare irreverentiam: cum vix aliquis tam devotus sit, quod semper eadem devotione ferveat, quod semper illud cum debita reverentia faciat, & cordis ardore, quin aliquando tepeat quantulumcumque.*

V. Insistunt. Laici ad quotidianam communionem admittendi non sunt, quando fervorem, & devotionem singularem non præferunt: quia sunt personæ privatæ, & de sola illorum privata utilitate, & profectu spirituali agitur. At Sacerdotes sunt personæ publicæ: sacrificant Christi nomine, & pro universa Ecclesia; non sibi tantum, sed universis fidelibus prosunt. Quamobrem Venerabilis Beda, S. Bonaventura, S. Antoninus, aliique communiter inquiunt: Sacerdotes non habentes impedimentum, si omittant celebrare, quoad ipsos attinet, privant Trinitatem gloria & laude, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia, animas in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & semetipsos medicina, ac remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Vera hæc omnia sunt. Quænam legitima consequentia? Quod tepidi, & languidi, quod minus ferventes, & minus devoti quam laici quotidie communicantes, celebrare valeant? Vah putidum commentum! Hoc est legitimum consectarium. Sacerdotes, ab hominum commercio segregati, & in sortem Domini vocati, a mundanis curis exempti, & veluti mediatores Deum inter & laicos delecti, ad offerenda quotidiana sacrificia, precibus, meditationibus, & virtutis studio continenter parati & dispositi ad divinum peragendum ministerium esse debent. Quo altiori in gradu, & dignitate sunt constituti, eo maiori devotionis, & sanctitatis splendore fulgere astringuntur. Et quamvis sacrificium istud sanctissimum, pro communi Ecclesia oblatum, beneficium fidelibus conferat; non propterea expedit Sacerdotes tepidos, languidos, frigidosque illud quotidie offerre. Sed scandalum oritur, nisi quotidie celebrent. Ergo excutiant torporem & socordiam: ergo fervorem accendant, devotionem augeant, virtutes impensius colant, & vitiis etiam levibus bellum indicant. Non eo ergo recidit oratio nostra, ut Sacerdotes a frequenti, & quotidiana celebratione abstineant: eo minus ut abstineant ad fovendam segnitiem, torporem, & socordiam. Numquam enim hoc licitum est. Sed eo pertinent quæ dixi, ut Sacerdotes qui liberi sunt, si aliquando defervere devotionem experiantur, celebrationem interrumpant, non ut negligentiæ & tepori indulgeant, sed in reverentiæ erga augustissimum sacramentum testimonium, & ut ferventiore virtutum studio se se disponant. Qui quotidie vi instituti, seu invectæ consuetudinis celebrare astringuntur, semper ob oculos habeant obligationem istam, semper recordentur se ad quotidie offerendum Deo delectos esse; ut inde colligant quam ferventer in via mandatorum ambulare, quam vigiles in declinandis vitiis, quam studiosi in virtutum cultu esse debeant. Deus, qui ad hunc illos vocavit statum, vocationis auxilia impertiet, nisi ipsi obicem ponant.

§. VIII.

Sacerdotes in flagitia carnis relabentes, tametsi confiteantur, non sunt ad quotidianam celebrationem admittendi.

I. Disciplina celebrandi primitivæ Ecclesiæ, & beatæ illius aureæ ætatis in qua tot fere erant Sancti, quot celebrantes, non modo in hac sæculorum fæce relaxata non est, sed splendidior viget, & frequentior. Immo si dixero, neque primis Ecclesiæ sæculis tot fuisse privatas Missas, tot fuisse Sacerdotes, quot hac ætate videmus, a veritate non aberravero. Eadem ne morum integritas? Eadem ne vitæ sanctimonia? Numquid minoris efficacitatis nunc quam tunc divinum sacramentum? Unde ergo tanta morum diversitas? Unde? Disciplina quotidie celebrandi, & communicandi in dies augetur, quia proventum parit. Disciplina pœnitendi in dies obsolescit, quia incommoda, & permolesta.

II. De impertienda absolutione Sacerdotibus in gravia crimina, præsertim fornicationis, adulterii, pollutionis, sodomiæ, lapsis, infra de pœnitentia fusius dicam: in præsentia pauca obiter perstringam de celebratione iisdem deneganda, contra laxissimas quorumdam Casuistarum opiniones. Non est quod nunc referam pœnas a priscis canonibus constitutas adversus Sacerdotes fornicatores, adulteros, aliove crimine inquinatos: quoniam statim mollioris Ethices patroni reponerent, antiquatum iam diu esse talium pœnarum usum. Verum licet exterior pœnarum severitas valde remissa sit, spiritus tamen disciplinæ idem omnino est; ut ex ipso Tridentino Concilio *sess.* xxii. *cap.* i. colligitur.

III. Sacri canones septem annorum pœnitentiam imponebant olim cuilibet laico fornicanti, ut refert S. Basilius *epis. can.* iii. *ad Amphiloc. cap.* lix. his verbis. *Fornicator septem annis sanctis non communicabit, duobus deflens, & duobus audiens, & duobus substratus, & in uno consistens. Octavo autem anno ad communionem admittetur.* Si pœnitentia adeo severa purgandus laicus fornicator erat; quæ Sacerdotibus celebrantibus necessaria pœnitentia erit? *Si enim vix laico* (inquit S. Petrus Damianus de Euch.) *permittitur ut Ecclesiam cum aliis oraturus introeat, qualiter isti dabitur ut ad altare Domini pro aliis intercessurus accedat? Si ille, antequam tam prolixum pœnitentiæ spatium transigat, non meretur audire; iste quomodo dignus erit sacra Missarum solemnia celebrare? Si ille, qui minus peccavit, ut puta per latum sæculi iter incedens, indignus est cælestis Eucharistiæ munus ore percipere; qualiter iste merebitur tam terribile mysterium pollutis manibus tractare?*

IV. Quæ in laicis levia, in Sacerdotibus gravia sunt, aiunt Patres omnes. Nihil fornicatione, sodomia, aliisque contra naturam monstrosis sceleribus vilius atque sordidius. Quid ergo sanctitati ordinis sacerdotalis, & maiestati adeo adversum? Tanto enim enormior iniquitas, quanto dignior ille est qui delinquit. Crescit malitia fornicationis a Sacerdote patratæ ex voto castitatis, quo is Deo sacratus est. Vide quanta in uno crimine facinora. Quam turpiter ergo aberrant iuniores illi qui Sacerdotes post nefandissima carnis flagitia ad sacratissimam mysteriorum tractationem & celebrationem, & a lupanaribus, quorum putorem adhuc olent, ad altaria tremenda, confessione peracta, immittunt? Sacerdos fornicator corpus polluit, animam inquinat, mentem turpium & sordidarum cogitationum tetra caligine hebetat & obscurat, votum violat, ordinis maiestatem

tem denigrat, atque ad sacrificandum indignum se omnino constituit. Peccatum fornicationis (inquit S. Thomas III. Part. quæst. lxxx. art. 5. ad 2.) *reddit ineptum hominem ad perceptionem huius sacramenti, inquantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subiicitur; & ita impeditur devotio, & fervor dilectionis, qui requiritur ad hoc sacramentum.* Si peccant laici, inquiunt Patres, salubri admonitione revocari possunt. Sacerdotes tanto difficilius admonitiones sustinent, quanto magis sibi blandiuntur, suum esse alios corrigere, non admoneri ab aliis. Quare *Matth.* v. inquit: *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quæ verba hunc produnt sensum, inquit S. Gregorius (vel alius Auctor) in cap. III. Lib. I. Reg. *Quasi dicat: quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? Quo profecto culpæ eorum magnitudo monstratur: quia PLERIQUE EORUM IN IMPOENITENTIS CORDIS CALIGINEM PROIICIUNTUR, ET NULLA HOMINIS EXHORTATIONE RESIPISCUNT.*

V. Mundani homines, negotiis, & occupationibus distenti, a sacris alieni, Scripturarum expertes, dum oracula, & monita Scripturarum, dum pios sacrosque libros legunt, dum Sanctorum gesta, & damnatorum supplicia audiunt, velut nova hæc habent: idcirco timore corripiuntur pœnarum, & ad gloriam Sanctorum alliciuntur, & inter timorem & amorem facile compuncti ad pœnitentiam accurrunt. Sacerdotes autem quotidie sacra mysteria tractant. Quidquid tremendum formidandumque est in Scripturis, quotidie in Missa, & Breviario legunt. Idcirco omnia terribilia, quæ ad frangendam malitiam, & emollienda corda validiora sunt, familiaria habent. Nullum hæc istis timorem incutiunt; sed, corde indurato, calloque obducto, efficaciora conversionis remedia inutilia ipsis evaserunt. *Nihil autem* (inquit Chrysostomus, sive Auctor oper. imperf. homil. xl.) *impossibilius quam illum corrigere qui omnia scit, & tamen contemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quæcumque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos eius inveterata, & vilia æstimantur. Nam quidquid illic terribile est, usu vilescit. Propterea Clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omnino servaturus est, & erit perfectus; aut si semel cœperit illas contemnere, numquam excitatur illis, ut timeat. Quis aliquando vidit CLERICUM CITO POENITENTIAM AGENTEM? Sed etsi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet, quia peccavit; sed confunditur, quia perdidit gloriam suam.*

VI. At aures consueto clamore obtundunt iuniores. Religiosi Sacerdotes vi instituti, Parochi, ut populus Missam audiat in die festo, Capellani, Mansionarii, ut onus impleant Capellaniæ, aut ut inserviant Dominis Missam auditurís, celebrare coguntur: alioquin scandalum grave sequeretur. Hæc sunt hodierna sacrilegiorum vela, hæc nova commenta, quibus a lupanaribus, a pollutionum, & sodomiæ lutulentissio cœno ad sacrosancta mysteria aliquorum accessus obteguntur, & incrustantur. An latet Sacerdotes istos, obstrictos se esse ad celebrandum aut vi instituti, aut ut onus Parochi, & Capellani impleant? An latet illos, scandalum ex omissione sacrificii oriturum? Nihilosecius blandientis mulierculæ illecebris, & carnis reluctantis tentationibus deliberate consentire non recusant? Non Ordinis maiestas; non castitas solemni voto Deo dicata, aut dignitati sacerdotali coniuncta; non reverentia erga augustissimum sacramentum; non denique scandalum quod ex omissione sacrificii prævident consecuturum, illos a sordidissimo cohibere flagitio valuit? Si adeo effrenata istorum libido fuit, ut infringere omnes istos fortissimos aggeres, superare, & conculcare hæc omnia validissima obstacula potuerit; unde istorum instantaneam sperare conversionem licet? Christus Petrum, & ceteros discipulos monuit ut vigilarent, & orarent, ne tempore passionis suæ tentationi succumberent. Neglecta oratione, reipsa Petrus Christum negavit: & eo relicto, ceteri fugerunt, metu mortis subeundæ perculsi. Si dicamus ieiuniis, ciliciis carnis impetus coercendos, vitanda prorsus esse familiaria muliercularum alloquia, & conversationes, continenter vigilandum, orandumque; novæ benignioris Ethices fautores Rigoristas nos appellant, Tutioristas, & crudeles. Disciplina quotidie privatim celebrandi adeo invaluit, ut, nemine etiam audiente, Missa recitetur; sicut Cardinalis Caietanus in 2. 2. *q.* clxxxviii. *art.* 7. inquit. *Tot sunt Missæ, quot auditores... Et culpa extenditur, dum hoc laudatur.* Absit tamen ut ego improbem disciplinam quotidie privatim celebrandi. Vigeat floreatque disciplinæ istius sanctitas. Sed lugeo alteram disciplinam pœnitentiæ necessariæ, fere penitus in pluribus extinctam. Si olim Sacerdotes ad tormentorum immanium conspectum, & crudelissimæ mortis timore perterrefacti, tentationi succubuissent, & furente sævissimo tyranno mortem minante, aliquid libaminis degustassent, ut proprii corporis lanienam & mortem declinarent; quamvis probatissimæ vitæ essent, pluribus lustris, ieiuniis, precibus, gemitibus, ciliciis abolendum crimen erat. Temperata nunc est disciplinæ severitas. Verum habet. At numquid penitus antiquata, & deleta? Sola ne confessione præmissa, carnalium flagitiorum fontes Sacerdotes continuo celebrabunt? Numquid, inquies, si Sacerdotes aliqui integerrimæ vitæ, optimeque morati, inopinato casu, alliciente muliercula, non industria quæsita, sed fortuito occurrente, & ad crimen provocante, lapsi in fornicationis, mollitiei, adulterii crimen fuerint, & corde contriti atque lacrymabundi confiteantur, eos ab altari arcebis? Mitius istos tractandos fateor; at non propterea ad altare hodie illos mitterem qui heri vel hac nocte peccarunt. Cedo: si moratæ & integræ conscientiæ isti hactenus fuerunt, & prima vice fornicati, aut polluti fuerint; quodnam turbationis chaos lapsorum animum exagitat, quæ confusio mentem turbat, quæ cordis & carnis conflictatio? Libidinis bitumen adhuc olet & fœtet. Et Sacerdotes eiusmodi confusi, dissipati, & veluti in partes dilacerati, dispositi, tranquilli, devoti, & digne ad celebrandum parati reputabuntur? Ardentior est post primam vicem libidinis æstus, calentior carnis pruritus, sordida phantasmata impertinentius mentem & cor vexant. Quare timendum est ne ante lapsum vitæ integritas ficta fuerit & imaginaria; cum vix umquam uno saltu a iustitia & sanctitate in extremum oppositum transitus fiat. Verum, ut summæ benignitatis argumentum tibi præbeam, annuere volo, tot occurrere circumstantias posse, ut Sacerdotem hac nocte in carnis crimen lapsum, mane ad altare mittere possis. Quid benignius postulare a me vales?

VII. Quid, si lapsus primus non sit, neque secundus? Quid, si frequenter Sacerdotes in carnis peccata relabuntur? Istos ne continuo absolves, quia pectora tundunt, lacrymas fundunt, spondentque emendationem? Etiam Turcæ, dum Mahometi Meschitas ingrediuntur, recordanturque Deum se offendisse, lacrymantur, gemunt, veniam implorant, & a futuris culpis abstinentiam promittunt. Suspendenda ergo dubio procul absolutio istis est, & ab altari interdicendi. Sed ad Sacristiam veniunt, palam confitentur, interdum vestibus sacris parati, scandala obiectant, necessitatem celebrandi exaggerant, expectari in Ecclesia a domina, vel domino Missam clamant. Quid inde? Sacrilegia ne sacrilegiis tu ipse addes? At si ego celebrationem prohibeo, & absolutionem suspendo, plures alios Confessarios invenient qui absolvent, & celebrationem permittent. Verum habet. Et hoc ex tremendissima Dei ira proficiscitur. Hoc est terribile divinæ iustitiæ supplicium, quo Deus in cæcitatis, & obstinationis abyssum illos prolabi sinit. Ut vero in tantæ caliginis barathro tranquille sordescant, permittit Deus ut Prophetas falsos inveniant, & Confessarios palpones, fallaces, & adulatores obvios habeant. Isti, clamat Cyprianus *epist.* lviii. falsam misericordiam vocant *blandam perniciem, impietatem vocabulo pietatis coloratam, qua contra Evangelii rigorem, contra Domini & Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Subdit, hoc *esse lapsis quod grando frugibus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, arborem a radice subvertunt, navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt.*

VIII. Scandala quæ obtruduntur, crepitacula sunt puerorum, & consueta dæmonum præstigia. Scandalum scelesti Sacerdotes non verentur, dum comptuli & cincinnati incedunt, dum publice muliercularum conventiculis intersunt, dum vanas vestes contra sacrorum canonum præscripta induunt, dum ludis, comœdiis, saltationibus, ceterisque insanientis mundi oblectamentis dant operam, dum Missam ipsam mimorum more, præcipiti lingua, vanisque gesticulationibus profanant & non sacrificium sacrosanctum offerre, sed scenicam repræsentationem se agere perhibent. Hæc continua, & publica scandala haudquaquam reformidant. Solum dum, postquam in cœno libidinis, veluti sues, volutati sunt, ad tremendum altare accedere audent, scandala obiiciunt. Non audiet populus, non audient domini & dominæ Missam in die festo, si Parochus, si Capellanus non celebret? Neque audirent fideles Missam, si Sacerdos ieiunus non esset. Porro, si Parocho non ieiuno non permittitur celebrare; tametsi populus Missam non audiret; quanto minus permittenda est celebratio Parocho, Capellano, Sacerdoti fornicario? Semper enim Ecclesia Dei plus horruit, Sacerdoti heri fornicanti, hodie absolutionem impertiri, &

& altaris ministerium concedi, quam Sacerdoti non ieiuno. Siquidem Ecclesia universa tum Græca, tum Latina Sacerdotes in fornicationem lapsos, notabili tempore ab altari per duodecim sæcula exclusit; nec umquam post unum aut alterum a fornicatione diem offerre sacrificium illis concessit. Disciplina vero ieiunii in variis Ecclesiis varietati obnoxia fuit. Scandali, quod obtruditur, chimæra multis modis auferri a populo potest, aut ieiunium naturale frangendo, aut indispositionem, quæ ex variis proficisci caussis potest, allegando. Si quorumdam admiratio, & suspicio mala timeatur; tanto hæc erit magis temeraria, quanto probatioris vitæ fuerit Sacerdos, qui celebrare omittit. Verum, ut dixi alias, populus ex plurium Sacerdotum, qui vitam Christiano, nedum Sacerdote, minus dignam agunt, celebratione quotidiana scandalum potius perfert, quam si moderate interrumperent, non ut laxius habenas appetitionibus remitterent, sed ut fervorem, & devotionem operibus laboriosis, & virtutum officiis compararent, & populo ipsi sese devotos & ferventes Christi ministros ostenderent.

IX. Facile hæc Theologi in suo cubiculo scribunt, & definiunt; at si in tribunali pœnitentiæ sederent & ipsi, ac confessiones audirent, reique periculum facerent; tum cognoscerent, diversam esse theoricam scribendi rationem a practica agendi consuetudine; intelligerent, tot esse circumstantias, quæ absolutionis, & Missæ suspensionem non permitterent. Hæ sunt nugæ, verius dixerim paradoxa, & sophismata, ignorantia evangelicæ doctrinæ, & ecclesiasticæ disciplinæ parta. Qui sic argutantur, quorumdam Casuistarum commentis præventi, & communis corruptelæ abusibus obducti, quæ communiter fieri vident, licita reputant. Dum in cubiculo scribimus, divinam legem, sanctorum regulas, Conciliorum canones, & nudam veritatem ob oculos habemus; non humanis respectibus capimur, non minuendæ pœnitentium frequentiæ timore, non subeundæ rigorismi notæ, non aliarum mundi rationum lenocinio agitamur. Audiant vani argutatores pauca Sanctorum dicta. Innocentius III. *Lib. IV. de mysteriis Missæ cap.* XIII. hæc habet. *Peccator debet potius eligere ut abstinendo reddatur suspectus, quam ut communicando manducet indignus*. S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxx. *art.* 6. inquit: *Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari quam indigne ad mensam Domini accedere*. S. Ioannes Chrysostomus *homil.* III. *in Act.* ait: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant; sed multo plures esse qui pereant.* S. Hieronymus *epist. ad Damasum* clamat: *Ecce mundus ubique fervet Sacerdotibus; & tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes boni, quod vix e centum bonus reperiatur unus*. Et tamen Chrysostomi, & Hieronymi tempore paucissimi Sacerdotes erant, spectata ætatis nostræ multitudine. Narrat Dionysius Carthusianus *Lib. III. de quatuor novissimis*, ex Petro Cluniacensi, pium Religiosum Anglum, spiritu raptum in purgatorium, *cum miraretur, quod tam pauci Sacerdotes essent in purgatorii pœnis, respectu eorum qui ubique terrarum castimoniam polluunt*; hoc ab Angelo accepisse responsum, *quod ideo ibi paucissimi erant, quia vix aliquis talium veram habet contritionem: idcirco pene omnes huiusmodi æternaliter damnantur*. Si revera contriti essent, ipsi clamarent: *Exi a me, quia peccator sum Domine*. Ipsi se altari subducerent, & mederi congrua pœnitentia languoribus, & fœtentibus plagis suis curarent. Ipsa celebrandi anxietas argumentum est fictæ contritionis. Christianus sincere contritus, & felicitatis æternæ amore succensus, omnia quæ mundi sunt, nihili facit, & conculcat. Confessariorum facilitas absolvendi, & mittendi ad altaria Sacerdotes relapsos, incentivum relabendi delinquentibus præbet. Et quia corruptela est universalis, ideo in errorem pertrahit, si fieri potest, etiam probos. Mitiorem præsentis Ecclesiæ disciplinam laudo, & colo; sed perniciosam laxitatem improbo. Olim aut per totam vitam, aut per plura lustra Sacerdotes fornicatores, adulteri, polluti abstinebant ab altari, ut non interruptis gemitibus contractas maculas eluerent. Temperatior, blandior, mitior nunc sit disciplina. At vestigium saltem aliquod appareat: Cedo: aliquid ne vigoris amisit regula isthæc, *Sancta sanctis*? An tunc concupiscentia carnis minus effrenata; an libidinis furor minus impotens quam nunc? Tum severissima & diuturna pœnitentia caro comprimebatur. Nunc invecta est nova medendi ratio: non amplius ciliciis, ieiuniis, eleemosynis, aliisque medicinis a sacris canonibus præscriptis, carnis vulnera curantur; sed pauculis precatiunculis impositis, quæ aut nihil, aut parum incommodant, ad altaria mittuntur flagitiosi. Si Confessariorum praxis obtineret suspendendi absolutionem, & ab altari arcendi Sacerdotes relabentes in peccata carnis; si, inquam, vigeret disciplina isthæc; & Sacerdotibus menti hæreret: diligentiores pro-

profecto isti essent in coercenda & perdomanda concupiscentia, cautius declinarent mulierum familiare commercium, ferventiores in oratione essent. At vident miseri, passim Sacerdotes absolvi, & relabi, & in perpetuo relapsuum, & absolutionum circulo volutari, & quotidie celebrare. Huius serpentis, & quaquaversum grassantis corruptelæ præstigiis fascinati communem morem, tametsi pravissimum, imitantur, licitumque reputant quod publicum est. Tu ergo, Confessari, & divinorum mysteriorum dispensator, tibi cave ne facilitate absolvendi alienorum sacrilegiorum particeps fias. At, nisi absolvantur, non præmissa confessione celebrabunt. Esto. Ipsi viderint. Pauciora tunc erunt sacrilegia: & tu immunis eris a sacrilegiorum participatione. Tibi primum, postea aliis providendum est. At, nisi essent contriti, contempta confessione, ad altare accederent. Falleris. Nemo scienter damnari vult. Retundere conscientiæ aculeos nituntur, nollent synderesis latratus, & furias illas intestinas experiri. Idcirco absolutionis emplastro oblinire fœtida ulcera, & putidas plagas student. Non tibi rigorem, & austeritatem, sed veritatem suadeo. Cura tua eo tendere debet, ut ægrotus sanetur. Si experientia compertum est, post tot absolutiones, post tot sacrificia, e vitiorum cœno minime egressos esse; nullus remanet ambigendi locus, indignos istos esse tum absolutione, tum celebratione.

X. Si viri sancti, præsertim S. Franciscus Salesius, omnium animarum rectorum mitissimus, Christianos letalium vulnerum expertes, & ab affectu venialium vacuos, octavo tantum die dignos communione existimant; quis sibi persuadeat, in numeroso Sacerdotum cœtu nullos esse affectu ad venialia irretitos? Quis in animum sibi inducet, ut credat, adeo universalem esse illam cordis puritatem, illam morum castimoniam quam ad dignam quotidianam communionem requirunt Doctores magistri sancti? Porro si qui a mortalibus immunes sunt, non propterea digni quotidiana communione reputantur: quodnam de recidivantibus iudicium ferendum est? Illud autem summopere animadvertendum quod alias indicavi, saltum de extremo ad extremum raro fieri. Vix umquam Sacerdotes a devota, & ferventi celebratione prolabuntur in carnis flagitia. Sed paullatim fervor tepescit, defervet devotio, languor succedit, & sensim sine sensu celebrantes evadunt loquaces, garruli, otiosi, murmuratores, intemperantes, iracundi, gulosi, & tandem in lutum prolabuntur libidinis. Dicam cum duobus præclarissimis Dominicanæ familiæ Theologis, Ioanne a S. Thoma in suo *Catechis. part.* II. *cap.* XII. & Vincentio Contensonio *Lib. XI. part.* II. *diss.* IV. *cap.* II. Omnis regularis disciplinæ relaxatio, & solutio ab indigna incruenti sacrificii celebratione, & a sacræ communionis, quam sine præparatione Religiosi plures frequentant, abusu proficiscitur. Medicina quæ quotidie sumpta non sanat, sed infirmitatem auget, ex perversa applicatione mortem inducit. Sol, qui ceram liquefacit, lapides indurat: & panis, qui sanum stomachum roborat, infirmum aggravat. Similiter tepidis, & languidis iterata celebratio, & repetitæ communiones teporem & languorem augent. Habenti enim devotionem maior datur, & abundat. Ab eo vero qui non habet, & quod habet, aufertur ab eo. Quare magnopere formidandum est Prælatis illis Regularium, qui electi ad Dei verbum subditis suis explicandum, fervoremque sermonibus suis accendendum, vix de hac ferventi, & devota præparatione verba faciunt. Quarumdam constitutionum neglectum, & regulas quasdam exaggerant; & id unde aut sanctitas, aut relaxatio totius disciplinæ manat, silentio prætereunt. Quæ non dico, quasi legum etiam minimarum transgressiones tolerare debeant; sed eo oratio pertinet, ut subditos suos ad dignam, devotam, & ferventem celebrationem Missarum fervidis alloquiis excitent: quia tum illos exactos disciplinæ observatores spectabunt. Ob oculos efficaci sermone ponant, quo malorum, & flagitiorum tandem detrudant indevotæ, tepidæ, & minus dignæ celebrationes. Ostendant Scripturarum oraculis, & Sanctorum doctrina, heinc silentii violationem, frequentes e conventu egressus, chori aut minorem frequentiam, aut indevotam psalmodiam, heinc murmurationem, & intemperantias prodire. Curent, & identidem ignitis eloquiis inflammare studeant, ut devoti, vigiles, ferventesque ad altare tremendum accedant: & continuo subditos suos spectabunt in choro assiduos & modestos, in refectorio sobrios, & communibus escis contentos, in propriis defungendis officiis sedulos & attentos; atque omnium legum, quoad humana infirmitas patitur, vigilantissimos custodes.

DISSERTATIO II.
DE
SACRIFICIO MISSÆ.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit sacrificium. Quænam eius necessitas.

I. HActenus de Eucharistia ut sacramentum, nunc de eadem, ut sacrificium est, sermonem instituo. Sacrificium in sua ampla significatione omne opus bonum comprehendit, sive internum, sive externum, quod in Dei gloriam dirigitur. Eleemosyna, ieiunium, preces, actus fidei, spei, caritatis, contritionis, & cetera omnia quæ referri in Dei honorem possunt, sacrificii nomen sibi ascisceré queunt. *Immola Deo sacrificium laudis:* Psalm. XLIX. Rursus: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Item: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum.* Ad communem sacrificii rationem duo requiruntur: primum, ut opus bonum sit; alterum, ut in Dei gloriam referatur; quemadmodum S. Augustinus *Lib. X. de Civ. Dei cap.* VI. inquit. *Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem boni, quo beati esse possumus.*

II. Communis sacrificii, proprie & presse accepti, eiusmodi est definitio. *Oblatio externa soli Deo facta, qua in recognitionem supremi eius dominii a legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur, & mutatur. Oblatio* locum generis occupat; & est actio ministri victimam offerentis. Dicitur *oblatio externa*, seu sensibilis: quia est actus religionis, qua homines una coniunguntur. Homines autem communicare simul nequeunt, nisi signis sensibilibus, quibus id manifestant quod intrinsecus animo gerunt. Heinc sacrificium proprie dictum est *rei sensibilis*; ut distinguatur a sacrificio contriti cordis, & interiorum animæ affectuum. *Soli Deo facta.* Solus quippe Deus conditor, & moderator hominum est, principium, & finis. *Quis enim* (inquit Augustinus Lib. X. de Civit. Dei cap. IV.) *sacrificandum esse censuit nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?*

III. Additur, *In recognitionem supremi eius dominii.* Sacrificio externo homo servitutem, & subiectionem Deo solemniter profitetur, simulque contestatur, quidquid boni habet, se ab illo accepisse. Primarius enim sacrificii finis est cultus Deo exhibitus. *A legitimo ministro* oblatio immolanda est, scilicet a persona quæ ad hoc officium destinata sit. Quare Ozias Rex, qui cum Sacerdos non esset, sacrificare ausus fuit, pœnas luit; ut habetur II. *Paralip. cap.* XVIII. Dicitur *oblatio rei sensibilis, & permanentis*, ut distinguatur a precibus, prostrationibus, ceterisque id genus, quæ actu exteriori quidem fiunt ad offerendum cultum & reverentiam Numini supremo; sed transeunt actu suo. *Ritu mystico consecranda*: quia res quæ Deo offertur, ex profana sacra fieri, & novum, relicto priore, induere statum debet. Sacrificare enim est sacra facere, ut præclare S. Thomas 2. 2. *quæst.* LXXXV. *art.* 3. *ad* 3. docet. *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit; sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur; & hoc ipsum nomen sonat: nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe, & proprie dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circa quos nihil fit .... Primitiæ autem oblationes erant, quia Deo offerebantur ... non erant autem sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Decimæ autem, proprie loquendo, non sunt sacrificia, neque oblationes: quia non immediate Deo, sed ministris divini cultus exhibentur.* Ultima particula *mutatur* significat, ut ex dictis constat, rem oblatam destruendam esse aut sanguinis effusione, aut partium divisione, vel ignis ardore. Heinc quando in lege veteri animal vivum offerebatur sine occisione, sacrificium nusquam appellatum fuit. Hac destructione significatur supremum dominium Dei in res omnes. Non est tamen semper necessaria destructio, ut patet in sacrificio capri emissarii, qui non occidebatur, sed exul in desertum mittebatur, ut habetur *Levit. cap.* XVI. Sufficit ergo ut fiat aut destructio, aut immutatio. Frumentum quoque contritum, & farina oleo conspersa, & igne concocta, Deoque oblata, sacrificia nuncupantur.

IV. Sacrificium dividitur 1. ratione materiæ, 2. ratione formæ. 3. ratione finis. Materia alia solida; ut animal, quod offerebatur in veteri lege post partam de hostibus victoriam: & ideo ab hostibus *hostia*, & a victoria *victima* nuncupatur. Res quoque quæ vita carent, solidæ plures sunt; ut panis, sal, thus, spicæ, triticum. Panis in frusta scindebatur, simila sartagine, vel clibano cremabatur, sal urebatur, thus adolebatur, spicarum manipulus torrebatur, triticum conterebatur. Eiusmodi sacrificia dicebantur *immolationes*. Alia est materia liquida, ut vinum, oleum, sanguis, aqua, quæ aliquando offerebantur; & hæc vocantur *libamen*.

V. Ratione formæ sacrificium tribuitur in holocaustum, in sacrificium, seu hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Omnium sacrificiorum perfectissimum erat holocaustum, quod totum consumebatur. Sacrificium pro peccato partim consumebatur, partim in usum Sacerdotum cedebat, illudque in templi atrio comedebant: unde prodiit, peccata populi, seu victimas pro peccato oblatas, comedere Sacerdotes. Offerebatur non solum pro peccatis tum internis, tum externis, ex malitia patratis; sed etiam pro peccatis ignorantiæ, ut patet ex *Levit.* IV. & V. Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur tum a Sacerdotibus, tum ab offerentibus. Offerri solebat aut pro acceptis beneficiis, aut ad nova imploranda.

VI. Dividitur sacrificium ex parte finis in latreuticum, eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Latreuticum sic nuncupatur ob latriæ, seu perfectæ servitutis cultum Deo exhibitum, tamquam supremo Domino; idque holocausto maxime perficitur. Eucharisticum in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis offertur: impetratorium pro beneficiis impetrandis offertur: & in lege veteri utrumque hostia pacifica vocabatur. Propitiatorium Deum nobis placatum reddit, & propitium: offerturque pro peccati pœnis, & flagellis avertendis.

VII. Sacrificii necessitatem colligit S. Thomas 2. 2. *quæst.* LXXXV. *art.* 1. ex duplici capite, nempe ex parte Dei, & ex parte hominis. Deo quippe, ut supremo rerum omnium conditori, protestatio debetur alti dominii, quod in nos habet; eique gratiæ pro tot collatis in nos beneficiis agendæ: & quia continenter novis eiusdem beneficiis egemus; idcirco incessanter impetranda a nobis sunt. Expiatio quoque peccatorum, quæ contra ipsum committuntur, sacrificii necessitatem manifestat. *Naturalis ratio* (inquit Angelicus) *dictat homini, quod alicui superiori subdatur propter defectus quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adiuvari, & dirigi; & quicquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur; ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subiectionem, & honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda: quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad ius naturale.*

VIII. Quatuor sacrificiorum genera respondent quatuor divinis perfectionibus. I. suprema eius maiestas, sub cuius dominio cuncta sunt posita, recognoscitur per holocaustum, in quo sincero affectu omnia Deo offerimus, & exinanimur, ceu victimæ igne caritatis omnino consumptæ, absque ulla rapina, memores illius Isaiæ LXI. *Ego Dominus .... odio habens rapinam in holocausto.* Expende serio, num revera in angulo cordis tui aliquid latitet Deo usurpatum. II. Est immensa Dei erga nos bonitas, qua nos ex nihilo eduxit, conservatque. Hanc infinitam bonitatem quotidie recolimus sacrificio eucharistico, quo gratiarum actiones rependimus. III. Est iustitia infinita, cui iniurias peccatis nostris irrogamus, pro quibus sacrificio propitiatorio satisfacere corde contrito nitimur. IV. Est æterna beatitudo, in eiusdem divinarum perfectionum plenitudine sita, qua ipse fruitur, quæque est noster ultimus finis. Huic perfectioni respondet sacrificium impetra-

tratorium, quo postulamus omnia auxilia quibus hunc assequi finem valeamus. Omnia hæc quatuor sacrificia eminentiore quodam modo splendent in sacrificio Missæ, quod est latreuticum holocaustum, eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium; ut infra clarius explicabitur.

CAPUT II.

De sacrosancto Missæ sacrificio.

I. VAriis nominibus Missæ sacrificium appellatur. I. Dicitur *Liturgia*, quæ significat totum illud ministerium quo sacrificium perficitur. II. *Synaxis*, seu coniunctio fidelium cum Christo. III. *Oblatio*, quæ in expiationem peccatorum offertur. IV. *Collecta*, seu congregatio fidelis populi ad sacra mysteria peragenda. V. Dicitur *Missa* a verbo mittere, sive quod Christus hostia sit a Deo nobis missa; sive quod ex donis a populo missis sacrificium fieret; sive quia, peracto sacrificio, populus mittitur, Diacono canente: *Ite, Missa est*. Duas veluti in partes Missa olim distinguebatur. Prima dicebatur catechumenorum, & pœnitentium usque ad offertorium. Hac parte completa, Diaconus elata voce clamabat: *Exite catechumeni, pœnitentes, indigni*. Altera pars Missa fidelium appellabatur, qua finita, dimittebatur populus.

II. Petrobusiani, Albigenses, Zuingliani, Lutherani, Calvinistæ Missæ sacrificium de medio sustulerunt. Lutherus in formula Missæ, quam pro Ecclesia Vittembergensi anno 1523. edidit, sacrificium Missæ *abominationem* appellat. Et tamen in confessione Augustana, edita anno 1530. & decem post annos reformata, hæc Protestantes scripserunt. *Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur*. Subdola, & captiosa est protestatio isthæc. Celebrant utique hæreticorum aliqui Missam, a seipsis fabricatam & corruptam, in qua nulla fit oblatio. Contendunt illi, sola fide iustificari homines; iniuriamque fieri passioni Christi, si post unicam illius oblationem in cruce factam, alia repetatur oblatio. Inferunt heinc, nullum nunc reperiri sacrificium *propitiationis*. Illorum ergo Missa est, inquiunt, dominici transitus commemoratio, in quia excitata fiducia, sacramentum Eucharistiæ credentibus porrigitur. Idcirco in præfata confessione Augustana hæc subduntur. *Cum Missa sit communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis Missa singulis feriis, atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his qui petunt*. Missam ergo, ut sacrificium, seu ut oblationem, detestantur novatores omnes. Lutherus in citata formula blasphemare non erubuit, *se supra omnes abominationes habere Missam, & nihil magis dolere quam quod per annos quindecim Missas celebravit Catholicorum more*. Tandem in *Libro de Missa privata* anno 1534. conclusit, *sibi a dæmone suggestum, ac persuasum fuisse, Missæ sacrificium abrogandum esse*.

III. His paucis delibatis, catholica doctrina de Missæ sacrificio exponenda est. Innumeri Theologi omni argumentorum genere demonstrarunt, Eucharistiam veri sacrificii rationem habere. Hoc ex instituto præstiterunt Melchior Cano *Lib. XII. cap.* XII. Bellarminus *Lib. I. de Missa cap.* VI. P. Druin *de re sacram. Lib. V.* & alii plurimi. Instituti mei ratio non finit pro dignitate controversiam adversus novatores enucleare; sed ea tantum capita perstringam quæ ad imbuendos lectores meos opportuna iudicavero.

§. I.

Fidei catholicæ dogma est, Eucharistiam esse verum sacrificium, quod in Missa offertur.

I. DOgma istud definivit Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *can.* I. his verbis: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium* &c. *anathema sit*. Rursus can. III. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium* &c. *anathema sit*. Et tandem can. IV. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit*.

II. His tribus canonibus profligavit Concilium Tridentinum novatorum errores; & doctrinam quam Ecclesia a Christo, & ab universa Apostolorum, & Patrum traditione accepit, confirmavit, & declaravit.

III. Et primum. Christus, cum Eucharistiam instituit, sacrificium obtulit iuxta ritum, & similitudinem sacerdotii Melchisedechi. Appellatur enim & a Davide *Psalm.* CIX. & a Paulo ad Hebr. VII. *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*. Igitur quemadmodum Melchisedechus *obtulit panem & vinum*, quæ fuerunt tymbolum, & typus Eucharistiæ, sic Christus Dominus Sacerdos in æternum, dum Eucharistiam consecravit sub speciebus *panis, & vini*, verum & proprium sacrificium obtulit; ut laudatum Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* I. exponit, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit*. Et hanc doctrinam uno ore Patres omnes tradiderunt: ut laudati Theologi demonstrarunt. Unum & alterum indicabo. S. Cyprianus *epist.* LXIII. ad Cæcilium hæc scribit: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psal. Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens*: Ante luciferum genui te: Tu es Sacerdos *&c. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit*. S. Hieronymus in *Qq. Hebraicis* inquit: *Quod ait*: Tu es Sacerdos in æternum *&c. mysterium nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, idest corpore, & sanguine Domini Iesu*. Plurima alia testimonia ceterorum Patrum prætereo, quod obvia sint.

IV. Christus Dominus sacrificium quod ipse obtulit, immolari ab Apostolis præcepit. *Hoc facite in meam commemorationem*: Luc. XXII. Ita interpretantur Patres. S. Cyprianus *epist.* LXIII. ad Cæcilium ait: *Si Iesus Christus Dominus Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur qui id quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse*. S. Ambrosius in Psalm. XXXVIII. *Sequimur Principem Sacerdotum, ut possumus, Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi Christus nunc non videtur offerre; tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur*. S. Hieronymus *Lib.* III. dialog. adverf. Pelag. *Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio audeant loqui* &c. .... *Recurre ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem huius Principem invenies civitatis: quia tunc in typo Christi panem, & vinum obtulit, & mysterium christianum in Salvatoris sanguine, & corpore dedicavit*. Similia habent ceteri Patres, qui omnia novatorum, negantium Melchisedechum obtulisse sacrificium, sophismata in antecessum labefactarunt.

V. Plurimæ aliæ figuræ veteris testamenti Eucharistiæ sacrificium portenderunt, præsertim agni paschalis sacrificium. Quibus prætermissis, unicum oraculum Malachiæ Prophetæ *cap.* I. transcribo: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus*. Perspicue hic asseritur, reiectis sacrificiis Iudæorum, substituendum fore novum sacrificium, quod in *omni loco* offerretur. Perperam de more detorquere novatores student Malachiæ oraculum ad sacrificium Crucis; cum istud non in omni loco, nec nisi semel oblatum fuerit. Frustra quoque ad bona opera, ad eleemosynas, aliaque virtutum officia inflectere propheticum oraculum nituntur. Numquam bona opera improbavit; neque bona opera sacrificiis mosaicis succedunt. Quid quod iuxta novatores opera bona Christianorum *oblatio munda* dici nequeunt, cum malitia inquinata sint omnia?

VI. Sed quod peremptorium adversus novatores est, universa Patrum traditio testatur, oraculum Malachiæ Eucharistiam designare. S. Iustinus Martyr in *dialogo cum Tryphone* inquit: *De nostris vero gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, iam tum locutus prædixit* (Malachias) *nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare*. S. Irenæus *Lib. IV. adversus hæreses cap.* XXXII. hæc habet. *Eum qui ex creatura panis est, panem accepit, & novi testamenti docuit novam oblationem, de quo & in duodecim Prophetis Malachias sic præsignavit: Non est mihi voluntas in vobis*. S. Augustinus *Lib. XVIII. de civit. Dei cap.* XXXV. perspicue oraculum Malachiæ de Eucharistia interpretatur. *Hoc sacrificium per Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco a Solis ortu usque ad occasum Deo iam videamus offerri* &c. *Sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est*: Non est mihi voluntas in vobis: *cessasse negare non possunt*. Eodem modo loquuntur ceteri Patres, po-

tissimum Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus. Ipse Christus Dominus, ad oraculum istud Malachiæ respiciens, dixit Samaritanæ mulieri Ioan. IV. *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem .... Venit hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*. Nec blaterent novatores, Christum loqui de adoratione interiori, & spirituali. Nam eiusmodi adoratio semper fuit, & durabit usque ad consummationem sæculi. Utique adorationem interiorem in spiritu & veritate Christus annuntiat, Iudæorum errorem improbans, qui absque interiori religionis affectu animalium carnem offerebant. Damnat quoque ibi Samaritanorum superstitionem, qua falsis diis immolabant. Sensus itaque est. Christiani verum Deum, non ficta numina, ut Samaritani, adorabunt, colentque, non tantum exterius, ut Iudæi, sed in spiritu, & veritate incruentum sacrificium eidem offerent.

VII. Sed quæ esse cum Lutheranis, & Calvinianis disputatio potest, qui in religionis negotio ipsam exuunt rationem, & communi sensui renuntiant? Ostendant nobis severi Aristarchi ab orbe condito vel unam aliquam sine sacrificio religionem. *In qualibet ætate* (inquit S. Thomas cit. art.) *& apud qualibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Quod autem est apud omnes, videtur naturale esse. Ergo & oblatio sacrificiorum est de iure naturali*. Plato *Lib. XII. de Rep.* tradit, Sacerdotes magna claritate oportet abundare propter eorum quæ tractant, magnitudinem. Apud Ægyptios piaculum erat Regem absque sacerdotio imperare. Subdit Plato *dial.* VIII. de legibus, necesse esse ut semper unus ex Magistratibus deorum alicui pro civitate sacrificet. Apud Athenienses creato Regi maxima sacra attribuebantur. Aristoteles, Platonis discipulus, testatur *Lib. III. Polit.* heroicis temporibus Reges divinæ rei cultum exercere solitos; sacrificia tamen insignia Sacerdotibus reservata fuisse. Quapropter monet, in optima Republica Sacerdotes honoratissimos constituendos esse. Neque enim, ait, agricola, artifex, neque vilium exercitiorum quisque Sacerdos est deputandus: honos namque diis a civibus impendendus. Cirus, & Valerius scribunt, inquit Melchior Cano *loc. cit.* tantum studium antiquæ religionis fuisse, ut Senatus tunc, cum florebat imperium, decreverit, ut de Principum filiis pauci quidam electi Hetruriæ populis ad disciplinam sacrorum percipiendam traderentur, ne ars tanta *propter tenuitatem hominum*, & religionis auctoritatem *adduceretur ad mercedem & quæstum*. Tantus honos apud veteres, natura duce, religioni est habitus, ut nulli, nisi Principes, & Optimates, cæremoniarum erga Deum haberent facultatem. Et Lutherani contendunt, adeo Christum desipuisse, ut Rempublicam instituerit, in qua sacrificia omnia contrita essent: Sacerdotes vero qui? Deliri senes, garrulæ anus, adolescentes leves, sartores, lanii, coqui. Sacerdotium nostrum Lutherani, Turcarum more, infamare cupiunt, apud quos a communi populo non multum Sacerdotes differunt. Quanto religiosius antiqui olim Germani statuerunt, ut verberandi, animadvertendique in hominem, nisi Sacerdotum auctoritate, nullis esset concessa facultas; quo iudicia, non humana, sed divina viderentur, concludit Melchior Cano.

VIII. Non ergo nobis succensent Lutherani, si dixerimus, neminem sanæ mentis effutire posse, Christum Iesum, qui non venit legem naturalem destruere, sed adimplere, & perficere, & religionem omnium præstantissimam & excellentissimam instituere, ab ea sacrificium, quod est religionis cuiusque character, & tessera, abolevisse. Quid? Nulla religio umquam sine sacrificio: & religio christiana sola, omnium perfectissima, sacrificio carebit, & sacerdotio? Contra clamat Apostolus ad Hebr. VII. *Necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici. Translato enim sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat .... Contestatur enim: quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Igitur, teste Paulo, sacerdotium in novo fœdere non est ablatum, sed ab ordine Aaron ad ordinem Melchisedech translatum est. Si sacerdotium est in nova lege, simul & altare sit oportet, ut ibidem *cap.* XIII. testatur Paulus: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*. Habemus ergo & victimam immolandam. Tria hæc, sacerdotium, altare, & sacrificium, adeo connexa sunt, ut consistere unum sine altero nequeat. Quisnam altarium usus, nisi ad sacrificia offerenda? Ad quid instituti Sacerdotes, nisi in primis ad sacrificandum? Nec blaterent novatores, in lege nova unum esse sacrificium Crucis, quo plenissime pro omnibus satisfactum fuit; ut Apostolus ad *Hebr. cap.* X. ait. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Si cavillatio isthæc consisteret, abroganda etiam essent sacramenta omnia. At quamvis plenissima fuerit Christi satisfactio, superflua non sunt, sed necessaria sacramenta. Ergo necessarium quoque sacrificium est. Utique Christus Dominus per cruentum Crucis sacrificium adæquatam plenamque Deo pro peccatis satisfactionem obtulit, novum testamentum confirmavit, & infinita bona nobis promeruit. Sed, ut infinitum beneficium nobis prosit, applicari debet, non per solam fidem seu fiduciam, ut novatores delirantes blaterant; sed per sacrificium, & sacramenta, quæ cum fide & fiducia suscipienda sunt. In quocumque statu necessaria fuit fides sacrificii Crucis ad iustificationem. Et tamen, hoc non obstante, in quocumque statu fuere vere sacrificia, quibus effectus sacrificii Crucis participarentur. Ergo & in novo fœdere extat sacrificium incruentum, quo nobis cruenti sacrificii Crucis fructus applicantur.

IX. Obiicit I. Calvinus cum ceteris sectariis illud Pauli ad Hebr. VII. *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim dicebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel, se ipsum offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum*. Hic Paulus sacerdotium veteris testamenti a sacerdotio novi fœderis distinguit. In hoc unus Sacerdos est. Cuius diversitatis caussam perhibet Apostolus ipse, quod nempe illi mortales erant: quare successoribus indigebant, qui in demortuorum locum subrogarentur.

X. Resp. Hoc argumentum, quod Calvinus de more iactabundus extollit, seipso corruit. Unicus est Sacerdos noster æternus, & immortalis, qui semper coram Deo pro nobis assistit. Porro hoc est veteres inter & Sacerdotes nostros discrimen, quod illorum singuli suam offerebant hostiam proprio, non alterius Sacerdotis nomine: neque enim posteriores alicuius prioris vices gerebant. Idcirco plures omnino Sacerdotes erant, quia non in uno veluti capite conveniebant, cuius loco administrarent. At Sacerdotes novi fœderis in Christi nomine, eiusque persona ad altare accedunt: ideo quodammodo unum est Sacerdotium. Omnes unam & eamdem hostiam offerunt: non igitur plures nos Sacerdotes sumus, qui plures, atque diversas hostias offeramus, quemadmodum veteres; sed unus est summus Sacerdos Christus Dominus, qui Deum sanguine suo placavit, & reconciliavit mundo; nosque hoc sensu non dicimur Sacerdotes, sed dispensatores sumus mysteriorum eius, applicantes populo sanguinem quem ille effudit in Cruce, ut Apostolus ipse docet I. Corinth. IV. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Nec Sacerdotes nostri similes sunt, ut Calvinus contendit, Sacerdotibus veteris legis. Illi hostias, seu sanguinem offerebant hircorum, & taurorum, quæ ex se placere non poterant. Legis infirmitas erat, quod nec hostiam habebat, quæ ex se Deo esset accepta; nec Sacerdotes impollutos, qui Deo gratiosi gratam quoque hostiam efficerent. Sacerdotes vero nostri, tametsi infirmi sunt, nihil tamen Ecclesiæ incommodant, utpote quod vim suam non ab illis habet, sed a Christo summo Sacerdote, in quo Pater bene sibi complacuit, qui simul est Sacerdos & sacrificium. Sacrificii itaque evangelici hostia seipsa est Deo quam gratissima; & unum habet Sacerdotem summum, sanctum, impollutum, cuius oblatio vim tribuit sacrificio, & omnibus fidelibus prodest. Sicut ergo infirmus & improbus minister Christi, sacramentum administrans, nihil Ecclesiæ nocet; ita neque in Christi sacrificio Sacerdos impius divinæ utilitatis fructu Ecclesiam privat; quamvis ipse sibi non emolumentum comparet, sed exitium, concludit laudatus Melchior Cano.

XI. Insistit Calvinus, semel Christum iuxta Apostolum oblatum fuisse, & satisfecisse pro omnibus peccatis. Sed ex iis quæ dicta sunt, obiectio corruit. Semel Christus cruento sacrificio se in monte Calvariæ obtulit Deo Patri, plenamque pro peccatis nostris satisfactionem exhibuit. Sed fructus illius redundantis pretii nobis applicandus est. Sacrificium Missæ non offerimus, ut calumniantur novatores, in supplementum sacrificii Crucis, quasi illud deficiens fuerit, sed dumtaxat ut nobis applicetur illius fructus. Sacrificium incruentum Missæ, & sacrificium cruentum idem omnino sunt quantum ad substantiam; cum eadem sit hostia, idem offerens Christus; & solus modus diversus est, ut Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* II. declarat,

rat. *Una est eademque hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: cuius quidem oblationis cruentæ fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Semel ergo oblatus est, & una mortis oblatione omnia consummavit. Unus est summus Sacerdos Christus. Sacerdotes omnes sunt illius vicarii, quorum ministerio utitur ad offerendum eamdem hostiam in sacrificio Missæ, quo nobis sacrificii cruenti pretium applicatur. Nonne novatores ipsi fatentur, necessariam esse applicationem sacrificii Crucis per fidem, per sacramenta? Si propterea quod Christus sacrificio Crucis consummavit opus salutis nostræ, & superabundantem pro peccatis nostris obtulit æterno Patri satisfactionem, superflua quoque foret Missæ sacrificium, superflua quoque forent sacramenta, precationes, & cetera alia pia opera, quibus fructus passionis Christi nobis applicare curamus. Negant hoc secundum novatores: negent ergo & alterum necesse est. Argumentum Calvini valeret, si sacrificium Missæ diversum quantum ad substantiam esset a sacrificio Crucis, & ab isto virtutem non acciperet, & efficaciam: quod prorsus falsum est; cum eadem omnino victima sacrosancta quæ oblata in Cruce fuit modo cruento, offeratur in altari incruento modo, ut sæpius dictum est. Unde consequitur, Missam non esse puram repræsentationem, & meram imaginem sacrificii, sed verum & proprium sacrificium; licet sit commemorativum illius ob rationem datam, quod eadem modo diverso victima offeratur.

XII. Opponunt 2. Eucharistia est sacramentum. Ergo non est sacrificium. Nam idem non potest esse utrumque. Resp. Idem non potest esse simul sacrificium, & sacramentum sub eodem respectu, eademque ratione, concedo; sub diverso respectu, nego. Eucharistia, ut nobis gratiam confert, donum Dei, & sacramentum est; quatenus Eucharistia continet Christum hostiam incruentam, quæ offertur Deo Patri, sacrificium est.

XIII. Opponunt 3. In sacrificio requiritur victimæ mactatio. At in sacrificio Missæ Christus, qui offertur, non mactatur. Ergo Missa non est sacrificium. Præterea in sacrificio necessaria est oblatio rei sensibilis. Christi autem corpus, quod offertur, non est sensibile. Ergo Missa non est sacrificium. Resp. In sacrificio requiritur victimæ immutatio eo modo quod est sacrificium. Si hoc cruentum sit, necessaria est physica victimæ mactatio; si sacrificium sit incruentum, ut est eucharisticum, requiritur immutatio seu mactatio victimæ mystica. In sacrificio Missæ vi verborum quibus panis, & vinum consecrantur, separatur sanguis a corpore, quæ separatio est quædam mystica sanguinis effusio. Neque ad rationem sacrificii necesse est ut sanguis reipsa effundatur; sed sat est ut ex vi actionis effundi debeat: quemadmodum patet in sacrificio Abrahami, de quo S. Ioannes Chrysostomus *homil.* LII. *in S. Eustatium Antioch.* inquit: *Est sacrificium etiam sine sanguine. Sciunt illi qui mysteriis initiati sunt. Propterea & illud* (Isaaci) *sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit. Vides in veteri testamento imaginem multo ante adumbratam? Noli veritati fidem denegare.* Quot sacrificia in antiquo testamento incruenta non fuere? Corpus & sanguis Christi in Eucharistia non sunt sensibilia se ipsis, & in propria specie; sunt tamen sensibilia per species panis, & vini, sub quibus offeruntur.

XIV. Opponunt 4. Ex oblatione Melchisedech, facta Abrahamo, non recte colligitur Missæ sacrificium. Siquidem Melchisedechus obtulit Abrahæ, & servis eius panem & vinum, non in sacrificium, sed ad eos ex prælio redeuntes refocillandos. Resp. Utique ex eo quod Melchisedech panem, & vinum obtulit Abrahæ, non infertur ipsum sacrificasse: siquidem sacrificium Deo soli offertur. Melchisedechus igitur Deo panem & vinum sacrificavit; & postea partem panis & vini protulit Abrahæ. Idque eruitur ex ipsa Scriptura *Gen.* XIV. ubi, narrata oblatione, subditur de Melchisedech: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Ad quid Sacerdotii mentio facta esset, nisi Melchisedech sacrificasset? Ipsa quoque Scriptura manifeste declarat, Melchisedech non protulisse panem & vinum ad refocillandos milites. Redierant enim e prælio cum ingenti præda: & ea habebant *quæ ad cibum pertinent*, ut ibidem dicitur: & Abraham Regi Sodomorum dixit: *Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, exceptis his quæ comederunt iuvenes.*

XV. Ex quibus colliges, Missæ sacrificium esse latreuticum, quia in eius celebratione cultus latriæ Deo exhibetur, & recognoscitur supremum eiusdem dominium in omnes creaturas. Est insuper sacrificium eucharisticum, quo pro acceptis beneficiis Deo gratiæ aguntur. Appellatur quoque propitiatorium: quia victima offertur ad placandam divinam iustitiam pro peccatis. Est simul impetratorium: quia dum illud Deo offerimus, ab eo auxilia, gratias, & dona impetramus.

§. II.

Sacrificii Missæ essentia explicatur.

I. Dogma catholicum est adversus novatores, Missam esse sacrificium. Disputant vero Theologi catholici, in qua actione sita sit istius sacrificii essentia. Convenit penes omnes, sacrificium istud non consistere in ea liturgiæ parte quam Ecclesia instituit; cum sit divinitus institutum, ut ostensum est. Controversia ergo est inter Theologos circa partes quæ sunt divinæ institutionis.

II. Quæst. I. *Utrum essentia sacrificii Missæ sita sit in oblatione?* Resp. Neque oblatio quæ consecrationem præcedit, neque quæ consequitur, ad essentiam pertinet sacrificii. Oblatio præcedens consecrationem est mera præparatio ad sacrificium, est enim oblatio panis & vini. Panis autem, & vinum non sunt victima sacrificii, victima quippe huius sacrificii est ipsemet Christus Dominus. Oblatio illa ecclesiasticæ institutionis est; sacrificium autem est institutionis divinæ. Præterea oblatio vocalis est præter essentiam sacrificii: satis enim est ut reipsa Sacerdos Deo victimam offerat.

III. Similiter oblatio quæ consecrationem consequitur, ad sacrificii essentiam non pertinet; cum non sit a Christo, sed ab Ecclesia instituta. Accedit quod hoc sacrificium in persona Christi offertur. Sacerdos autem, peracta consecratione, non offert nomine Christi, sed nomine proprio, & Ecclesiæ; ut patet ex verbis ipsis: *Unde & memores nos servi tui . . . . offerimus.* Quibus verbis exprimitur oblatio facta a Christo, cum quo simul Ecclesia ipsa offert. Quamvis autem hæc oblatio ad essentiam sacrificii non pertineat; tamen plures, & graves quidem Theologi eam ad eiusdem attinere integritatem contendunt. Quare summa attentione, sicut omnia quæ in Missæ canone continentur, recitanda sunt istius oblationis verba.

IV. Quæst. II. *An fractio, commixtio specierum, distributio, & earumdem consumptio sint de essentia sacrificii?* Resp. De fractione, & commixtione hæc S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXXIII. *artic.* 6. *ad* 6. scribit: *Dicendum, quod fractio hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum; sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti.* Heinc Theologi omnes inferunt, nullo modo reiterandum, aut irritum esse sacrificium, si Sacerdoti crucem facienti decideret hostia in calicem, quæ frangi non posset. Utique Christus panem fregit, sed ad distribuendum, non ad mysterium aliquod designandum. Nec certum est Christum fregisse panem post consecrationem; cum multi ante consecrationem illum fregisse velint.

V. Distributionem quoque non pertinere ad sacrificii essentiam, fatentur omnes. Nam hæc distributio fieri a Diacono potest. Actio autem sacrificii tota peragi a Sacerdote debet. Qui edunt victimas, participes quidem altaris sunt, inquit S. Paulus *I. Cor.* X. at sacrificium non conficiunt.

VI. Quæst. III. *An consecratio Sacerdotis sit de essentia sacrificii?* Resp. Adfirmant communiter Theologi. Nam sacrificium est oblatio, & immolatio victimæ sensibilis. Porro certum est in consecratione esse veram oblationem. Siquidem Christus Dominus vi consecrationis, tamquam verus agnus & victima, sistitur in altari sub speciebus panis, & vini, & in quodam statu mortis constituitur; quatenus per spiritualem verborum gladium sub diversis & separatis speciebus immolatur, & offertur Deo Patri. Porro hæc mystica, quæ vi verborum fit, separatio corporis ac sanguinis apte repræsentat separationem cruentam sanguinis a corpore in cruce peractam.

VII. Quæst. IV. *An communio Sacerdotis sit pars essentialis sacrificii Missæ, aut solum integralis?* Resp. Disputant in utramque partem Theologi. Omnes adfirmant, esse partem ut minus integralem sacrificii; & communior sententia propugnat, partem esse essentialem. Quoniam sacrificium Missæ est omnium perfectissimum, & holocausti rationem obtinet. Porro sicut in holocausto tota victima destruebatur & consumebatur; ita in sacrificio Missæ per communionem Sacerdotis tota consumitur victima. Dissidium istud, quod Sacerdotis communio sit pars sive integralis, sive essentialis, parvi aut nullius momenti est. Nam omnes in hoc convenire videntur, quod consecratio, quæ principaliter saltem essentiam sacrificii constituit, exprimat ordinem necessarium ad consumptionem oblatorum; ita ut consumptio sit de iure divino. Quamobrem si Sacerdos post consecrationem moriatur, aut ineptus ad consumptionem fiat, alius Sacerdos,

dos, etiam non ieiunus, perficere sacrificium, & oblata consecrata absumere debet. Consumptionem enim utriusque speciei esse de iure divino, communis & certa sententia est. Christi quippe corpus & sanguis per consecrationem exhibetur sub specie cibi & potus. Ergo consecratio essentialiter ad consumptionem ordinatur. Et hoc confirmatur exemplo Christi Domini, qui in ultima cœna suum corpus & sanguinem sumpsit; ut ex verbis *Luc.* XXII. colligitur. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Hoc autem de Paschate, quod ipse instituturus, & esurus erat, intelligunt communiter Patres, & docet expresse S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxi. *art.* 1. *ad* 1. his verbis: *In Evangeliis legitur, quod Christus accepit panem, & calicem. Non est autem intelligendum quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt; sed eo modo accepit quo aliis accipiendum tradidit. Unde cum discipulis dixerit:* Accipite, & comedite: *& iterum*: Accipite, & bibite: *intelligendum est quod accipiens comederit, & biberit. Unde quidam metrice dixerunt:*

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Hanc doctrinam communiter Theologi defendunt.

VIII. Quæst. V. *An consecratio utriusque speciei panis, & vini ad essentiam sacrificii pertineat?* Resp. Sententiam adfirmantem sustinent Theologi omnes. Idque exemplo, & divino præcepto ipsius Christi Domini constat. Quare Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* 1. sic definit. *Christus, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper catholica Ecclesia intellexit, & docuit*. Pluribus rationum momentis hanc veritatem evincit S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxx. *art.* 12. *ad* 3. Repræsentatio, inquit, dominicæ passionis in consecratione peragitur. Ergo non debet sine sanguine corpus consecrari. Incruentum quippe Missæ sacrificium imago est, ut alias dixi, cruenti sacrificii Crucis. Et quamvis per consecrationem unius speciei totus Christus sacramentaliter ponatur in altari; deest tamen expressa significatio mortis Christi, quæ in separatione utriusque speciei, ac mystica immolatione sita est: quæ repræsentatio & commemoratio necessaria est ex præcepto Christi Domini. Quare si Sacerdos post consecrationem panis repentina morte corriperetur, substituendus esset alius Sacerdos, qui inchoatum perficeret sacrificium. Nec est quod opponas, Christum Dominum in Emmaus castello coram duobus discipulis panem solum consecrasse. Quoniam quod Christus suprema auctoritate præditus peregit, non est in exemplum adducendum; sed quod in ultima cœna faciendum præscripsit, impleri a nobis debet. Dispensationes quas nonnulli referunt ab Innocentio IV. & VIII. concessas, consecrandi sub una panis specie, fictitiæ prorsus sunt, & fabulosæ.

IX. Quæst. VI. *Si Christus, peracta consecratione, appareret per miraculum sub specie carnis, & sanguinis, esset ne utrumque a Sacerdote sumendum?* Resp. Hanc quæstiunculam versat S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxii. *artic.* 4. *ad* 3. & resolvit non esse in hoc miraculoso eventu sumendum. *Nec propter hoc* (inquit) *Sacerdos transgressor efficitur: quia ea quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti, quod iterato corpus, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret*. Ut tamen Sacerdos abstineret ab sumptione, deberet esse apparitio permanens, & ipsi Sacerdoti visibilis. Si enim aliquibus tantum apparitio fieret, vel ipsi Sacerdoti post consecrationem, sed tempore communionis apparerent species panis & vini, tunc sumere deberet, ut ibidem Angelicus docet.

X. Quæst. VII. *Quid agendum, si aliquid veneficum post consecrationem deprehendatur in calice?* Resp. Respondet S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxiii. *artic.* 6. *ad* 3. his verbis: *Si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, & abluto calice, aliud vinum apponi consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, nec aliis dare, ne calix vitæ vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari: & ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum ponere in calicem, & denuo resumere a consecratione sanguinis, & sacrificium perficere*.

XI.

XI. Si ex oblivione aqua non sit infusa vino, & id deprehendatur ante consecrationem, debet continuo apponi. Si hoc, peracta consecratione, deprehendatur, nullo modo est infundenda: quia aquæ infusio non est de necessitate sacramenti, ut alias dictum est. Si cognoverit post consecrationem, loco vini aquam esse; debet, seposita aqua, vinum cum aqua more consueto infundere, & resumere Missam a verbis consecrationis calicis. Si hoc deprehenderet post sumptionem corporis; tum deberet aliam hostiam consecrare simul cum calice, & repetere Missam a verbis consecrationis panis, & sumere hostiam consecratam cum sanguine, etiamsi prius sumpserit aquam: quia præceptum de integritate sacrificii prævalet præcepto ieiunii.

CAPUT III.

De valore sacrificii Missæ, eiusque effectibus.

I. VAlor sacrificii Missæ duplex: unus ex opere operato, alter ex opere operantis. Primus ex ipso opere immediate a Christo instituto proficiscitur. Secundus est effectus meriti, & dignitatis ministri, vel suscipientis. Primus semper percipitur, nisi obex adsit. Secundus non semper habetur, cum pendeat a celebrantis devotione. Idcirco prudenter illi se gerunt qui a melioribus Sacerdotibus celebrari Missas curant, ut S. Thomas *III. Part. quæst.* lxxxii. *art.* 6. sapienter exponit. *Dicendum, quod in Missa duo est considerare; scilicet ipsum sacramentum, quod est principale; & orationes, quæ in Missa fiunt pro vivis, & mortuis. Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet Missa Sacerdotis mali quam boni: quia utrobique idem conficitur sacramentum. Oratio etiam quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter. Uno modo, inquantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis: & sic non est dubium quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo, inquantum oratio in Missa profertur a Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est minister: quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut supra dictum est de ministerio Christi. Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio Sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiam omnes eius orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ; licet orationes eius privatæ non sint fructuosæ, secundum illud Proverb.* XXVIII. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*.

II. Disputant in utramque partem Theologi, sit ne infinitus valor, seu fructus sacrificii Missæ, qui est ex opere operato. Nam de valore ex opere operantis constat eum esse finitum, & limitatum, sive spectetur ex merito & devotione celebrantis, sive ex fervore adstantium fidelium, simul cum Sacerdote offerentium: sanctitas enim singulorum, & universæ Ecclesiæ finita est ac limitata. De primo ergo valore, qui ab ipso Christo principali offerente, & ab opere ab ipso instituto provenit, disputatio est. Paucis rem perstringo.

III. Quæst. I. *Est ne infinitus valor sacrificii Missæ?* Resp. Si valor spectetur absolute, & quatenus exprimit virtutem, & sufficientiam; dubio procul est infinitus. Quandoquidem sacrificium Missæ idem est, quantum ad substantiam, ac sacrificium Crucis: ratio sola, seu modus offerendi diversus est. Sed cruentum sacrificium Crucis infiniti valoris fuit quantum ad sufficientiam, & virtutem. Ergo idem dicendum de sacrificio Missæ.

IV. Si vero spectetur, ut offertur a ministris Ecclesiæ, & reipsa in actu secundo, finitus est & limitatus. Idque exemplo sacrificii Crucis constat. Quamvis enim utrumque sacrificium, prout meritorium, & satisfactorium, infiniti valoris, ut dixi, sit; tamen effectum infinitum in nobis non producit: quia applicatio & dispositio subiecti finita est & limitata.

V. Quid quod, si sacrificium Missæ reipsa effectum infinitum produceret, æque prodesset omnibus & singulis, ac uni vel alteri: & una sola Missa omnes animas purgantes liberaret; adeoque superflua forent anniversaria pro eadem anima, & frustra testatores plures Missas ordinarent, & capellanias, atque legata perpetua instituerent? Præterea iniuste Sacerdos applicaret sacrificii fructum uni animæ, si æque omnibus prodesset.

VI. Limitatio istius valoris ex ipsa Christi Domini voluntate proficiscitur. Quemadmodum enim unica sua actione potuisset satisfacere pro omnibus peccatis nostris; & nihilominus multiplicare actus suos voluit usque ad mortem: sic per unicam incruentam oblationem sacrificii potuisset omnia impetrare, & pro omnibus satisfacere. Verum infinita sua sapientia disposuit ut fructus applicaretur, spectata dispositione & aptitudine offerentis & recipientis.

VII. Quæst. II. *Qui sint effectus sacrificii Missæ?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXII.

XXII. *cap.* II. hæc docet. *Sacrificium Missæ non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis rite, iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Igitur sacrificium Missæ, cum sit propitiatorium, valet ad peccatorum veniam & satisfactionem, ut idem Concilium *loc. cit. can.* III. definivit. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis . . . non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

VIII. Per sacrificium remittuntur peccata, non immediate, sed mediate tantum; quatenus Deus intuitu huius sacrificii peccatori largitur gratias actuales, quibus ad pœnitentiam excitatur, & disponitur aut ad baptismum, aut ad confessionem. Communis autem sententia docet, hanc auxiliorum impetrationem, quibus homo disponitur ad pœnitentiam, esse certam, nisi impedimentum obsit, ex opere operato: quia ex divina institutione hoc sacrificium ordinatum est ad applicandum nobis fructum passionis & mortis Christi. Hæc autem applicatio includit caussalitatem ex opere operato, quia fit vi institutionis Christi Domini. Tandem si Missæ sacrificium non prodesset aliis, nisi ex opere operantis, nullum foret discrimen inter sacrificium, & perceptionem Eucharistiæ, quæ ex opere operantis prodesse aliis potest.

IX. Defendunt quoque plures, sacrificium Missæ ex opere operato conferre augmentum gratiæ iis pro quibus offertur: quia, inquiunt, sacramenta hoc modo producunt gratiam: ergo & hoc sacrificium. Sed argutatio hæc inepta est, si intelligatur de productione immediata. Nam sacramenta conferunt gratiam ex opere operato iis a quibus percipiuntur, secus aliis. Sic sacrificium istud Sacerdoti offerenti, & absumenti confert immediate augmentum gratiæ ex opere operato, secus ceteris pro quibus offertur: istis enim mediate tantum, si iusti sint, prodest ad gratiæ augmentum, ut mox dicam. Falsa ergo est P. Leandri opinio, quam defendit *quæst.* VI. nempe per accidens posse hoc sacrificium conferre primam gratiam illis pro quibus offertur.

X. Quid de peccatis venialibus? Remittit ne illa hoc sacrificium? Adfirmant communiter Theologi, sacrificium istud prodesse iustis & ad remissionem venialium, & ad augmentum gratiæ, non immediate, sicut sacramenta; sed mediate, quatenus illius irtuitu Deus confert gratias per quas iusti bona opera edunt, quibus merentur gratiæ augmentum.

XI. Reatus pœnæ temporalis remittitur immediate per hoc sacrificium: quia creditor condonare debitori potest debitum, etiam de eo non cogitanti. Remissio enim pœnæ est solum exterior: in quo differt a remissione culpæ, quæ fieri nequit sine interiori dispositione, & mutatione peccatoris adulti. Hoc ergo sacrificium Deum placando impetrat gratiam, per quam peccator ad sacramenta suscipienda se disponat, ut illorum efficacia peccatorum remissionem, & iustitiam consequatur.

XII. Per Missæ sacrificium impetrantur quoque bona temporalia: idque patet ex universali Ecclesiæ consuetudine. Inquit enim *homil.* LXXI. *in Ioan.* Chrysostomus: *Pro infirmis, & terræ, & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus.* Nec est quod opponas, Christum per suam mortem nobis temporalia non meruisse. Quoniam verum habet, Christum mortuum non esse, ut bonis temporalibus abundaremus, sed bona temporalia nobis meruit, quatenus a divina providentia ordinatum est ut per eorum usum & administrationem vitam æternam assequamur. Hoc enim in sensu bona temporalia subsunt ordini divinæ prædestinationis. Heinc est quod Deus illa nobis largitur, quatenus utilia sunt ad salutem nostram; eaque denegat, quia cognoscit sua infinita sapientia impedimento nobis fore ad æternam beatitudinem; aut denique differt ad illud tempus quo nobis opportuna fore prævidet. Absurdum utique est, sacrificium Missæ ordinare ad bona temporalia obtinenda, tamquam ad finem; secus, tamquam ad media, quibus Deum ipsum assequamur.

CAPUT IV.

Cui, & pro quibus sacrificium Missæ offeratur.

I. CErtum est apud omnes Catholicos, soli Deo Missæ sacrificium offerri; sicut soli Deo templa & altaria eriguntur, & consecrantur. Et hoc docet Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* III. his verbis. *Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis offerri sacrificium docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

II. Hæc doctrina universali Ecclesiæ traditione manifesta est. S. Augustinus *Lib. XX.* contra Faustum *cap.* XXI. inquit: *Populus autem christianus memorias martyrum religiosa solemnitate celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur; ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed offertur Deo, qui martyres coronavit.* Impudentissime igitur blaterant novatores, nos Missæ sacrificium offerre martyribus, aut alicui Sanctorum; sed in istorum memoriam, & honorem Deo offerimus. Quare merito illos anathemate percussit Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *can.* V. his verbis. *Si quis dixerit, impostura esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.* Si plura cupis, lege S. Augustinum *Lib. XXII. de Civ. Dei cap.* X. Cyprianum *epist.* XXXIV. & XXXVII. Cyrillum Hierosolymitanum *catech.* V. & communiter ceteros Patres. His breviter delibatis, illud nunc explicandum superest, pro quibus sacrificium offeratur.

III. Quæst. I. *Offerri ne sacrificium Missæ potest pro omnibus hominibus mortalem vitam degentibus, Paganis, Iudæis, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, catechumenis, maxime tamen pro fidelibus?* Resp. Sententia adfirmans eruitur ex ipso S. Paulo *I. ad Tim.* II. ubi inquit: *Hoc bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Porro pro illis omnibus oportet sacrificium offerri quos salvos fieri Deus vult, & ad veritatis agnitionem venire; & pro quibus Christus suum obtulit Crucis sacrificium, cuius commemoratio est sacrificium eucharisticum. Atqui Deus vult omnes infideles salvos fieri; & pro omnibus passus est Christus. Ergo pro omnibus offerri sacrificium potest. S. Augustinus *epist.* CVII. hoc pacto redarguit Vitalem, effutientem initium fidei non esse donum Dei. *Dic ergo apertissime nos pro iis quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, sed eis tantummodo prædicare. Exere contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas. Et quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut Deus eos convertat ad fidem, & pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, eius munere perseverent; subsanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, idest Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non sint ista divinæ misericordiæ beneficia, sed humana officia voluntatis.*

IV. Luculentius consuetudinem quæ tempore Augustini obtinebat, exponit S. Thomas in *IV. dist.* XVIII. *quæst.* I. *artic.* I. *ad* I. his verbis. *Pro infidelibus oratur; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter & pro excommunicatis orari potest; quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent: sed oratur ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur.* Rursus ad 2. de excommunicatis hæc adiicit. *Unde suffragia Ecclesiæ eis non prosunt quæ pro tota Ecclesia fiunt. Nec ex intentione Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest; quamvis aliqua persona privata posset ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.* Sacerdotes itaque, non ex publica, sed ex privata intentione orare, & offerre sacrificium valent pro infidelibus, & excommunicatis. Hæc est enim Ecclesiæ disciplina, ut eorum qui sunt extra Ecclesiam, nomina publice non recitentur. In die dumtaxat Parasceves, ob peculiarem sanguinis Christi effusi memoriam, orat pro infidelibus, schismaticis, hæreticis &c. Nihilo secius Sacerdotes, & fideles orare privatim pro iisdem valent. Nec est quod opponas, Augustinum *Lib. I. de orig. anim. cap.* IX. asserere: *Quis offerat corpus Christi nisi pro iis qui sunt membra Christi?* Quoniam eo loci Doctor sanctus loquitur dumtaxat de defunctis, qui aut sunt reipsa membra Christi, aut nullo modo erunt. At licet infideles, hæretici &c. non sint actu membra, possunt tamen esse, usque dum vivunt. Idcirco offerre sacrificium pro iisdem indirecte possumus. Siquidem, dum sacrificium offerimus pro Ecclesia catholica propaganda, amplificanda, unienda, indirecte offerimus pro infidelibus, hæreticis, schismaticis &c. ut convertantur.

V. Potiori autem iure offerimus pro fidelibus, tametsi peccatoribus, sacrificium, iisque

iisque impetramus vi istius sacrificii contritionem, & gratiæ vitam. Offertur quoque pro catechumenis, illisque prodest, non solum quantum ad fructum impetrationis, sed etiam quantum ad vim satisfactionis; dummodo per fidem, & contritionem iustificati sint.

VI. Quæst. II. *An liceat offerre sacrificium pro damnatis, & beatis?* Resp. Negant omnes. Immo pro damnatis, qui æternum a Christi corpore separati sunt, impium esset offerre sacrificium. Quamobrem S. Augustinus *Lib. III. de orig. anim. cap.* XII. inquit: *Noli credere, nec dicere, nec docere sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.*

VII. Oppones 1. S. Augustinus in Enchiridio *cap.* CX. scribit: *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissione, aut certe ut tolerabilior sit ipsa damnatio.* Hæc verba Augustini ansam nonnullis præbuerunt defendendi, licitum esse orare pro damnatis, non ut liberentur, sed ut illorum pœnæ & supplicia mitigentur. Verum opinio hæc ab omnibus improbatur. Verba Augustini interpretatur S. Thomas in *IV. dist.* XLV. *quæst.* II. *artic.* I. *quæstiunc.* I. hoc modo. *Damnatio in verbis illis large accipitur pro quacumque punitione, ut sic includat & pœnam purgatorii, quæ quandoque totaliter per suffragia expiatur, quandoque autem non, sed diminuitur.*

VIII. Oppones 2. Iudas Machabæus sacrificium offerri iussit, ut habetur *II. Machab.* XII. pro Iudæis in prælio cæsis, qui damnati erant; cum sub eorum tunicis idola inventa fuerint. Respondet *loc. cit. quæst.* I. *ad* 1. S. Thomas, *quod donaria idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos, ut ex eis accipi posset, quod in reverentiam idolorum ea deferrent; sed ea acceperunt ut victores, quæ eis iure belli debebantur: & tamen per avaritiam venialiter peccaverunt: unde non fuerunt in inferno damnati; & sic suffragia eis prodesse potuerunt. Vel dicendum secundum quosdam, quod in ipsa pugna, videntes sibi periculum imminere, de peccato pœnituerunt, secundum illud Psal.* LXXVII. Cum occideret eos, quærebant eum. *Et hoc probabiliter potest æstimari: & ideo oblatio pro eis fuit facta.*

IX. Oppones 3. Machabæus oravit pro Sacerdote ethnico damnato, ut legitur in Vitis Patrum. Item S. Ioannes Damascenus *serm. de suffragiis mortuorum* scribit, pro Traiano, a tribus sæculis mortuo, S. Gregorium preces fudisse, & hanc vocem audivisse: *Vocem tuam audivi, & veniam Traiano do.* Et istius eventus *testis*, inquit, *est Oriens omnis, & Occidens.* Traianus ethnicus decessit e vita, atque adeo damnatus. Resp. Narratio Macharii fabulosa est. Ad putidam quoque fabulam amandant communiter eruditi, præsertim Natalis ab Alexandro *sæcul.* II. *Hist. eccl. disp.* I. liberationem Traiani ab inferno precibus S. Gregorii. Sermo pro suffragiis mortuorum, sub Ioannis Damasceni nomine evulgatus, supposititius est. S. Gregorius *Lib. XXIV. Moral. cap.* XVI. conceptis verbis docet, non esse pro mortuis damnatis orandum. Nec officit, Paulum Diaconum simul cum Ioanne in vita Gregorii hunc eventum narrare: quoniam & ipsi aliquid humani passi sunt. S. Thomas in *I. dist.* XLIII. *quæst.* II. *art.* 5. *ad* 5. hoc præbet responsum. *Idem est de Traiano, qui forte post* 300. *annos suscitatus est, & de aliis qui post unum diem suscitati sunt. De omnibus enim dicendum est, quod non finaliter damnati erant: præsciebat enim Deus, eos Sanctorum precibus a pœnis liberandos, & vitæ restituendos; & sic ex liberalitate bonitatis suæ eis veniam contulit, quamvis æternam pœnam meruissent.*

X. Pro beatis in cælo regnantibus numquam Ecclesia sacrificium obtulit: quia nihil in Sanctis, qui Dei visione fruuntur, expiandum superest. Quamobrem S. Augustinus *serm.* XVII. *de verb. Apost. cap.* I. hæc scribit. *In Patria vero nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deest. Quod hic creditur, ibi videtur: quod hic speratur, ibi tenetur: quod hic petitur, ibi accipitur..... Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare.*

XI. Solent referri antiquæ quædam collectæ, in quibus legitur, sacrificium prodesse Sanctis. Sed respondet Innocentius III. id intelligendum esse, quod prosit, quatenus magis ac magis glorificentur in terris. Consule S. Thomam in *IV. dist.* XII. *quæst.* II. *artic.* I. *quæstiunc.* I. item *dist.* XLV. *quæst.* II. *artic.* 2. *quæstiunc.* 2. Missæ de Sanctis inscribuntur, non ut illi aliquod emolumentum inde percipiant; sed ut gratias Deo de illorum victoriis agamus, inquit S. Augustinus *Lib. VIII. de civ. Dei cap.* XXVII. In Missis Mozarabum oratur pro animabus Athanasii, Hilarii, Martini. Sed respondet Cardinalis Bona *Lib. II. rer. Liturg. cap.* XIV. distinguenda esse tempora. Missæ illæ editæ fuerunt tempore quo solis Apostolis, & Martyribus solemnis cultus exhibebatur. Reliqui qui in pace decesserant, nondum inter Sanctos habebantur.

XII. Quæst. III. *An offerri sacrificium pro defunctis in purgatorio detentis possit?* Resp. Affirmant omnes Catholici. Idque colligitur ex *II. Machab. cap.* XII. & ex perpetua Ecclesiæ traditione. Patrum testimonia brevitatis caussa omitto. Lege S. Thomam in *Suppl. III. Part. quæst.* LXXI. *art.* 9. *& seq.* item in *IV. dist.* XLV. *quæst.* II. *art.* 3. Satis sit nunc referre definitionem Tridentini Concilii *sess.* XXII. *cap.* II. ubi docet: *Sacrificium Missæ non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis rite iuxta Apostolorum traditionem offerri.* Rursus can. III. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis; aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

XIII. Antiquorum hic erat mos seu ritus in sacrificiis pro defunctis offerendis. Ipso obitus die, cadavere insepulto, sacrificium offerebatur; ut ex Tertulliano *Lib. de anima cap.* LI. colligitur. *Scio feminam quamdam vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integram functam; post unicum, & breve matrimonium, cum in pace obdormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis, manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque condita pace situi suo reddidisse.* Advertit Pamelius in notis ad Tertullianum, Presbyteri orationem sacrificium indicare. Eumdem ritum in exequiis Constantini Imperatoris narrat Eusebius *Lib. IV. vitæ Constant. cap.* LXX. Et S. Augustinus *Lib. IX. Confess. cap.* XII. matris suæ S. Monicæ exequias describens, ait: *Cum ecce elatum est corpus, imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, iam iuxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi.*

XIV. Tertio post obitum die frequenter sacrificium Missæ offerebatur. *Tertia dies* (inquit Albinus Flaccus Lib. de divin. offic.) *specialiter pro animæ absolutione celebratur.... Sacrificium tertia die peragitur.* S. Ambrosius *Lib. de fide resurrect.* narrat suffragia quæ suo tempore pro defunctis offerebantur. *Nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio Principe. Quia sicut S. Ioseph patri sui Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit; ita & hic Theodosio patri iusta persolvit. Et quia alii tertium, & trigesimum, alii septimum, & quadragesimum observare consueverunt, quid doceat lectio, consideremus.* Anniversaria celebrari pro defunctis, narrat Tertullianus *Lib. de coron. milit. cap.* III. inquiens: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.*

XV. Magis ne prodest defunctis Missa de Requie, an Missa alicuius Sancti? Respondet S. Thomas in *Supplem. quæst.* LXXI. *art.* 9. *ad* 6. his verbis: *Ex parte sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; & hoc est præcipuum quod fit in Missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem vel eius qui dicit Missam, vel eius qui iubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.*

XVI. Docet quoque S. Thomas *loc. cit. art.* 12. sacrificium Missæ magis prodesse illi pro quo applicatur quam aliis. Ergo, inquies, melioris conditionis sunt divites, pro quibus multæ Missæ celebrantur, quam pauperes, pro quibus tot Missæ non celebrantur. Respondet ibidem *ad* 3. Angelicus, ad hoc quod attinet, melioris conditionis divites esse. Verum pauperes melioris conditionis sunt quantum ad regnum cælorum. Divites enim sunt deterioris conditionis: quia in periculo maiori damnationis versantur. Vide plura ibi.

XVII. Maioris suffragii esse defunctis Missam solemnem quam Missam privatam, docent omnes. In Missa enim solemni resonat harmonicus cantus, multiplicantur ministrorum actus religiosi, excitatur in adstantibus maior devotio, dummodo & cantus sit religiosus, & ministri gravitate, modestia, & diligentia sua impleant munia. Hinc obligationi celebrandi Missam solemnem pro defunctis satisfieri nequit celebratione Missæ privatæ.

CAPUT V.

De ministro sacrificii Missæ.

I. DE ministro Eucharistiæ supra actum est. In præsens de ministro sacrificii Missæ sermo mihi erit. Multa adversus novatores dicenda occurrerent; at pauca tantum delibabo. Montanistæ, seu *Pepuziani* duabus mulierculis Priscillæ, & Quintillæ sacerdotii dignitatem contulere, ut narrat S. Augustinus *Lib. de hær. cap.* XXVII. Hoc eodem honore feminas donarunt Marcitæ, & Collyridiani. Valdenses Sacerdotium peccato mortali aboleri effutiere; omnesque pios laicos Sacerdotes constituebant. Lutherus *Lib. de captiv. Babyl.* non modo piis, sed etiam impiis laicis sacrificandi facultatem adscripsit.

II. Catholica veritas est, solos Sacerdotes esse Eucharistiæ consecrandæ ministros; ut definivit Tridentinum Concilium *sess.* VII. *can.* X. his verbis: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.* Rursus sess. XXII. can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis*, Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum; anathema sit.* Hæc doctrina ex ipsis Scripturis sanctis hausta est. Luculenter enim S. Paulus *Rom.* XIII. & *I. Cor.* XII. & *Ephes.* IV. diversa Ecclesiæ officia exponit, & non omnes Apostolos, non omnes Prophetas, non omnes Doctores esse testatur; monetque neminem sibi honorem sumere debere, nisi sit, tamquam Aaron, vocatus. In ipsa veteri lege non omnes circumcisi fungi sacerdotio poterant; sed solum qui ex tribu Levi de familia Aaronica delecti erant. Ergo potiori iure non omnes baptizati apti sunt ministri ad offerendum sacrificium incruentum corporis, & sanguinis Domini. Prætereo testimonia Concilii Nicæni I. Lateranensis IV, & omnium Patrum, cum res sit compertissima.

III. Obiiciunt novatores. S. Petrus *Ep.* I. *cap.* II. omnes Christianos vocat *genus electum, regale Sacerdotium*. Item *Apoc.* V. dicitur: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*. Sacerdotes minus proprie Christiani vocantur, quatenus omnes spirituales hostias precum, eleemosynarum, aliorumque sanctitatis operum offerre Deo valent. Omnes quoque Christiani Sacerdotes nuncupantur, quia omnes simul cum Sacerdote coniuncti Deo offerunt sacrificium. Præterea ex omnibus indiscriminatim Christianis ordinari Sacerdotes possunt; cum in lege Mosaica ex sola tribu Levi, & familia Aaronica assumerentur.

IV. Ut multa in pauca contraham, Christus Dominus, ut æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, est primarius offerens. Sacerdotes offerunt ut ministri & vicarii ipsius Christi. Offerunt quidem ut veri Sacerdotes ad hoc ministerium ordinati, sed ministerialiter. Populus fidelis offert desiderio, voluntate, & ipirituali coniunctione cum Sacerdote offerente. Sacerdos in hoc sacrificio offert in persona Christi, cuius personam repræsentat, quemadmodum Legatus sustinet Principis personam; ut optime explicat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXXII. *art.* 7. *ad* 3. inquiens: *Sacerdos in Missa, in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiæ, in cuius unitate consistit; sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem.* Quamobrem ibidem *art.* I. demonstrat, solos Sacerdotes, sacro ordine insignitos, potestate consecrandi præditos esse: *Quia*, inquit, *quicumque aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum; ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino Luc.* XXII. *Hoc facite in meam commemorationem.*

V. Fideles itaque qui sunt in Ecclesia, suo modo offerunt sacrificium, ut dictum est. Immo in ipsa veteri lege populus fidelis offerebat sacrificia, ut *Exodi* V. habetur. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Sacrificant autem fideles Deo per Sacerdotem, qui in ipsa Missa ait: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat.* Sacrificium est publicus & solemnis cultus universi populi, qui per Sacerdotem Christi ministrum Deo offert victimam immaculatam. In veteri testamento duplici modo populus offerebat. Primo quia materiam sacrificii, oves, capras, vitulos, turtures &c. subministrabat. Secundo quia Sacerdos nomine illorum qui materiam exhibebant, offerebat, ut illis prodesset. Christiani tribus modis Deo offerunt. I. Quia sunt membra Ecclesiæ. Tota autem Ecclesia includit Sacerdotem offerentem: & ideo dicitur offerens per membrum suum, tamquam per ministrum ad id deputatum. II. Speciali ratione, quatenus cooperantur Sacerdoti sacrificanti, aut præbendo eleemosynam, aut inserviendo altari. III. Quia interiori caritatis affectu coniungunt se Sacerdoti sacrificanti, sacrificio consentiunt, & eiusdem sacrificii participes fiunt.

VI. Quæst. I. *An plures Sacerdotes possint eamdem hostiam consecrare?* Resp. Adfirmat S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXXII. *art.* 2. ubi refert plurium Ecclesiarum consuetudinem, qua Sacerdotes simul cum Episcopo ordinante celebrant. Nec sequitur, superfluum esse fieri per plures quod præstari per unum potest. Hoc enim verum habet in illis qui virtute propria operantur. *Sed quia* (inquit Angelicus ad 2.) *Sacerdos non consecrat nisi in persona Christi; multi autem sunt unum in Christo: ideo non refert, utrum per unum, aut multos hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ servari.* Ritus igitur Ecclesiæ æmulandus, servandusque est. Ritus autem Ecclesiæ Romanæ est, ut non consecretur nisi per unum, excepto ordinationis Presbyteri, aut consecrationis Episcopi tempore. Quando Presbyteri ordinantur, simul cum Episcopo celebrant; &, si eodem instanti simul proferant verba consecratoria, simul consecrant. Dum Presbyter inauguratur Episcopus, cum Episcopo consecrante profert verba consecratoria, & percipit partem hostiæ consecratæ, & simul guttas sanguinis ab Episcopo consecratore sibi porrectas, e calice haurit. Apud Græcos, dum solus Episcopus celebrat, quia sæpe unicum templum est, in quo unica celebratur Missa, omnes circumstantes Sacerdotes cum eodem totam legunt Liturgiam seu Missam, & communionem sub utraque specie ab ipso percipiunt. Cuius consuetudinis originem a tempore Concilii Nicæni I. repetunt.

VII. Quæst. II. *An scelesti Sacerdotes valide consecrent?* Resp. Sacerdotes peccato mortali inquinatos, valide consecrare, docent Catholici omnes. Quam veritatem definivit Concilium Constantiense *sess.* VII. *cap.* XV. contra Valdenses, Wicleffistas, & Ussitas. Rationem assignat S. Thomas *loc. cit. art.* 5. Quoniam *Sacerdos*, inquit, *consecrat hoc sacramentum, non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus. Habet enim Dominus bonos, & malos ministros, seu servos.* Quam sacrilege autem Sacerdotes mali sua abutantur potestate, vix explicari verbis potest. Neque hic locus est tantam sacrilegii enormitatem, & divinæ potestatis abusum declarandi.

VIII. Quæst. III. *An Sacerdotes hæretici, schismatici, suspensi, excommunicati, degradati valide sacrificium perficiant?* Resp. Adfirmative respondet S. Thomas *III. Part. quæst.* LXXXII. *art.* 7. *ad* 3. cui subscribunt ceteri Theologi. Siquidem licet exercitium ordinis suspendi a legitimo superiore possit; potestas tamen ordinis deleri nequit. *Si Sacerdos*, inquit Angelicus, *ab unitate Ecclesiæ præcisus, Missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus, & sanguinem Christi; sed quia est ab unitate Ecclesiæ separatus, orationes eius efficaciam non habent.* Illius sacrificium efficax est ex opere operato; prorsus vero inefficax est ex opere operantis. De Sacerdote degradato loquitur ibidem S. Doctor *art.* 8. & evincit, illum valide consecrare: quia character sacerdotalis indelebilis est. Nec est quod opponas, Episcopum, qui confert potestatem consecrandi, posse illam auferre. Respondet enim Angelicus ad 2. quod *Episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei; cuius effectus per hominem tolli non potest.* Insistis. Nullum ergo discrimen erit inter degradatum, & excommunicatum? Consequentiam negat ibidem *ad* 3. S. Thomas: quia *excommunicatis non aufertur executio sacerdotalis potestatis, quasi in perpetuum, sed ad correctionem usque ad tempus; degradatis autem aufertur executio, quasi in perpetuum condemnatis.* Excommunicatio est medicinalis: degradatio est pœna condemnatoria, & perpetua.

IX. Quæst. IV. *Licet ne communionem petere ab hæreticis, excommunicatis, schismaticis?* Resp. S. Thomas *loc. cit. art.* 9. respondet. *Sacerdotes, si sint hæretici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quantumvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea recte utuntur; sed peccant utentes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur.* Lege eumdem S. Thomam *quodlib.* XII. *art.* 8.

X. Quæst. V. *An liceat Sacerdoti celebrare Missam privatam?* Resp. Privatæ Missæ vario in sensu nuncupantur. I. Ratione loci in quo celebrantur. II. Ratione finis, cum pro aliquo particulari sive negotio, sive persona celebrantur. III. Ob paucitatem illorum qui assistunt. IV. Ratione temporis: sic dicuntur publicæ quæ festis diebus, & privatæ quæ profestis celebrantur. V. Publica Missa dici solet conventualis, seu parochialis, quæ ad-

adstante populo, & solemniori ritu cantatur; privata e contrario quam Sacerdos pro arbitrio celebrat, sive multi, sive pauci sint adstantes. VI. Privata denique Missa dicitur, in qua solus Sacerdos communicat. Contra hanc Missam privatam, postremo in sensu acceptam, blasphemias suas de more eructarunt novatores septentrionales.

XI. Omnes Catholici licitas propugnant Missas privatas, in quibus soli communicant Sacerdotes: idque definivit Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* 6. his verbis. *Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

XII. Ineptit de more Kemnitius, etiam Concionatorem esse ministrum publicum, sicuti & qui baptizat: & tamen nec ille concionari sine auditore, nec is baptizare sine baptizando potest. Nugæ anicula indignæ hæ sunt. Sacrificium enim Deo offertur. Concio ad auditores, baptismus ad baptizandum directa sunt. Hæ sunt catapultæ Lutheranæ.

CAPUT VI.

De eleemosyna pro Missis celebrandis collata.

I. SApientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans, tum in suis *Notif.* seu *Instit.* tum in *tract. de Sacrif. Missæ*, & tandem in suo celebratissimo opere *de Synodo &c.* hoc de Missarum eleemosyna, seu stipendio argumentum more suo plena in luce posuit, & exhausit. Ex his ego operibus, quæ huc pertinent, excerpam.

II. Et principio advertit Pontifex summus *de Synod. Lib. V. cap.* VIII. morem antiquitus in Ecclesia obtinuisse, ut fideles accedentes ad Missam, singuli panem & vinum consecranda offerrent. S. Cyprianus *Lib. de oper. & eleemos.* feminam divitem increpat, quod nihil offerens, de aliena oblatione participare auderet. *Locuples, & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis?* Obsolescentem consuetudinem instaurare curavit Concilium Matisconense II. an. 585. can. IV. *Residentibus nobis in sancto Concilio, cognovimus quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris altaribus nullam admovet hostiam. Propterea decernimus ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini, ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris iuste offerentibus promereantur esse consortes. Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur.* Quilibet pro sua facultate offerebat plures panes, & vini amphoram, ex quibus congrua pro sacrificio consecranda decerpebatur; & reliqua in usum cedebant Sacerdotum, & Clericorum. Præter panem & vinum, quæ sacrificio inserviebant, alia offerri vetitum erat. Permissum postea fuit offerri incensum, oleum, spicas, & uvas. Ceteri fructus, non ad altare, sed ad Episcopum deferebantur. Die Paschatis, quo baptisma celebrabatur, lac, & mel offerebantur, quæ egressis a sacro fonte præberi solitum erat; ut Cardinalis Bona *rer. liturg. Lib. I. cap.* XVI. narrat. Martene de *antiq. Eccl. rit. Tom. I. Lib. IV. cap.* IV. *art.* 6. observat posteriori ætate licitum fuisse ad altare offerre quidquid in Sacerdotum commodum cederet, sive ante, sive post Evangelium, offertorii tempore.

III. Quo tempore cœperit usus oblationis pecuniæ, ignoratur. Narrat Baronius ad an. 44. primis Ecclesiæ sæculis in singulis Christianorum Ecclesiis arcam fuisse expositam, quam ipse *Gazophylacium* appellat, in quam pecunias fideles mittebant. Pecuniæ istæ in usum ministrorum, pauperum, & viduarum cedebant. Successu temporis pecunias ad altare offerri cœptum fuit. Honorius Augustodunensis, Scriptor XII. sæculi, in Gemma animæ *Lib. I. cap.* LVIII. consuetudinis offerendæ ad altare pecuniæ meminit. *Postquam autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur propter carnales, statutum est ut qui possent, singulis dominicis vel tertia dominica, vel summis festivitatibus, vel ter in anno communicarent, ne ante confessionem, & pœnitentiam pro aliquo crimine, iudicium sibi sumerent: & quia, populo non communicante, non erat necesse tam magnum panem fieri, statutum est eum in modum denarii formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret.* Circa hoc tempus obsolevit consuetudo, qua fideles sacrificio assistentes participabant sacra mysteria: & inde, inquit Honorius, consecuta est morum dissolutio.

IV. Pecunia olim oblata non applicabatur alicui Sacerdoti, ut Missam privatim celebraret, quæ uni offerenti prodesset; ut animadvertit Thomassinus *Lib. I. part.* III. *cap.* VII. *de veter. & nov. Eccl. discipl.* Mos offerendæ stipis, ut Sacerdos celebraret ad mentem largitoris, iuxta Mabillonium in *præfat. ad Part. I. sæculi* III. *Benedict. num.* 63. cœpit alicubi circiter sæculum VIII. neque passim ubique obtinuit ante sæculum XII. Alii antiquius obtinuisse contendunt. Valafridus Strabo, Scriptor sæculi IX. *Lib. de reb. Eccl. cap.* XXII. hunc morem improbare visus est, existimans, sacrificium non plus prodesse illi pro quo offerebatur, quam ceteris fidelibus. Wicleffistæ aperte eleemosynam datam Sacerdoti pro Missæ celebratione, simoniæ arguebant. Hunc errorem Theologi catholici omnes improbant, & damnant: quia, inquit S. Thomas 2. 2. quæst. c. art. 2. ad 2. *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Et rursus in *IV. dist.* XXV. *quæst.* III. *art.* 2. *quæstiuncul.* 1. *ad* 4. subdit: *Facere pactionem de Missa celebranda est simonia ... Si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut cuncti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentationem vitæ.*

V. Simul atque obtinuit consuetudo dandæ eleemosynæ Sacerdotibus pro applicandis sacrificiis in subsidium offerentium, sordida avaritia Sacerdotum erupit. Quoniam, cum nondum vetitum esset plures Missas eodem die celebrare, sæpius in diem sacra faciebant, ut plures captarent eleemosynas. Heinc Innocentius III. cap. *Consuluisti*, de celebr. Missar. & Honorius III. cap. *Te referente*, eodem tit. severe prohibuerunt iterare eodem die sacrificium, excepta solemnitate Nativitatis Domini. Cui prohibitioni alia successit nequitia: tot quippe hostias in eadem Missa consecrabant, quot illi fuerant qui eleemosynas obtulerant. Alii Missam illius diei legebant usque ad offertorium: post secundam, tertiam, & quartam incipiebant, & continuabant usque ad eumdem locum; deinde tot secretas iterabant, quot liturgias legerunt: & tandem sub uno canone Missam perficiebant, totidem recitatis in fine collectis quot initio recitaverant. Has Missas *bifaciatas*, & *trifaciatas* appellabant, quasi duplicem, aut triplicem haberent faciem. Hæc Missarum monstra recenset Petrus Cantor in opere inscripto, *Verbum abbreviatum cap.* XXIX. & Cardinalis Bona *Lib. I. cap.* XV.

VI. His corruptelis eliminatis, non idcirco, pergit Pontifex sanctissimus, improba Sacerdotum cupiditas evulsa radicitus est. Quamobrem Cardinalis Robertus Pullus medio sæculo XII. *Sum. Theolog. Part. VII. cap.* XVII. hoc pacto invectus est in Sacerdotes nolentes sine stipendio celebrare. *Quid est Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Iuda Christum vendere, tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus?* Ut tam sordidæ avaritiæ radicem penitus evelleret Concilium Toletanum ann. 1324. hæc statuit. *Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui Presbyteri, detestanda & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc, ac si vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur .... Verum, cum dictum sacramentum, super omnia pretiosum, sit liberaliter, sicut cetera sacramenta, celebrandum; districtius prohibemus ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari, oblatum sibi caritative fuerit absque pacto, & conventione.*

VII. Tandem Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *in decret. de observand. & vitand. in celeb. Miss.* ut hoc profanum Sacerdotum mercimonium penitus, quoad fieri potest, de medio tolleret, iniunxit Episcopis, *ut cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.*

VIII. Hactenus pauca hæc delibavi, non eruditionis tantum gratia, sed ut heinc lectores colligant, quam immanem tyrannidem semper in hominum corda avaritia exercuerit. Non contenta dominari in foro, in nundinis, in mercatura, in officinis, sibique in mancipia submittere mercatores, & divitiarum possessores, ipsum etiam Sanctuarium quolibet tempore obsidere tentavit. Verum illinc eamdem arcere, & in exilium agere numquam vigilantissimi Ecclesiæ Episcopi, san-

sanctique viri cessarunt. Ut istorum illa deluderet vigilantiam, varias induit larvas, & sub una forma profligata, sub alio apparere aspectu adnixa est. Ex his quæ perstrinxi, vidimus varias illius artes, & insidias, quas adhibuit usque ad Tridentinum Concilium. Mox videbimus quas his postremis temporibus technas excogitavit, ut Sacerdotes inficeret. Quod ut præstem, decreta summorum Pontificum, quæ de Missarum celebratione ediderunt, huc transcribere operæ pretium existimavi.

§. I.

CONFIRMATIO DECRETORUM

Congregationis S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, super celebratione Missarum, etiam cum declarationibus, & innovatione decretorum, ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. desuper alias factorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ NUper a Congregatione venerabilium
„ Fratrum nostrorum S. R. E. Car-
„ dinalium, Concilii Tridentini Interpre-
„ tum, prodierunt decreta tenoris infrascri-
„ pti, videlicet.

„ Alias super celebratione Missarum, ac
„ prohibitione illas moderandi, seu reducen-
„ di absque Sedis Apostolicæ licentia, nec
„ non super earumdem oneribus perpetuis
„ suscipiendis, & Religiosorum numero ul-
„ tra reditus, & consuetas eleemosynas lo-
„ corum Regularium non habendo, emana-
„ runt ab hac sacra Congregatione S. R. E.
„ Cardinalium, Concilii Tridentini Inter-
„ pretum, auctoritate per fel. record. Ur-
„ banum Papam VIII. illi specialiter attri-
„ buta, quamplura decreta tenoris sequentis.

„ Cum sæpe contingat in quibusdam Ec-
„ clesiis tam magnum Missarum celebran-
„ darum numerum, ex variis defunctorum
„ relictis, aut piorum eleemosynis impositum
„ esse, ut illis pro singulis diebus præscri-
„ ptis, nequeat satisfieri, & tamen nova
„ onera Missarum in dies suscipiantur; in-
„ deque fiat ut depereant piæ testantium vo-
„ luntates, obstricta benefactoribus fides vio-
„ letur, defunctorum animæ suffragiis pri-
„ ventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cul-
„ tus, ac Christi fideles, gravi scandalo
„ affecti, plerumque a similibus caritatis o-
„ peribus retrahantur: cumque his malis
„ maximum inter cetera fomentum præ-
„ beat, aut quod ii qui Missas super vires
„ celebrandas suscipiunt, sperent illas bre-
„ vi ad pauciorem numerum a superioribus
„ reductum iri; aut quod Ecclesiis, sorte
„ pecuniarum absumpta, plerumque nuda re-
„ maneant onera Missarum, absque ullo e-
„ molumento; aut quod eleemosyna pro il-
„ lis celebrandis sit adeo tenuis, ut non fa-
„ cile inveniantur qui velint huic se mu ne-
„ ri subiicere, & reditus Ecclesiæ, aut Mo-
„ nasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro ne-
„ cessaria sua sustentatione novis se oneri-
„ bus obstringere compellatur: sacra Con-
„ gregatio Cardinalium, Concilii Tridentini
„ Interpretum, animadvertens, facturam
„ se rem Deo gratissimam, caritatique, ac
„ iustitiæ maxime consentaneam, si pro
„ viribus satagat, hunc teterrimum abusum
„ e christiana Republica convellere, atque
„ eradicare, SS. D. N. Urbani divina pro-
„ videntia Papæ VIII. auctoritate sibi spe-
„ cialiter attributa, infrascripta decreta edi-
„ dit.

„ Ac primo districte prohibet atque in-
„ terdicit ne Episcopi in diœcesana Synodo,
„ aut Generales in capitulis generalibus, vel
„ alias quoquo modo reducant onera ulla
„ Missarum celebrandarum, aut post idem
„ Concilium imposita, aut in limine funda-
„ tionis, sed pro his omnibus reducendis,
„ aut moderandis, vel commutandis ad Apo-
„ stolicam Sedem recurratur, quæ, re di-
„ ligenter perspecta, id statuet quod magis
„ in Domino expedire arbitrabitur: alioquin
„ reductiones, moderationes, & commuta-
„ tiones huiusmodi, si quas contra huius
„ prohibitionis formam fieri contigerit, o-
„ mnino nullas, atque inanes decernit.

„ Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam
„ eiusdem qualitatis, celebrandis stipendia,
„ quantumcumque incongrua, & exigua, si-
„ ve ab una, sive a pluribus personis, col-
„ lata fuerunt, aut conferentur in futurum
„ Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Colle-
„ giis, Hospitalibus, Societatibus, Monaste-
„ riis, Conventibus, Congregationibus, do-
„ mibus, ac locis piis quibuscumque tam
„ sæcularibus, quam regularibus, sacra Con-
„ gregatio sub ostentatione divini iudicii
„ mandat, ac præcipit ut absolute tot Mis-
„ sæ

„ sæ celebrentur, quot ad rationem attri-
„ butæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita
„ ut alioquin ii ad quos pertinent, suæ
„ obligationi non satisfaciant: quinimmo gra-
„ viter peccent, & ad restitutionem tenean-
„ tur.

„ Id vero ut deinceps observetur exactius,
„ sacra Congregatio eadem auctoritate revo-
„ cat privilegia, & indulta omnia quibusvis
„ personis, Ecclesiis, ac locis piis tam sæ-
„ cularibus, quam regularibus, cuiuscum-
„ que Ordinis, Congregationis, & Institu-
„ ti, quamcumque ob causam concessa, qui-
„ bus indulgetur, ut certarum Missarum,
„ vel Anniversariorum celebratione, aut ali-
„ quibus collectis, seu orationibus, plurium
„ Missarum oneribus in futurum suscipiendis
„ satisfiat.

„ Ac similiter omne damnabile lucrum ab
„ Ecclesia removere volens, prohibet Sa-
„ cerdoti qui Missam suscepit celebrandam
„ cum certa eleemosyna, ne eamdem Mis-
„ sam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi
„ retenta, celebrandam committat.

„ Præterea, ne in Ecclesiis in quibus one-
„ ra Missarum in perpetuum imposita sunt,
„ Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis
„ eo tepidiores ac segniores reddantur, quod
„ onera huiusmodi cum nulla, aut parva
„ sint utilitate coniuncta; statuit, atque
„ decernit ut pecuniæ, ac bona mobilia Ec-
„ clesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus,
„ Societatibus, Congregationibus, Monaste-
„ riis, Conventibus, ac locis omnibus tam
„ sæcularibus, quam regularibus, atque il-
„ lorum personis in futurum simpliciter ac-
„ quirenda, cum onere perpetuo Missarum
„ celebrandarum ab iis ad quos pertinet, sub
„ pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso
„ facto incurrenda, a die realis acquisitio-
„ nis, statim deponi debeant penes ædem
„ sacram, vel personam fide, & facultati-
„ bus idoneam, ad effectum illa, seu illo-
„ rum pretium, quamprimum investiendi in
„ bonis immobilibus fructiferis, cum ex-
„ pressa, & individua mentione oneris quod
„ illis annexum reperitur.

„ Ac si eadem bona immobilia auctorita-
„ te apostolica deinceps alienari contigerit,
„ eoumdem pretium, sub eadem pœna, ut
„ supra, deponi, atque in aliis bonis stabili-
„ bus itidem fructiferis, cum eiusdem oneris
„ repetitione, atque annexione converti de-
„ beat.

„ Ad hæc, sacra Congregatio quibusvis Ca-
„ pitulis, Collegiis, Societatibus, & Con-
„ gregationibus, nec non omnibus, & sin-
„ gulis Ecclesiarum, & piorum locorum tam
„ sæcularium, quam regularium Superioribus,
„ vel aliis ad quos pertinet, districte prohi-
„ bet ne imposterum onera perpetua fusci-
„ piant Missarum celebrandarum, sæculares
„ quidem sine Episcopi, vel eius generalis
„ Vicarii, Regulares vero sine Generalis,
„ vel Provincialis consensu, & licentia, in
„ scriptis, & gratis concedenda; alioquin
„ sæcularis, qui huius prohibitionis trans-
„ gressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ in-
„ terdictus sit eo ipso: Regularis vero pœ-
„ nam privationis omnium officiorum quæ
„ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis
„ ad alia de cetero obtinenda, vocisque a-
„ ctivæ, ac passivæ, absque alia declara-
„ tione, incurrat.

„ Eleemosynas vero manuales, & quoti-
„ dianas pro Missis celebrandis ita demum
„ iidem accipere possint, si oneribus antea
„ impositis ita satisfecerint, ut nova quoque
„ onera suscipere valeant; alioquin omnino
„ abstineant ab huiusmodi eleemosynis, et-
„ iam sponte oblatis, in futurum recipien-
„ dis, & capsulas auferant ab Ecclesiis
„ cum inscriptione illa, *Eleemosyna pro Missis*,
„ vel alia simili, sub iisdem pœnis, ipso fa-
„ cto incurrendis, ne fideles hac ratione fru-
„ strentur.

„ Episcopus vero, seu eius Vicarius, aut
„ Generalis, vel Provincialis, ubi de licen-
„ tia pro perpetuis oneribus fuerint requisi-
„ ti, in singulis casibus diligenter inquirant de
„ singulis Missarum celebrandarum obligatio-
„ nibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut
„ loco pio incumbentibus, nec antea assensum
„ huiusmodi, aut licentiam præbeant, quam
„ eis legitime constiterit, illius Sacerdotes
„ tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis
„ iam susceptis satisfacere posse; præcipuam-
„ que rationem habeant, ut reditus qui Ec-
„ clesiis, & locis piis relinquuntur, omnino
„ respondeant oneribus adiunctis, secundum
„ morem cuiusque civitatis, vel provinciæ;
„ intelligantque, si in re tanti momenti de-
„ sides, aut negligentes fuerint, in novissi-
„ mo die se huius prætermissi muneris ra-
„ tione esse reddituros.

„ Postremo Illustrissimi Patres non sine
„ gravi animi dolore intelligentes, mala
„ fere omnia, quæ regularem disciplinam
„ evertunt, ac præcipue nimiam hanc faci-
„ litatem fovent, in oneribus Missarum su-
„ pra vires suscipiendis, veluti ex infecta
„ radice, pullulare ex maiori Regularium
„ numero, quam ferant reditus, & eleemo-
„ synæ cuiusque Monasterii, inhærentes sum-
„ mo-

„ morum Pontificum, ac sacri Tridentini „ Concilii decretis hac de re editis, sanctissimi Domini nostri auctoritate præcipiunt, „ ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & „ quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, „ vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium, intra fines Italiæ, & Insularum „ adiacentium, ut singuli ad quos pertinet „ in qualibet provincia, adhibitis duobus, „ aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel „ Congregationis probatioribus, & rerum usu „ peritioribus, bona immobilia, census, reditus, & proventus omnes, consuetas item „ eleemosynas, & obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum eiusdem provinciæ, quam etiam „ singularibus personis religiosis assignatas, „ seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter, & mature recognoscant, iis omnibus detractis quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere.

„ Eaque omnia scripto fideliter exarata „ idem Superior, cuius interest, in primo „ Capitulo, seu Congregatione generali, vel „ provinciali, coram tribus iudicibus, ab „ ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiusmodi reditibus, eleemosynis, & obventionibus „ universis, & oneribus, ut supra, detractis, sedulo examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque „ necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo regulari, „ iuxta regionis, & proprii instituti morem, „ victum & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ, Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque provincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum „ capitularium voto, præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut „ superius, sufficienter ali possint.

„ Ne vero Superiores, qui id præstare debent, segnius, aut remissius quam par est, „ suo muneri satisfaciant, mandat sacra „ Congregatio ut infra annum, post proximum Capitulum generale, vel provincia„ le computandum, omnia hoc de genere „ capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

„ Numerumque familiæ, singulorumque „ Conventuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi Regularium, Capituli, seu „ Congregationis generalis, vel provincialis „ sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum „ quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redituum, absque sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo „ termino non præstiterint, vel numerum, „ ut supra, præscriptum quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum quæ tunc temporis obtinebunt, „ vocisque activæ, & passivæ, & ad omnia „ suæ Religionis officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, „ atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis pœnis, sacra Congregatio subiacere voluit, & declaravit.

„ Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas „ Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, „ in singulis huiusmodi locis duodecim saltem „ Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, „ & ex reditibus, & consuetis eleemosynis, „ detractis omnibus, ut supra, detrahendis, „ competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Gregorii XV. hac de „ re editi: alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non „ inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, „ correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni „ subiecta esse intelligantur.

„ Porro, ne ullo unquam tempore hæc in „ oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ „ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, „ sexto quoquo mense, idest feria secunda „ post primam dominicam Adventus, & „ feria sexta post octavam Corporis Christi, „ præ-

„ præsentes ordinationes in publica mensa „ perlegantur.

„ Omnibus tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis, quocumque honore & „ potestate præditis, præsentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

„ Non obstantibus, quod suprascripta omnia & singula, in præsentibus decretis „ contenta, constitutionibus, & ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac „ cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessario & individuo exprimendi, Ecclesiarum, „ Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque „ tam sæcularium, quam regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, „ confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis & litteris apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, „ nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de „ apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias „ quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de „ illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis & individua, ac de verbo „ ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio „ habenda, aut aliqua alia exquisita forma „ servanda esset, tenores huiusmodi, ac si „ de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, „ & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, sacra Congregatio Sanctitatis suæ „ auctoritate specialiter, & expresse derogat, „ ceterisque contrariis quibuscumque.

„ Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem sacra „ Congregatio ut præsentes ordinationes in „ Valvis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac „ in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes ad quos pertinet, ita arctent, „ & afficiant, ac si unicuique personaliter „ intimatæ fuissent.

„ Utque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ „ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur „ quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die „ 21. Iunii 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Excitatis autem super præmissorum decretorum intelligentia, seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione, simili auctoritate illi & præfato Urbano Papa octavo specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferius apponendæ.

„ Super primo sacræ Congregationis decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur ne Episcopi in diœcesana Synodo, „ aut Generales in Capitulis generalibus, „ vel alias quoquo modo, reducant onera „ ulla Missarum celebrandarum, aut post „ idem Concilium imposita, aut in limine „ fundationis,

„ Quæritur, quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire; & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum „ sit pro expensis ad id necessariis?

„ Et quid, si permittatur Episcopo in „ fundatione, ut possit huiusmodi onera moderari?

„ Secundo, super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cavetur ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ „ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

„ Quæritur, an verba illa, *præscriptæ fuerint*, intelligenda sint de præscriptione „ facta ab offerente, vel ab Ordinario?

„ Tertio, an, cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, „ Sacerdotes accipientes stipendium minus „ congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

„ Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur „ Missas celebrare ratione beneficii, seu „ capellæ, legati, aut salarii, possint etiam „ manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & uni-

co

„ co Missæ sacrificio utrique oneri satisfa-
„ cere?

„ Quinto, posito quod testator relinquat
„ ut celebrentur pro eius anima centum
„ Missæ absque ulla præscriptione eleemo-
„ synæ,

„ Quæritur, an liberum sit hæredibus, e-
„ leemosynam sibi bene visam præscribere,
„ an vero eadem eleemosyna præscribenda
„ sit ab Ordinario?

„ Sexto, super tertio Congregationis de-
„ creto; in quo eadem Congregatio revocat
„ privilegia quibus indulgetur ut certarum
„ Missarum, vel Anniversariorum celebra-
„ tione, aut aliquibus collectis, seu ora-
„ tionibus plurium Missarum oneribus futu-
„ rum suscipiendis satisfiat,

„ Quæritur, an verba *in futurum susci-*
„ *piendis* intelligenda sint de oneribus susci-
„ piendis post privilegium?

„ Septimo, super quarto eiusdem Congre-
„ gationis decreto, quo prohibetur Sacerdo-
„ ti qui suscepit Missam celebrandam cum
„ certa eleemosyna, ne eamdem Missam al-
„ teri, parte eiusdem eleemosynæ sibi reten-
„ ta, celebrandam committat,

„ Quæritur, an permittendum sit admini-
„ stratoribus Ecclesiarum, ut retineant ali-
„ quam eleemosynarum portionem pro ex-
„ pensis manutentionis Ecclesiæ, altarium,
„ inservientium, paramentorum, luminum,
„ vini, hostiæ, & similium?

„ Octavo, an hoc decretum habeat locum
„ in Beneficiis quæ conferuntur in titulum;
„ idest, an Rector Beneficii qui potest per
„ alium celebrare, teneatur Sacerdoti ce-
„ lebranti dare stipendium ad rationem re-
„ dituum Beneficii?

„ Decimo, an Sacerdotes, quibus ali-
„ quando offertur eleemosyna maior solita,
„ pro celebratione Missæ, debeant dare
„ eamdem integram eleemosynam iis quibus
„ Missas celebrandas committunt; an ve-
„ ro satis sit ut dent celebrantibus eleemo-
„ synam consuetam?

„ Undecimo, super quinto eiusdem Con-
„ gregationis decreto, quo inter cetera sta-
„ tuitur in hæc verba: *Eleemosynas vero*
„ *manuales, & quotidianas pro Missis cele-*
„ *brandis ita demum iidem accipere possint,*
„ *si oneribus antea impositis ita satisfecerint,*
„ *ut nova quoque onera obire valeant; alio-*
„ *quin omnino abstineant ab huiusmodi elee-*
„ *mosynis, etiam sponte oblatis, in futurum*
„ *recipiendis, & capsulas auferant* &c.

„ Quæritur, an hoc decretum prohibeat
„ absolute quo minus accipiant novas elee-
„ mosynas ii qui acceptis non satisfecerint,
„ & quid, si congruo tempore possint omni-
„ bus satisfacere?

„ Duodecimo, quid, si offerens eleemo-
„ synas, audito impedimento, consentiat,
„ ut Sacerdos Missam celebret, cum primum
„ poterit?

„ Decimotertio, an pœna interdicti, &
„ aliæ appositæ in eodem decreto, afficiant
„ tam eos qui accipiunt eleemosynas con-
„ tra formam ibi præscriptam, quam eos qui
„ non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut
„ ibidem præcipitur?

„ Decimoquarto, an in hoc decreto com-
„ prehendantur illæ capsulæ quæ apponi so-
„ lent in Ecclesiis in die commemorationis
„ omnium defunctorum, & vulgo dicuntur
„ *Casse de' morti?*

„ Decimoquinto, an administratores Ec-
„ clesiæ magnæ devotionis, & concursus,
„ possint eleemosynas pro Missis celebrandis
„ accipere, si iisdem Missis nonnisi post
„ longum tempus satisfacere valeant, ne
„ alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac con-
„ cursus Fidelium, ut aiunt, minuantur?

„ Decimosexto, quia prohibitio dicti de-
„ creti videtur aliquibus directa solis Capitu-
„ lis, Collegiis, Societatibus, Congregatio-
„ nibus, necnon omnibus, & singulis Eccle-
„ siarum, & piorum locorum tam sæcula-
„ rium, quam regularium Superioribus, de
„ quibus fit expressa mentio, non autem pri-
„ vatis Sacerdotibus, qui tamen compre-
„ hendi videntur sub clausula generali, *Et*
„ *aliis ad quos pertinet*: supplicatur pro op-
„ portuna declaratione.

„ Decimoseptimo, super septimo eiusdem
„ sacræ Congregationis decreto, quo cave-
„ tur ut in singulis Monasteriis Religioso-
„ rum præfigatur numerus, qui ex consue-
„ tis reditibus, aut eleemosynis commode
„ possit sustentari,

„ Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta
„ iam fuit in vim similis decreti sanct. mem.
„ Pauli V. absque tamen computatione redi-
„ tuum cuiusque Religiosi, sit denuo facien-
„ da, nec ne?

„ Decimooctavo, an Novitii, ad habi-
„ tum regularem admissi, possint admitti ad
„ professionem in Monasteriis in quibus ha-
„ bita, ut supra, præfixione numeri, com-
„ mode ali non possunt?

„ Decimonono, super ultimo, quo cave-
„ tur, ut nullibi recipiantur Conventus Re-
„ gularium, nisi præter alia ad id requisi-
„ ta, duodecim saltem Fratres in eis dege-
„ re, & competenter sustentari valeant, ita
„ ut

„ ut alioquin subsint iurisdictioni Ordina-
„ rii,

„ Quæritur, an hoc decretum, quod vi-
„ detur editum in ordine ad celebrationem
„ Missarum, comprehendat eas Religiones,
„ quæ non consueverunt onera Missarum re-
„ cipere, ut sunt Religiones Capuccinorum,
„ ac Societatis Iesu?

„ Ultimo, an idem decretum, ubi dispo-
„ nit ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi
„ &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad
„ quam est restrictum decretum proxime an-
„ tecedens, an vero etiam extra Italiam?

Declarationes; & responsiones ad supradicta dubia.

„ Sacra Congregatio Cardinalium, Con-
„ cilii Tridentini Interpretum, auctoritate
„ sibi a Sanctissimo Domino nostro attribu-
„ ta, ad singula dubia superius proposita,
„ ad hunc modum respondit, videlicet:

„ Ad primum; etsi legatum sit adeo te-
„ nue, nihilominus pro reductione oneris,
„ ut supra, impositi ab iis ad quos pertinet,
„ Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ
„ absque ulla impensa id statuet quod magis
„ in Domino e re esse iudicaverit. Verum-
„ tamen, si in ipsa Beneficii erectione ex-
„ presse cautum fuerit ut liceat Episcopo in-
„ iunctum onus reducere, ac moderari le-
„ gem hanc fundatoris, quam decreta hac
„ de re edita non sustulerunt, esse vali-
„ dam, & observandam.

„ Ad secundum, esse intelligenda de præ-
„ scriptione facta ab eo qui eleemosynam tri-
„ buit, non autem ab Ordinario. Quod si
„ tribuens eleemosynam, numerum Missa-
„ rum celebrandarum non præscripserit, tunc
„ tot Missas celebrari debere, quot præscri-
„ pserit Ordinarius, secundum morem civi-
„ tatis, vel provinciæ.

„ Ad tertium, teneri.

„ Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus
„ tenentur Missas celebrare ratione Benefi-
„ cii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si e-
„ leemosynas pro aliis etiam Missis celebran-
„ dis susceperint, non posse eadem Missa
„ utrique obligationi satisfacere.

„ Ad quintum, censuit, ubi nullam cer-
„ tam eleemosynam testator reliquit, esse
„ ab Episcopo præscribendam eleemosynam
„ congruam, quæ respondeat oneribus Mis-
„ sarum celebrandarum, secundum morem
„ civitatis, vel provinciæ.

„ Ad sextum, ita esse intelligenda.

„ Ad septimum respondit, permittendum
„ non esse ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu
„ illorum administratores, ex eleemosynis
„ Missarum celebrandarum ullam utcumque
„ minimam portionem retineant, ratione ex-
„ pensarum quas subeunt in Missarum cele-
„ bratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios
„ non habent reditus, quos in usum earum-
„ dem expensarum erogare licite possint; &
„ tunc, quam portionem retinebunt, nulla-
„ tenus debere excedere valorem expensarum
„ quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio
„ necessario sunt subeundæ; & nihilominus
„ eo etiam casu curandum esse ut ex pecu-
„ niis quæ supersunt, expensis, ut supra,
„ deductis, absolute tot Missæ celebrentur,
„ quot præscriptæ fuerint ab offerentibus elee-
„ mosynas.

„ Ad octavum, non habere locum, sed sa-
„ tis esse ut Rector Beneficii, qui potest Mis-
„ sam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti
„ celebranti eleemosynam congruam, secun-
„ dum morem civitatis, vel provinciæ, nisi
„ in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum
„ fuerit.

„ Ad decimum, debere absolute integram
„ eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti,
„ nec ullam illius partem sibi retinere posse.

„ Ad undecimum respondit, non prohibere
„ absolute; ac propterea, etsi oneribus iam
„ susceptis non satisfecerint, posse tamen no-
„ va etiam onera suscipere Missarum cele-
„ brandarum, dummodo infra modicum tem-
„ pus possint omnibus satisfacere.

„ Ad duodecimum, quamvis onera suscepta
„ infra modicum tempus adimpleri nequeant,
„ si tamem tribuens eleemosynam pro aliarum
„ Missarum celebratione id sciat, & consen-
„ tiat ut illæ tunc demum celebrentur, cum
„ susceptis oneribus satisfactum fuerit, decre-
„ tum non prohibere quominus eo casu elee-
„ mosyna accipiatur pro iisdem Missis, iuxta
„ benefactoris consensum celebrandis.

„ Ad decimumtertium, has pœnas non ha-
„ bere locum, nisi in suscepturis onera per-
„ petua Missarum celebrandarum, sine licen-
„ tia Episcopi, vel eius generalis Vicarii, aut
„ Generalis, vel Provincialis.

„ Ad decimumquartum, comprehendi.

„ Ad decimumquintum, non posse, nisi de
„ consensu eorum qui eleemosynas tribuunt,
„ ut supra in responsione ad duodecimum.

„ Ad decimumsextum, comprehendi etiam
„ privatos Sacerdotes.

„ Ad decimumseptimum, numeri præfixio-
„ nem esse iterum faciendam, servata forma
„ ultimi decreti hac de re editi.

„ Ad decimumoctavum, esse admittend.
„ ad

„ ad professionem, si alias habiles existant; „ ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

„ Ad decimumnonum, censuit comprehendere.

„ Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Sec.

„ Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelæ, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, huiusmodi detestabiles abusus e christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ disponentium, seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra & prompta præstentur suffragia, itidemque Deo maior gloria, & Ecclesiis præstantior cultus reddatur; prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium divina providentia PP. XII, ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem suam deputata, & postea in generali huiusmodi Cardinalium Congregatione mature, & accurate discussa, recognita, & examinata edidit.

„ In primis, præinserta decreta, cum præmissis illorum declarationibus, plenissime, & amplissime approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & singula ibidem contenta, & expressa, iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, & singulis, etiam speciali, & individuali nota, seu expressione dignis, penitus observari, & omnimode executioni demandari decernit, sancit, & præcipit.

„ Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur; si qui forsan fuerint, vel sint qui suis pravis & erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili caussa, seu æqua miseratione: compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus, & privilegiis, nonnisi ex caussa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & præsertim cum illa, *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, & solere. Quapropter, ut locus omnis imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte, versiones in alium, quam præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, iniustas, illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

„ Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes; & singuli Rectores, Superiores, & Ministri quarumcumque tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, & temporalium, litteris perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel interpositas personas quoquo modo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, & ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, se propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

„ Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia; in altero autem Missas manuales, & tam illorum, quam istarum adimplementum, & eleemosynas distincte, & diligenter annotare, & annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes & singulas rationes hu-

„ ius-

„ iusmodi in præfatis respective libris simili distinctione, & diligentia, tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.

„ Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum, coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respective reddere.

„ Quod si prædicti, ad quos cura tabellæ, capsæ, & librorum præfatorum, respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minime navaverint, & superiores tum sæcularium, tum regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant; in singulis respective casibus sæculares pœnam suspensionis incurrant; Regulares vero voce activa & passiva, ac gradibus, & officiis quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad huiusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitetur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

„ Porro, ne ullo umquam tempore omnia, & singula decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum sæcularium illa retineant publice exposita in eorum Sacrario; Superiores vero locales cuiuscumque Monasterii, Conventus, ac domus Regularis curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum quæ obtinent, vocisque activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoquo mense, idest feria secunda post primam dominicam Adventus, & feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes, & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes, una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

„ Meminerint igitur, & satagant Ordinarii ut a personis, & in Ecclesiis, quoquo modo etiam in vi decretorum Concilii Tridentini sibi subiectis, Missæ ea qua par est fide, & diligentia celebrentur, & cuncta & singula decreta huiusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum iustitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in Visitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties quoties iudicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis decretis adversetur.

„ Caveant etiam respective omnes Regulares tum subditi, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præiudicio illarum quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christi fidelium scandalo, quoquo modo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad huiusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

„ Curent propterea præfati Superiores regulares in omnes, & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & prompte etiam per inquisitionem animadvertere: & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in provincialibus Capitulis, seu Congregationibus, exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cuiuscumque Domus regularis subscriptam, & iuratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino & integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adiecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

„ Præterea Provinciales, Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Su-

„ pe-

„ perioribus Generalibus in forma probante „ ostendere, quod executioni præsentium „ decretorum sedulo invigilaverint, & ad eo„ rum tenorem in omnibus, & singulis Con„ ventibus, seu Monasteriis, vel Domibus „ regularibus Provinciæ, seu Congregationis, „ & de omnibus & singulis oneribus, & ob„ ligationibus, ac insimul satisfactionibus „ Missarum exactam, & diligentem ratio„ nem exegerint, ac contra delinquentes ad „ declarationem, & executionem respective „ pœnarum in decretis contentarum procesie„ rint, & de adimplemento circa ea quæ in „ præmissis ad ipsos spectant legitime docue„ rint; alias ad vocem activam & passivam „ in Capitulis generalibus nullatenus admit„ tantur.

„ Ceterum, quia etiam ad quamplures Ar„ chiconfraternitates, Confraternitates, So„ cietates, Congregationes, Hospitalia, Al„ taria, Capellas, Oratoria, & Ecclesias, „ ac alia loca, & opera pia quomodolibet „ nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu re„ gimini, aut administrationi, vel directio„ ni laicorum cuiuslibet gradus, status, con„ ditionis, & præeminentiæ etiam speciali, „ & individuali nota dignorum dumtaxat, „ vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & lai„ corum huiusmodi mixtim commendata, an„ nexa, seu quomodocumque commissa, vel „ attributa sunt, onus, seu cura celebratio„ nis Missarum, sive manualium, sive ad „ tempus, vel in perpetuum pertinet; hinc „ salvis semper iis quæ in præinsertis conti„ nentur, omnes, & quicumque huiusmodi „ Archiconfraternitatum, Societatum, Con„ gregationum, Hospitalium, Altarium, Ca„ pellarum, Oratoriorum, & Ecclesiarum, „ ac aliorum locorum & operum piorum Re„ ctores, seu Administratores, vel Directo„ res, & alii huiusmodi officiales, nec non „ ii, ad quos cura tabellæ, & librorum in „ præmissis spectat, tabellam, libros, & hæc „ decreta respective iuxta modos superius „ expressos, similiter retinere, nec non de „ oneribus, ac celebrationibus, & eleemo„ synis dictarum Missarum singulis annis ra„ tionem exigere, & respective iis ad quos „ pertinet, reddere, sub pœnis arbitrio, & „ in subsidium excommunicationis teneantur.

„ Postremo omnibus, & quibuscumque, „ tam ecclesiasticis personis cuiuscumque or„ dinis, status, gradus, Regulæ, Congrega„ tionis, Societatis, conditionis, & dignita„ tis existant, quam laicis quocumque hono„ re, ac potestate præditis, omnia, & sin„ gula præmissa decreta interpretandi, nec „ non Ecclesiasticis prædictis pœnas in huius„ modi decretis relaxandi, seu quoquo mo„ do circa præmissa dispensandi, omnis, & „ quæcumque facultas sit penitus interdicta.

„ Non obstantibus quoad supra scripta om„ nia, & singula in huiusmodi decretis con„ tenta, constitutionibus apostolicis in favo„ rem quarumcumque personarum, atque „ Ordinum, tam mendicantium, quam non „ mendicantium, Militiarum etiam S. Ioan„ nis Ierosolymitani, Congregationum, So„ cietatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, „ etiam necessario, & in individuo expri„ mendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Con„ ventuum, Collegiorum, Capitulorum, Ho„ spitalium, Confraternitatum, & aliorum, „ quorumcumque tam sæcularium, quam re„ gularium locorum, nec non illorum etiam „ iuramento, confirmatione apostolica, vel „ quavis firmitate alia roboratis, statutis, & „ consuetudinibus etiam immemorabilibus, „ privilegiis quoque, indultis, & litteris „ apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla „ aurea, aut alias nuncupatis, seu quibuscum„ que tenoribus, & formis, ac cum quibusvis „ etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque „ efficacioribus, & insolitis clausulis, nec „ non irritantibus decretis etiam motu pro„ prio & ex certa scientia, ac de apostolicæ „ potestatis plenitudine, aut alias quomo„ dolibet, etiam per viam communicationis, „ seu extensionis concessis, & iteratis vici„ bus approbatis, & innovatis, etiamsi pro „ illorum sufficienti derogatione de illis, eo„ rumque totis tenoribus, & formis, specia„ li, & individua, ac de verbo ad verbum, „ non autem per clausulas generales, men„ tio, seu quævis alia expressio habenda, „ aut aliqua alia exquisita forma servanda „ esset tenores huiusmodi, ac si de verbo ad „ verbum, nihil penitus omisso, & forma in „ illis tradita observata, inserti forent, præ„ sentibus pro expressis habens, quibus quoad „ ea quæ præsentibus adversantur, illis alias „ in suo robore permansuris, sacra Congre„ gatio Sanctitatis suæ auctoritate speciali„ ter, & expresse derogat, ceterisque con„ trariis quibuscumque. Datum Romæ die „ 23. Novembris 1697.

Ioseph Card. Sacripantes Præfect.

Ferdinandus Nuntius sacræ Congreg. Secret.

„ Quocirca, cum dilectus Filius noster Io„ seph Tituli S. Mariæ Transpontinæ S.R.E. „ presbyter Cardinalis Sacripantes, memo„ ratæ Congregationis Præfectus, præfatæ „ decreta nobis retulerit, nos considerantes „ eadem omnia, & singula decreta ea qua de„ cet maturitate digesta, & examinata, ac „ in vim apostolicæ auctoritatis, eidem Con„ gregationi specialiter, ut præfertur, attri„ butæ peracta, perutilia fore censentes, il„ laque propterea perpetuo, & inviolabiliter „ observari, nec non constitutionis nostræ „ munimine roborare volentes: motu pro„ prio, non ad cuiusquam nobis super hoc „ oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa „ scientia, & matura deliberatione, deque „ apostolicæ potestatis plenitudine præinserta „ decreta, omniaque, & singula in eis con„ tenta, tenore præsertium, auctoritate apo„ stolica confirmamus, & approbamus, illis„ que inviolabilis, & irrefragabilis apostoli„ cæ firmitatis robur, & efficaciam adiicimus, „ quinimmo motu, scientia, deliberatione, „ ac potestatis plenitudine similibus omnia, „ & singula in supradictis decretis contenta, „ de novo statuimus, decernimus, & ordi„ namus, ac ab omnibus, & quibuscumque „ etiam speciali, & individua nota dignis, „ omnino exacte, & perpetuo servari volu„ mus, sancimus, & mandamus.

„ Decernentes, præsentes litteras, cum „ omnibus, & singulis inibi contentis, sem„ per firmas, validas, & efficaces existere, „ & fore, suosque plenarios, & integros effe„ ctus sortiri, & obtinere debere, & ab o„ mnibus ad quos spectat, & pro tempore „ quandocumque, & quomodocumque specta„ bit, in omnibus, & per omnia plenissime, „ & inviolabiliter observari, sicque & non „ aliter, per quoscumque iudices ordinarios, „ & delegatos, quavis auctoritate, præemi„ nentia, aut potestate fungentes, & fun„ cturos, etiam causarum Palatii Apostolici „ Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, „ etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuili„ bet quavis aliter iudicandi, & interpretan„ di facultate, iudicari, & definiri debere, „ ac irritum & inane, si secus super iis a „ quoquam quavis auctoritate, scienter, vel „ ignoranter contigerit attentari.

„ Non obstantibus omnibus, & singulis quæ „ præfata Congregatio, auctoritate per eiusdem recordationis Urbanum Papam VIII. „ & respective per nos illi specialiter attri„ buta, decrevit non obstare, quæ pariter, „ & iterum nos tenore præsentium non ob„ stare decernimus, & mandamus, quibus „ omnibus quoad ea quæ præsentibus adver„ santur, illis alias in suo robore permansu„ ris, etiam harum serie plenissime, specia„ liter, & expresse derogamus, ceterisque „ contrariis quibuscumque.

„ Volumus autem ut præsentes litteræ in „ valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ „ Principis Apostolorum, nec non Cancella„ riæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Mon„ te Citorio, ac in Acie campi Floræ de „ Urbe, ut moris est, publicentur, & affi„ gantur, sicque publicatæ, affixæ, omnes, „ & singulos quos illæ concernunt, perinde „ arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum „ personaliter intimatæ fuissent.

„ Pariterque, ut earumdem præsentium „ transumptis, impressis, manu alicuius No„ tarii publici subscriptis, & sigillo personæ „ in dignitate ecclesiastica constitutæ muni„ tis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ „ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ „ vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat pa„ ginam hanc nostrarum Confirmationis, Ap„ probationis, Statuti, Decretorum, Ordi„ nationis, Voluntatis, Sanctionis, Manda„ torum, & Derogationis infringere, vel ei „ ausu temerario contraire. Si quis autem „ hoc attentare præsumpserit, indignatio„ nem omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe„ tri & Pauli, Apostolorum eius, se no„ verit incurrurum.

Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicæ 1697. decimo Kalendas Ianuar. Pontificatus nostri anno septimo.

B. Card. Prodat. I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia. I. Ciampinus

I. Catallus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri I. C. millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, indictione sexta, die vero tertia Ianuarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divina providentia PP. XII. anno septimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apost. in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Ioannem Baptistam de Capellis, eiusdem SS. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Mag. Curs.

DECRETUM

S. Congr. Concilii, de diebus vacationis licitæ a celebratione Missæ, ut habetur in Concilio Neapolitano pag. 179.

„ Modernus Episcopus Collensis, diœce„ sim visitando comperit, non sine maximo „ con-

„ conſcientiarum periculo, plures irrepſiſſe „ abuſus in adimplendo mentem eorum qui „ Miſſas celebrari mandarunt. Ad eos ergo „ tollendos, diſcutiendum, atque reſolven- „ dum videtur.

„ 1. An Sacerdotes obligati ratione Bene- „ ficii, Capellaniæ, Legati, aut ſtipendii „ celebrare quotidie Miſſam per ſeipſos, „ poſſint aliquando a celebratione vacare? „ Et quatenus affirmative.

„ 2. Quando, & quoties a dicta celebra- „ tione vacare poſſint?

„ 3. An diebus licitæ vacationis poſſint „ Miſſam pro ſeipſis, vel aliis, præterquam „ pro fundatoribus, celebrare? Et quatenus „ affirmative.

„ 4. An pro aliis celebrando, poſſint ſtipen- „ dium pro huiuſmodi celebratione percipere?

„ 5. An aliis diebus quibus licite vacant a „ celebratione, teneantur Miſſam ab aliis „ celebrari facere, iuxta intentionem fun- „ datorum?

„ 6. An Sacerdotes, ut ſupra, obligati ce- „ lebrare Miſſam quotidie, abſque tamen „ onere celebrandi per ſeipſos, poſſint ali- „ quando a celebratione vacare?

„ Die 18. Septembris 1683. S. Congregatio „ Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium „ Concilii Tridentini Interpretum, ad pri- „ mum, & ſecundum reſpondit affirmative, „ concurrente aliqua rationabili cauſſa. Ad „ 3. & 4. & 6. negative. Ad 5. diſtulit re- „ ſolutionem.

„ Ita reperitur in regeſto autographo De- „ cretorum eiuſdem S. Congregationis Lib. „ XXXIII. fol. 311. In fidem &c. Hac die „ 30. Maii 1699.

F. Nuptius S. Congreg. Conc. Secretarius.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Concilii ſuper applicatione ſacrificii a Parochis.

IN LUCANA.

„ Cum præcepto divino iis quibus anima- „ rum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro „ ovibus ſuis ſacrificium offerre, ſæpe alias „ ſacra Congreg. Concilii cenſuit, Parochos „ teneri pro parochianis ſacrificium applica- „ re, atque ea cum diſtinctione, ut ſi redi- „ tus pingues ſint, ſingulis diebus; ſi vero „ tenues, ſaltem diebus feſtivis. Idem nunc „ cenſet quoad Parochos ipſius civitatis, & „ diœceſis &c.

Romæ 10. Maii 1681.

F. Card. Columna.

Steph. Archiep. Brancaccius Sac. C. Secr.

§. II.

Plures quæſtiunculæ caſuiſticæ reſolvuntur de Miſſæ ſtipendio.

I. EX tot documentis quæ hactenus partim reſcripſi, partim indicavi, quiſque colligere poteſt, quam ſevere Eccleſia prohibeat non modo turpe ſimoniæ ſcelus, ſed cuiuſvis ſordidi mercimonii, & turpis quæſtus veſtigium. Et tamen poſt tot Conciliorum ſanctiones, poſt tot Pontificum, & Cardinalium, & Epiſcoporum decreta, adhuc innumeræ fere ſunt quæſtiunculæ quæ a Theologis moventur, & plures in utramque partem diſputantur. Alvarus Pelagius de planctu Eccleſiæ refert, Seraphicum Patriarcham Franciſcum iuſſiſſe ut Fratres *unica Miſſa* contenti eſſent. Et S. Patriarcha Ignatius prohibuit ne ſui Religioſi eleemoſynas pro Miſſis acciperent. Si leges iſtæ ab omnibus ſervarentur; ceſſarent quæſtiones, & ſordida mercimonia exularent. Verum cum hæc fruſtra deſiderentur, quæſtiunculæ reſolvendæ ſunt.

II. Quæſt. I. *A quo taxanda eſt eleemoſyna conferenda Sacerdoti Miſſam celebranti?* Reſp. Ab Epiſcopo taxandam Sacra Concilii Congregatio determinavit, cum non poſſit regula univerſalis præſcribi: cum alicubi maior, alibi minor, iuxta diverſitatem locorum, & circumſtantiarum eſſe deceat. Alicubi enim maior, alibi minor eſt annonæ penuria, aut copia. Animadvertit Pontifex ſummus BENEDICTUS XIV, *de Synod. Lib. V. c.* IX. & communiter quoque Theologi adfirmant, neceſſe haud eſſe ut eleemoſyna tanta ſit quæ ſufficiat integræ ſuſtentationi Sacerdotis unius diei in qua celebrat. Nec enim actio ſacrificii integrum diem, aut maiorem illius partem requirit; ſed media hora perficitur. Præterea Sacerdotes ſæculares non promoventur ad ſacros Ordines ſine Beneficio, aut patrimonio: nec ex Regularibus ad Religionem acceptari quiſquam iure valet, niſi ex Monaſterii reditibus, aut conſuetis eleemoſynis ali poſſit. Cur ergo ex ſola Miſſa repeti alimentum debet? Eleemoſyna taxata, aut taxanda, non eſt, nec congrua eſſe debet ad integram Sacerdotis ſuſtentationem, ſed ad illius adminiculum, ut ſcite laudatus Pontifex, citatis gravioribus Theologis, docet. Quamobrem ſuam ignorant profeſſionem Sacerdotes illi qui argutari ſolent: Alimenta hac tempeſtate cariore pretio emuntur. Ergo augeri Miſſæ eleemoſyna debet, Hi aſſumpſiſſe Sacerdotium viden-

videntur, veluti artem aut victus captandi, aut avaritiæ ſimulacro inſerviendi; non ut honorem, & dignitatem offerendi Deo pro ſe, & pro populo Sacrificium in peccatorum expiationem, in gratiarum actionem, & in auxiliorum, atque beneficiorum impetrationem.

III. Si plus eleemoſyna taxata ab Epiſcopo Sacerdos exigat, non modo Eccleſiæ legem, ſed iuſtitiam etiam commutantem lædit. Quamvis enim eleemoſyna pretii rationem abſolute excludat; lata tamen Eccleſiæ lege, quæ proportionem aliquam ſervandam præſcribit inter opus miniſterii a Sacerdote ſubeundi, & eleemoſynam conferendam, quicumque violator eſt legis huius, ſimul iniuſtitiæ reus evadit; ut docet idem Pontifex ſummus *loc. cit. num.* 2. Iudicio Epiſcopi, eleemoſynam taxantis, ſubiecti ſunt etiam Regulares, nullo privilegio in oppoſitum ſuffragante.

IV. Quæſt. II. *An liceat Sacerdoti diviti eleemoſynam accipere, ut Miſſam celebret?* Reſp. Si conſulantur canones, eleemoſynam Sacerdoti celebraturo concedere videntur propter ſuſtentationem vitæ. Hanc eleemoſynam S. Thomas 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 2. dicit eſſe *non tamquam pretium mercedis, ſed tamquam pretium neceſſitatis.* Rurſus in *IV. diſt.* XXIII. *quæſt.* III. *art.* 2. *quæſtiunc.* I. *ad* 4. inquit: *Si tamen Sacerdos non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios.* Conſuetudo tamen univerſalis Eccleſiæ, cui ſemper ſtandum eſt, omnibus Sacerdotibus indiſcriminatim eleemoſynam accipere pro Miſſa celebranda permittit. Quæ conſuetudo iuſta videtur, utpote innixa divinæ Scripturæ: *Dignus eſt enim operarius mercede ſua:* Luc. x. Item S. Paulus I. Cor. IX. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Scriptura divina non diſtinguit, ſicut nec conſuetudo Eccleſiæ, inter Sacerdotes divites & pauperes; ſed omnibus indiſcriminatim qui altari inſerviunt, participare de altari conceditur. Legatur totum citatum Pauli caput. *Quis militat*, inquit, *ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Legantur plura ibi. Concludit tamen Apoſtolus. *Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum uſus ſum.* Laborabat ille manibus ſuis, ut victum ſibi compararet, ne ex receptione eleemoſynarum offendiculum paterentur puſilli. Hinc colligant Sacerdotes, præſertim divites, quanta diligentia evitare debeant omnem ſimoniæ ſuſpicionem.

V. Quæſt. III. *Quinam Sacerdotes ſimoniæ ſuſpicionem præbeant?* Reſp. Qui a celebrando deſiſtunt, eleemoſyna deficiente. Factum iſtud prævaleat omnibus prætextibus quibus fucari ſimonia ſolet. Sacerdotes illi qui, dum ægrotant, perquam raro communicant, nulloque communionis deſiderio fervent; qui, deficiente eleemoſyna, facillime ob quodcumque leve impedimentum a Miſſa celebranda abſtinent: contra dum eleemoſyna occurrit, & præcipue ſi ſit conſueta pinguior, licet valetudinarii, licet Eccleſia diſtet, animos ſibi faciunt, impedimenta ſuperant, & vires omnes exerunt, & Miſſam celebrant, voce aiunt, ſe ob finem ſacrificandi Deo altiſſimo celebrare; ſed factum nimis luculenter patefacit, illos in primis ſpe mercedis ductos, & impulſos ad altare accedere. Porro S. Thomas *opuſc. de offic. Sacerd. c.* I. inquit: *Non poteſt tamen Sacerdos illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam conſequatur: quia peccaret mortaliter.* Et Cardinalis Denhoff Epiſcopus Cæſenatenſis in ſua Synodo Cæſenatenſi an. 1693. *tit.* II. *c.* V. hæc habet. *Sedulo Sacerdotes attendant, ne dum Miſſas ſola ſpe mercedis illecti celebrant, gravioribus culpis conſcientias ſuas illaqueent: docet enim S. Thomas, non poſſe Sacerdotem illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam conſequatur, quia peccaret mortaliter. An vero hac præcipua intentione Miſſæ ſacrificium offerant, viderint ii qui ſanctiſſimæ communionis in ægritudine nullo, aut perexiguo tenentur deſiderio: cum tamen, recuperata valetudine, vix aliquam prætermittant diem qua ad altare non accedant.* Facile mentitur iniquitas ſibi: & facillime nobis blandientes, bonam, ſanctamque intentionem oſtentamus. At ſæpe facta noſtra pravitatem intentionis noſtræ manifeſtant. Singuli Sacerdotes ſuam intentionem cum factis comparent, & iudices ſuæ ſint conſcientiæ.

VI. Quæſt. IV. *An licitum ſit paciſci de ſtipendio Miſſarum?* Reſp. Canones, & Synodi plures, & graviores Theologi pacta, & conventiones pro ſtipendio Miſſarum improbant. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. part.* II. *num.* 123. inquit: „ Non eſt illicitum paci- „ ſci de ſtipendio pro Miſſa: & quando hoc „ videtur prohiberi, intelligi debet de pactio- „ ne per quam vendatur Miſſa pro pretio. „ Gobat. " Non modo Miſſæ venditionem prohibent Concilia (nam vix fuerunt, & ſunt Sacerdotes adeo ſcelerati, ut Miſſam vendere expreſſe velint) ſed Tridentinum Conci-

lium præter pacta, & conventiones, vetat etiam illiberales eleemosynarum exactiones, & ea omnia quæ turpem quæstum redolent. An pascisci de hoc stipendio a turpis quæstus labe immune sit, iudicent sapientes. Ut mitissime dicam, minus caute exposita mihi videtur doctrina PP. La-Croix, & Gobat. Ab iis omnibus abstinere Sacerdos debet quæ vel suspicionem sordidi mercimonii porrigunt; ut Concilia præscribunt, missis Casuistarum commentis. Si offerentes sponte maiorem taxata eleemosynam suppeditant, illam accipiant.

VII. Quæst. V. *An Sacerdos valeat accipere eleemosynam unam pro fructu speciali, alteram pro fructu specialissimo?* Resp. Si antiqui Sacerdotes acuti fuerunt in excogitandis fucandæ avaritiæ, & simoniæ coloribus, dum Missas *bifaciatas*, & *trifaciatas* introduxerunt; obtusi sane ingenii non fuerunt postremæ ætatis Casuistæ non pauci, qui pro diversis Sacrificii fructibus duplicata stipendia licita propugnarunt, etiam postquam Urbanus VIII. sordidum mercimonium damnaverat. Triplicem Sacrificii fructum distinguunt Theologi plures: generalem, specialem, specialissimum. Generalis omnia Christi membra complectitur. Specialis, seu medius, ille est qui in commodum illius cedit pro quo Sacerdos Sacrificium applicat, & a quo stipendium accipit. Specialissimus dicitur qui cedit in bonum celebrantis. Pro secundo unum stipendium, pro tertio alterum stipendium accipi posse, propugnarunt Moralistæ nonnulli: quorum opinionem damnavit Alexander VII. in hac propositione 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum Urbani VIII.* Hanc damnatam opinionem fuso calamo post decretum Urbani VIII. Leander defendit *dist.* IV. *quæst.* X. & quidem more suo, ut probabiliorem; plureſque Probabilistas allegat.

VIII. Quæst. VI. *An Sacerdos qui, ut celebret, cogitur emere sacras vestes, candelas &c. possit licite stipendia Missæ augere?* Resp. Adfirmat Leander *quæst.* XIII. Sed hæc opinio laxa est, & sordidi mercimonii plena, unde plura proficiscuntur absurda. Non minus falsa est altera Leandri sententia, posse scilicet Sacerdotem offerre sacrificium pro eo a quo accepit eleemosynam, & simul pro aliis ex caritate, & liberalitate: quia, inquit, cum Missa sit infiniti valoris, æque prodest omnibus. Quæ opinio in recitatis decretis improbata est.

IX. Falsa quoque, & improbata manet altera opinio Leandri, qui *quæst.* XV. propugnat, Religiosos sui ordinis, qui vi regulæ suæ tenentur certis diebus offerre pro defunctis eiusdem ordinis, pro captivis, & benefactoribus, posse simul eadem sacrificia pro aliis applicare, accepto stipendio. Nec mihi arridet quod idem Leander cum aliis suis Probabilistis docet *quæst.* XVI. eum qui liberaliter promisit alteri unum Sacrum animo se obligandi, non peccare mortaliter, si fide fracta, Missam non celebret. Promissio facta, & acceptata obstringit iustitiæ vinculo. Ergo qui illam infringit in re gravissima, uti est sacrificium Missæ, non videtur, ut ego quidem arbitror, a gravi culpa immunis, nisi aliquæ circumstantiæ excusent.

X. Quæst. VII. *Utrum Sacerdos possit per alium celebrare, retenta sibi parte stipendii accepti?* Resp. Adfirmarunt plures Probabilistæ; sed Alexander VII. illorum opinionem damnavit in hac prop. 9. *Post decretum Urbani potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ tradunturper alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* P. Dominicus Viva in sua trutina in hanc *prop.* 9. *num.* 8. refert sententiam Bordonii, asserentis non peccare contra iustitiam, atque adeo non obstringi ad restitutionem Sacerdotem hunc; sed solum contra obedientiam debitam Pontifici: in quam opinionem hoc iudicium probabilisticum profert: *Quamvis hoc non careat sua probabilitate, videtur tamen probabilius &c.* Si sua probabilitate non caret hæc opinio; ergo vi Probabilismi executioni demandari licite potest. Ego vero eam, ut aperte falsam, & in damnata propositione contentam, reiicio.

XI. P. Dominicus Viva *loc. cit. n.* 7. duos excogitavit modos quibus præfatus Sacerdos retinere sibi partem stipendii iure valeat. Primus est, si omnino sponte, & ex mera liberalitate condonetur ab eo cui Missa traditur celebranda. Addit tamen cavendum esse ne condonatio sit tantum oretenus liberalis. Hic tamen modus purgari vix potest a turpi mercimonio, ideo improbandus. Alium modum his verbis descripsit ipse P. Viva n. 8. „ Secundo retineri *probabiliter* potest ex Tambur. num. 13. si moraliter constet stipendii „ iusti excessum dari Sacerdoti liberaliter, „ non intuitu Missæ celebrandæ, sed intuitu „ personæ, quia videlicet est amicus, vel „ pauper. " Distinctio hæc in praxi commentitia est, fuco Probabilismi obducta. Qui exercere erga amicum liberalitatem vult, & misericordiam erga pauperem, alia via id præstet.

Dum quis maius pro Missa celebranda stipendium exhibet, id agit, ut opus Deo acceptius offerat, magisque mereatur. Quare etiam iste secundus modus, Probabilismi partus, sordidum redolet mercimonium.

XII. P. Thomas Tamburinus *Lib. III. meth. Miss. celebr. cap.* I. §. 5. *n.* 15. hæc docet. „ Si quis, cum sit procurator, ut centum v. „ g. Missæ celebrentur, quæ Missæ in hac „ urbe solent dici v. g. pro ducentis iuliis: „ si quis, inquam, per industriam suam mittat, seu eat ad aliam urbem, ubi intra „ expostulatum tempus dicantur pro centum „ iuliis; puto non esse *improbabile*, posse talem procuratorem retinere sibi alios centum. Ratio est, quia sumi potest paritas a „ servo, qui per extraordinariam industriam „ (nam ad ordinariam & moralem obligatur „ ex ipso famulatu) per suum laborem emit „ res minoris quam valeant communiter in „ foro: potest enim retinere quod superest, „ utpote fructum suæ industriæ. *Pari ergo „ modo in casu nostro.* " Duas hic laxas opiniones, ut ego quidem arbitror, vendiat Tamburinus. Primo, ut sordidissimum quæstum ex eleemosynarum oblatione pro Missis celebrandis captari licite posse defendat, rationem repetit ab industria extraordinaria famuli. Quænam comparatio profani famulatus ad sacras oblationes, destinatas altaris ministris? An ratiocinium ipsum horrorem quemdam non ingerit? Etiamsi licitum famuli præfati lucrum esset; ideo ne procurator Missarum celebrandarum posset sibi usurpare centum iulios ex oblationibus sacris, destinatis pro sacrificiis peragendis? Altera laxa opinio est, quæ dictum lucrum famulo concedit. Famulus industriam suam locavit domino. Tempus quod in extraordinario labore impendit, domino locatum est. Si famulus illud non insumeret in illa extraordinaria industria, in alio labore ad domini commodum insumere deberet. Famuli, hac probabilistica doctrina imbuti, cito suam industriam extraordinariam efficiunt. Quotidie lamentantur domini de famulorum, & ministrorum infidelitate. Sed Deus iuste illos plectit. Ipsi enim plenis buccis extollunt Benignismum & Probabilismum, quo licita afferuntur eorumdem oblectamenta; sed ipsiusmet Probabilismi abusu, honestatis & iustitiæ fuco, servitorum, famulorum, & ministrorum furta teguntur.

XIII. P. Dominicus Viva in *trut.* in *prop.* 9. *Alex. VIII. num.* 8. hanc defendit opinionem. „ Præterea, si collectores eleemosynarum pro „ Missis sint Sacerdotes, & non tradantur iis „ Missæ celebrandæ, sed se habeant ut laici, „ qui curant Missarum celebrationem, poterunt ex Nav. Cord. Tambur. *probabiliter* „ contra Peliz. Soto *l.* 9. *de iust. quæst.* III. „ moderatam pro labore mercedem *ex datis „ pro Missa* suscipere, cum id videatur licitum iure naturæ. " Principio, quid Concilia, quid sacri canones præscribant circa ea quæ attinent ad eleemosynas pro sacrificiis oblatas, spectandum est. Deinde ius ipsum naturæ præscribit ut aliunde collectores isti, quam *ex datis pro Missa*, laboris sui mercedem repetant. Sacerdotes hac P. Viva doctrina imbuti, deludere omnia pontificia decreta, & propositiones damnatas valent. Plurimas eleemosynas colligent, & minori stipendio collato aliis Sacerdotibus, retinebunt sibi partes stipendiorum pro labore in colligendis eleemosynis: quia dicent, se non recipere illas ut Sacerdotes, sed *ut laicos*, dandas aliis Sacerdotibus celebraturis. Ambarum opinionum PP. Tamburini, & Viva praxim prohibuit BENEDICTUS XIV. in sequenti constitutione, tamquam sordidam nundinationem. *Constitutione* igitur XXII. quæ incipit, *Quanta cura, sub pœna censurarum, quarum absolutio Romano Pontifici reservatur, prohibentur mercimonia super eleemosyna Missarum; hoc est, qui eleemosynas colligunt in iis locis in quibus stipendia sive eleemosynæ pro Missis sunt pretii maioris, Missas vero celebrare curant in locis in quibus pro minori pretio celebrari soleant: si laici sint, excommunicationem; si vero Clerici, vel Sacerdotes, suspensionem a solo Romano Pontifice absolvendam incurrant.* Et in *Lib. V.* de Synodo diœcesana *cap.* VIII. *num.* 9. legitur, quod „ Patres Concilii Toletani ad coercendam Sacerdotum avaritiam anno 1324. vetuerunt „ ne ullus Sacerdos quidquam, vel minimum, pro Missa ex pacto exigeret; sed „ eleemosyna contentus esset quæ ei sponte „ offerretur. " Et *num.* 10. quod „ Episcopi, „ ut Tridentino obtemperent, atque importunas & immoderatas eleemosynarum exactiones impediant, debent in sua quisque „ diœcesi Missarum stipem taxare, ultra quam „ nemo quidquam exigere valeat. " Cap. autem IX. num. 2. *Porro, si ultra eleemosynam ab Episcopo taxatam plus Sacerdos celebraturus exigat, non solum delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam iustitiam commutativam lædit:* quibus additur, quod ex decreto fac. Congreg. Concilii, etiam Regulares taxæ stare debent ab Episcopo constitutæ. Vide duo *citata capita*, & *cap.* X. in quibus plura tractantur erudite.

XIV. Quæst. VIII. *Beneficiarius, quando per alium celebrare cogitur, licite ne præbere valet consuetam eleemosynam, tametsi ex Beneficio maior percipiatur?* Resp. Adfirmative respondit proposito dubio sacra Congregatio. Idque concedunt Lugo, Tamburinus, Diana etiam Capellano, quamvis amovibili, & illis quibus commissa est perpetuarum Missarum celebratio, addit La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 131. ex Pasqualigo *quæst.* Dcccclxx. & Dcccclxxviii. Gobat *num.* 572. His subscribit P. Viva *quæst.* v. *art. ult. num.* 6. In Missis ergo manualibus vetitum est celebrare Missas per alios, collato stipendio minori quam acceptum sit.

XV. Dum quis Sacerdoti, singularis pietatis fama prædito, eleemosynam consueta maiorem confert, quia maiori fervore, & devotione celebrari ab illo Missam credit; is non potest alteri Sacerdoti, etiam collato integro stipendio, celebrandam Missam committere. Si tamen alter Sacerdos eiusdem plus minusve probitatis haberetur; tum non videretur Sacerdos committens celebrationem peccaturus. Aliquod etiam impedimentum, vel iusta caussa excusare posset ab omni culpa: dummodo integrum stipendium tradatur. Tum enim mercimonium intervenire non potest. Maior autem, & minor devotionis fervor tanti communiter non est, ut variatio celebrantis inferat culpam saltem gravem.

XVI. Sempronio Sacerdoti hodie offeruntur duo Iulii, ut celebret: is rogat Titium Sacerdotem, ut hodie celebret pro se, spondens cras pro illo se celebraturum, quia pro crastina Missa unum Iulium accepit. Hoc licere asserit P. La-Croix *Lib. VI. part.* II. *n.* 134. quia fit tantum permutatio dierum, & Missarum. Mihi e contrario videtur versuta ars circumveniendi decreta supra allata; nec video quomodo a specie turpis mercimonii hoc excusari possit. Eo enim hæc dierum, & Missarum permutatio tendit, ut lucrum maius pariat. Unicus permutationis finis est mercimonium. Quid quod offerens fortassis te ad celebrandum delegit, quia devotiorem te præ alio reputavit? Gravis tamen culpæ non audeo damnare similem permutationem; sed ab eadem abstinendum affero: cum honestus finis non appareat, præter lucrum, quod honesti finis rationem hic habere nequit. An paupertas aliquando titulus honestus esse possit, prudentum iudicio relinquo.

XVII. Quæst. IX. *Qui accipit plura stipendia exigua singulis Missam promittens, potest ne unica Missa pro omnibus satisfacere?* Resp. Adfirmant Azorius, & Corduba apud Trullenchum. Communis sententia negat. P. Dominicus Viva *quæst.* v. *art. ult. num.* 9. inquit: „ Verum Trullench, & Tamburinus „ *Lib. III. cap.* I. §. 3. probabilem putant „ sententiam Suarez, docentis eo in casu „ posse id concedi Sacerdoti pauperi, quando paupertate coactus consentit.“ Hæc opinio improbata est in decreto supra rescripto. Plura congerit ibi P. Viva ex P. Tamburino, aliisque Probabilistis, ut ostendat sententiæ P. Suarez non opponi sacræ Congregationis decretum. Sed *num.* 10. fatetur cum Lugo, decreto Congregationis prohiberi ne sententia P. Suarez ad praxim reducatur. Et tandem concludit: *Censeo tertio sententiam Suarez absolute esse falsam.*

XVIII. Quæst. X. *An Sacerdos possit accipere duplex stipendium, alterum pro præsentia, seu officiatura in Ecclesia designata, alterum pro applicatione?* Resp. Lugo, & Tamburinus adfirmant, dummodo constet unum voluisse solam præsentiam, alterum solam applicationem. Pro hac opinione P. La-Croix refert etiam Suarez, Vasquez, Pasqualigum, Avversam, aliosque multos. Et ipse de more nihil pronuntiat.

XIX. Pontifex summus BENEDICTUS XIV. *Tom. III notif.* xv. fuso calamo hanc versat quæstionem. Refert P. Passerinum, Cardinalem de Lugo, Bartholomæum Gavanto pro opinione adfirmante: pro negante Dianam, & Cottonium, qui pro hac opinione referunt resolutionem sacræ Congregationis Concilii die 9. Ianuarii, & 6. Februarii an. 1627. quæ est eiusmodi. *An Sacerdotes qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus, vel Monasteriis Monialium celebrant, quam pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam, possint ultra stipendium quod recipiunt a Confraternitatibus, vel Monialibus, aliud stipendium recipere? Sacra Concilii Congregatio 9. Ianuarii, & 6. Februarii an.* 1627. *in Tragurienſi respondit: Non posse.*

XX. Hæc resolutio confirmatur epistola Cardinalis Paulucci, data 30. Martii an. 1661. ad Episcopum Comaclensem, in qua hæc habentur, latine versa: *Recessum non est a resolutione in Tragurienſi, cum nequeant Capellani duplex stipendium accipere pro celebratione Missarum, tametsi astricti non sint applicationi sacrificii.* Quæ documenta referuntur in *Appendice ad Synodum diœcesanam*, celebratam ab Illustrissimo Batistelli Episcopo Fulginei *pag.* 251. Pro qua sententia Theologorum quoque auctoritates allegantur. Subdit Pontifex summus, numquam tempore quo ipse interfuit Congregationi Concilii, hanc controversiam ex instituto versatam fuisse. Tandem concludit, non adeo facilem esse casum in quo Sacerdos debeat celebrare, & non applicare Missam. Et qui contendit exclusam applicationem, illius est luculentis argumentis evincere impositam fuisse celebrationem, secus applicationem iuxta resolutionem sacræ Congregationis Concilii in caussa *Tinen. Applicationis sacrificii die* 18. *Martii* 1668. *Lib. XXVI. decretorum pag.* 61. in qua hæc habentur: *Ex dispositione testamentaria, antiquitus facta a pio testatore, reperitur fundata quædam Capellania, cum onere Capellani pro tempore Sacrum faciendi singulis dominicis, aliisque festivis diebus, nulla adiecta declaratione, ad cuius suffragium applicandum esset sacrificium: ideo Episcopus Tinen. supplicat per sacram Congregationem declarari, an huiusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum esse comperit. Sacra Congregatio Concilii respondit applicandum esse sacrificium pro anima testatoris.* Ad istius resolutionis normam casus occurrentes in hac materia decisos fuisse, testatur ibidem Pontifex summus. Quare nisi expresse, & conceptis verbis testatores, vel offerentes eleemosynam declarent se velle tantum celebrationem, secus applicationem, Sacerdos applicare pro offerente, vel testatore tenetur.

XXI. Nequit Sacerdos accipere stipendium unum pro fructu impetrationis Missæ, & alterum stipendium pro fructu satisfactionis, quidquid in oppositum nonnulli Probabilistæ olim commenti fuerint. Neque duplex stipendium accipere celebrans potest ex eo quod uni applicet Missam, alteri indulgentias, v. g. altaris privilegiati. Qui enim Missas petit, & stipendia confert, utrumque pro se applicari intendit. Quid, si acceptasti stipendium pro Missa, ubi, & quando volueris, celebranda; & roget aliquis, ut te obliges ad celebrandum certo loco, vel tempore? Contendunt Gobat, & alii pro hac obligatione te posse aliquid accipere. Ego existimo eiusmodi subtilia commenta turpis quæstus fuligine tincta esse. Neque enim Sacerdotes Domini in offerendo sacrosancto sacrificio decet, quodcumque incommodum ad leges emptionis, & venditionis, & pretii taxationes exigere; quemadmodum in corporum laboribus, & in terrenis negotiationibus severe supputantur, & expenduntur. Similiter mihi non probatur quod P. La-Croix ex P. Gobat refert *Lib. VI. part.* II. *num.* 141. videlicet, eum qui accepit consuetum stipendium, posse aliquid accipere pro fructu specialissimo. Hæc sunt verba P. La-Croix. „ Si tamen conve„ nerit de fructu specialissimo, aut alia par„ te fructus non petiti applicanda tertio, ut „ ei prosit, quantum potest, posse *aliquid* „ ideo sumi, notat Gobat *num.* 512. dummo„ do admoneat dantem de incertitudine, an „ ei prosit talis applicatio.“ Eiusmodi distinctiunculæ in re gravissima, & sanctissima nobis displicent. Unde, quæso, tam acutæ cogitatiunculæ, nisi ad honestandam nimiam aliquorum celebrantium pecuniæ cupiditatem, ne dicam avaritiam?

XXII. Quæst. XI. *Potest ne unica Missa pluribus obligationibus satisfieri?* Resp. Quamvis Urbanus VIII. prohibuerit pro unica Missa plura stipendia accipere, non defuere ex recentioribus Casuistis qui oppositum propugnaverint. Istorum opinionem damnavit Alexander VII. in hac prop. 10. *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque enim est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

XXIII. In die Natalis Domini pro tribus Missis tria possunt acceptari stipendia. Quando in die festo est penuria Sacerdotum, vel non adeo facile inveniri Sacerdotes possunt qui Missas celebrent, Casuistæ nonnulli plus stipendii exigi posse contendunt. Sed hoc, tamquam putidum mercimonium, improbant communiter Theologi, Conciliorum auctoritate nixi. Paupertas Sacerdotis numquam excusat, ut pro unica Missa plura accipiantur stipendia. Si extrema necessitas urgeat, licitum erit accipere oblata, non propter celebrationem, sed quia usus rerum, extrema necessitate urgente, communis est. Et tum convenientius a sponte offerentibus quam ab aliis accipiuntur. Pro Missa quam Confessarius Sacerdoti pœnitenti imponit, accipi stipendium nequit. Similiter Sacerdotes illis diebus quibus celebrare astringuntur ratione Beneficii, vel Capellaniæ, aut legati, nequeunt pro Missa talis diei accipere stipendium.

XXIV. Quæst. XII. *Quamdiu differri celebratio Missæ potest pro qua acceptum stipendium est?* Resp. De Lugo, Diana, & alii non pauci dicunt, differri non posse ultra 50. aut 60. dies. Pasqualigus ait, differri a nemine posse ultra tres menses. Tempus istud nimis longum mihi videtur, etiam re absolute spectata: quia Urbanus VIII. vetat in suo decreto ne plures Missæ acceptentur quam quæ *intra modicum tempus* cele-

celebrari valeant. Tempus autem duorum aut trium mensium non videtur modicum. Quodnam ergo erit tempus modicum? Respondeo, definiri absolute non posse; sed spectandas esse circumstantias, & præcipue voluntatem offerentium. Si quis Missam petit, ut declinet hoc periculum, ut ab hac infirmitate sanetur, aut ab alio infortunio liberetur; continuo Missæ celebrandæ sunt. Similiter Missæ pro defunctis diu differri non debent, ne propter dilationem sacrificii animæ purgantes detrimentum patiantur.

XXV. Quæst. XIII. *Quid agendum sit Sacerdoti qui celebrare nequit Missas pro quibus stipendia accepit?* Resp. Si, dum accepit stipendia, scivit se Missas celebrare non posse, peccavit stipendia accipiendo; secus, si fide bona existimavit se posse onera suscepta implere. Quando vero post accepta stipendia reipsa celebrare Missas nequit, neque per se, neque per alium; id præstare debet quod potest. Si circumstantiæ permittant, admonere offerentes debet, ut Missas celebrari curent. Si hoc fieri nequeat, oret quotidie in suis sacrificiis pro illis in quorum utilitatem celebrare debebat, collectas recitet pro iisdem, ieiunia, & alia pia opera in eorumdem suffragium dirigat, Missas pro iisdem audiat, ab aliis Sacerdotibus Missas pro illis celebrari petat; breviter, omni meliori modo quo potest, implere onus suum studeat.

XXVI. Quæst. XIV. *Qui vovit Missam, in gratiarum actionem celebrandam, potest ne accipere stipendium?* Resp. Quando quis Missam Deo vovit in gratiarum actionem ob aliquod beneficiam acceptum, vel ut ab aliquo periculo liberaretur, præsumitur voventem intentionem habuisse non accipiendi pro eadem stipendium. Si sibi reservasset sacrificii fructum, contendit Tamburinus, posse hunc voventem applicare fructum cui voluerit, stipendio accepto. Sed hæc sunt commenta nimium arbitraria in hac materia; & qui voveret sacrificium, & simul sibi retineret fructum, ut pro eodem accipere stipendium posset, imprudens, ne dicam stultus, esset. Qui negligeret implere votum unius Missæ, peccaret mortaliter. Votum celebrandi communiter est personale, nisi expresse vovens aliquem peculiarem finem adiiciat, vi cuius evadat reale, implendum etiam ab aliis.

XXVII. Quæst. XV. *Qui accepit stipendium, ut celebret Missam* de requie, *peccat ne, si aliam Missam legat?* Resp. Quod non peccet graviter, adfirmant omnes; cum eadem substantialiter Missa sit, sive *de requie*, sive de tempore, aut de Sanctis. Similiter nullum peccatum est, quando Rubricæ non permittunt celebrare Missam *de requie*. Immo Alexander VII. die 5. Augusti 1662. & Clemens IX. die 23. Septembris 1669. hoc in casu concesserunt ut per Missas de tempore obtineantur omnes indulgentiæ quæ concessæ sunt Missis *de requie*, ne ulla superesset ecclesiastici ritus variandi caussa. Quando tamen celebrans talem Missam expresse promittit, & Rubricæ illam permittunt, fidem servare debet: alioquin venialiter peccabit. Similiter, quando offerens petit ut celebretur ad tale altare, in hac, aut illa Ecclesia, servanda est promissio, & implenda voluntas offerentis, nisi rationabilis caussa obsit; aut si altare esset occupatum, & diu expectandum esset, vel Ecclesia impedita.

XXVIII. Qui tenetur celebrare Missas in Ecclesia, aut altari, a testatore, vel fundatore designato, peccat, & quidem graviter, si, necessitate sublata, alibi celebret. Excusant tamen Auctores a mortali, si quinquies, aut sexties per annum negligat locum, aut tempus; dummodo alibi celebret iuxta intentionem fundatoris. Aliquando Episcopus ex rationabili caussa dispensare potest ad obligatione celebrandi in loco designato a testatore.

XXIX. Qui singulis mensibus celebrare astringitur tot Missas, puta 12. peccat ne, si hoc mense singulis diebus celebret, ut satisfaciat pro Missis quæ celebrandæ sunt mensibus sequentibus? Hæc anticipatio, cum sit in commodum offerentis, seu institutoris capellaniæ, vel legati, immunis a culpa est. Si tamen testator statuisset Missarum celebrationem ob aliquam peculiarem caussam, puta ne Ecclesia Missis careret, vel ob aliam rationem; tum Missarum celebratio anticipari non posset. Qui celebrare tenetur ex suscepta obligatione omni die, potest semel in hebdomada abstinere reverentiæ caussa; ut communiter Auctores docent: numquam tamen celebrare valet pro aliis, stipendio accepto. Concedunt tamen communiter Theologi, ut semel & iterum celebrare queat pro sibi valde coniunctis & cognatis, ut pro patre, matre, fratre &c. in die obitus. Talem quippe esse mentem testatoris, rationabiliter præsumitur.

XXX. Quæst. XVI. *Quid, si Sacerdos qui omni die ex onere capellaniæ, vel legati celebrare astringitur, nequeat celebrare, quia Confessarius eidem suspendit celebrationem ob crimina pollutionis, fornicationis &c.?* Resp. Si pollutio sit involuntaria, culpa carens, & ob reverentiam erga augustissimum sacramentum abstineat; ad nihil tenetur. Verum si abstinere cogatur, quia Confessarius ob flagitia pollutionis voluntariæ, fornicationis, aliorumve criminum vetat celebrationem; tum per alium satisfacere suæ obligationi astringitur. Neque enim testator, vel institutor capellaniæ, legati &c. subire detrimentum debet ob culpam celebrantis. Similiter celebrare per alium astringitur, quando ipse nequit celebrare, quia cruditates stomachi patitur ob nimiam crapulam, aut aliud vitiosum impedimentum, ut ebrietatis &c. a se voluntarie positum: quidquid in oppositum dicat La-Croix *Lib.* 4. *num.* 838. Sæpe Sacerdotes flagitiosi allegant necessitatem celebrandi, ut extorqueant a Confessario absolutionem. Sed iniusti sacrorum mysteriorum dispensatores erunt Confessarii, si eiusmodi Sacerdotibus ob talem necessitatem absolutionem impendant. Quid, si ob paupertatem nequeant celebrare per alios? Ipsi viderint. Numquid sacrilegæ profanationi exponendum est augustissimum sacramentum, ne obligatio celebrationis interrumpatur? Apage immane commentum.

XXXI. Quæst. XVII. *Quid, si institutor capellaniæ, legati &c. expresse non præscribat quoties, vel secundum quam intentionem celebrandum sit?* Resp. Si scriptum sit ita ambiguum, ut mens testatoris deprehendi nequeat; consulendus Episcopus est. Si reditus capellaniæ, legati &c. sint ita pingues, ut congrua stipendia præbeant pro Missa quotidiana; omni die celebrandum est, & quidem iuxta mentem testatoris. Si Capellanus ægrotans nequeat celebrare; concedunt Auctores per duos circiter menses eum non astringi celebrare per alium. Quare nimis laxa, & falsa est opinio Castropalai, qui omni tempore quo Sacerdos ægrotat, & legitime impeditur morbo, vel captivitate, eumdem liberat ab onere supplendi Missas omissas. Hanc Castropalai opinionem probat Layman, si celebrans non habeat unde vivat. Verum hoc in casu consulendus Episcopus est.

XXXII. Quæst. XVIII. *Sacerdos laborans morbo caduco, vel lepra, celebrare ne debet?* Resp. Abstinere a celebratione debet, usquedum a tali morbo liberetur, si vero morbo caduco obnoxius sit. Si autem raro cadat, idest semel in mense, & morbus sit sine spuma, aliisque circumstantiis quæ horrorem adstantibus incutiant; tum eum celebrare posse dicunt (dummodo sit alius qui adiuvet, suppleatque id quod accidere posset) Tamburinus, Gobat, & alii. Sed consulendum hoc in casu Episcopum existimo.

XXXIII. Quæst. XIX. *An liceat celebrare Missam siccam, & Gregorianam?* Resp. Missa sicca dicitur in qua non fit consecratio, sed aliæ cæremoniæ peraguntur. Usus talis Missæ absolute mihi non probatur: & in Synodo Coloniensi an. 1662. vetita est. Pueri imbuendi sunt, ut consuetas preces cum devotione recitent, ut sacrosancto Sacrificio reverentia summa assistant, aliaque pia opera ipsis consentanea exerceant, non ut Sacerdotum personam agant. Nimis tremendum est hoc sacrificium, quam ut vel illius cæremoniæ debeant a pueris exerceri. Missæ Gregorianæ sunt 30. Missæ sine interruptione ab eodem Sacerdote celebratæ. Plures alias circumstantias numerant Gobat, Beia, & alii. Verum cum Missarum istarum celebratio nunc non obtineat; idcirco non discutio, utrum sit nec ne licita. Illud certum est, plus efficacitatis has præ ceteris Missas non habere.

XXXIV. Quæst. XX. *Quæ remedia adhibere Sacerdos scrupulosus in consecratione, & celebratione Missæ debeat?* Resp. communiter scrupulosi, & meticulosi in Missa celebranda, in horis canonicis recitandis, æquo laxiores esse solent in iis quæ propriis appetitionibus congruunt. Non raro homines isti compensare sibi blandiuntur aliarum legum violationem æquo severiori alicuius cæremoniæ, aut legis, quæ parum illis incommodat, observatione. Communi fertur proverbio scrupulosos gulæ saturandæ, commodis captandis, & mentis obstinationi obnoxios esse. Quæ obiter dicta sint. Sacerdotes, ut supra dictum est, in legendis precibus, collectis, aliisque sacræ liturgiæ partibus, nomine proprio, & Ecclesiæ id præstant. In consecratione Christi personam sustinent, & vices illius visibiliter implent. In consecratione igitur potissimum dedecet Sacerdotem scrupulosum esse: quia id omnium actionum sanctissimam inhonestat, adstantes commovet, illorumque devotionem, & fervorem turbat, & extinguit. Communiter anguntur circa intentionem consecrandi. Et tamen vix fieri potest, Sacerdotem serio celebrantem carere necessaria intentione: cum plures gravesque Theologi sustineant, Sacerdotem hunc consecrare reipsa, etiamsi deliberate consecrare nolit: quia intentio facti exterioris prævalet intentioni internæ. Quod idcirco dico, non ut hanc opinionem probem, quam supra improbavi, sed ut evincam, vix fieri posse, Sacerdotem serio consecrantem non consecra-

crare. Ut minus habet intentionem exercitam, & virtualem. Quid enim manus lavat, hostiam apponit, calicem parat, liturgiam legendam signat, vestes induit, nisi ut victimam immolet? Nisi ergo capitis sanitate laboret Sacerdos, dubitare de sua intentione non potest. Ut vero omnem dubitandi, & metuendi ansam sibi adimat, legat ante celebrationem orationem, *Ego volo celebrare Missam* &c. qua recitata, nihil amplius cogitet de intentione, securusque omnino celebret. Verba consecrationis eo modo recitet quo cetera secreta. Nulla vi enitatur, neque, antequam illa verba proferat, subsistat, & renovare intentionem adnitatur; sed continuate pergat proferre verba dominica, quemadmodum cetera quæ antecedunt: neque enim sancta illa verba aut ab intensiore prolationis conatu, aut ab expressiore intentione quidquam efficacitatis accipiunt; cum in persona Christi, a quo omnem vim habent, proferantur. Propterea caveant ne Christum ridiculum repræsentent bis repetendo idem verbum: quia hæc repetitio natura sua graviter vitiosa est. Si distractus ignoret se consecrasse, aut aliquod verbum pronuntiasse, nihil curet; sed intrepide pergat, continuetque actionem sanctam. Nisi his monitis resipiscere velit, celebratione interdicatur: quia aut stultus est, aut infirmus; & suspensio celebrationis forte illum excitabit. Non raro scrupulis immiscetur hypocrisis. Affectant aliqui sub initium apparere scrupulosi, ut devoti, & ferventes habeantur, & reputentur. Morbus sensim sine sensu crescit; & quandoque in pœnam alicuius hypocrisis reipsa semistulti evadunt. Sint isti ferventes in præmittenda devota præparatione, in virtutum exercitio, in exacta legum observatione, in gula coercenda, in carne & concupiscentia comprimenda, in tolerandis iniuriis, atque in aliis piis operibus exercendis. Si hoc præstiterint, communiter a scrupulis liberi evadent, Missam graviter, devote, & expedite simul, & officium recitabunt.

XXXV. Quæst. XXI. *Ad quem attineat Missam applicare; & quæ intentio requiratur?* Resp. Sicut plures sunt offerentes, sic plures sunt qui applicare Missam valent. Primus offerens post Christum Dominum est Sacerdos, deinde fideles assistentes. Quamvis enim Sacerdos offerat sacrificium nomine totius Ecclesiæ, seu omnium fidelium, etiam absentium, qui quatenus sunt membra Ecclesiæ, concurrunt, & ipsi ad sacrificium; nihilominus fideles qui reipsa Missæ assistunt sensibili præsentia, peculiari modo cum Sacerdote sacrificium Deo offerunt, & communicant in eadem actione sacrificante. Idcirco omnes isti sacrificii fructum, qui respondet propriæ cooperationi, cui voluerint, applicare poterunt; quemadmodum applicare valent quodlibet aliud opus satisfactorium, vel impetratorium. Fideles autem assistentes, & simul offerentes magis aut minus participant, prout magis aut minus dispositi sunt. Magis autem participant, ut supra indicatum est, offerentes eleemosynam, inservientes altari, & postea ceteri assistentes.

XXXVI. Circa intentionem, qua Sacerdos applicare Missam debet illi a quo stipendium accipit, Suarez, Bonacina, Gobat, Pasqualigus, & alii, quos refert & sequitur La-Croix *num.* 205. docent, sufficere intentionem habitualem: quia, inquiunt, applicatio Missæ est veluti donatio de præsenti, & assignatio rei futuræ, quæ semel posita, & non revocata, quamvis ante decem annos præcesserit, adhuc perseverat. Addit idem La-Croix, probabile esse secundum Laymannum, & Gobatum, sufficere etiam intentionem interpretativam, seu illam qua velles, si cogitares, applicare. Hinc Pasqualigus *quæst.* clxxiv. docet, te posse valide applicare pro aliquo, quem scis habere onera Missarum, etiam illo inscio: quia rationabiliter præsumis, eumdem habere intentionem saltem interpretativam implendi obligationes suas.

XXXVII. Extrema & rigoris, & laxitatis vitanda sunt. Intentio actualis non semper requiritur. Neque habitualis, quam descripsi, sufficere videtur. Sat ergo erit virtualis ante consecrationem saltem unius speciei. Nec existimo veram, aut probabilem opinionem Tamburini, Pasqualigi, & De Lugo, aientium sufficere intentionem præcedentem communionem. Intentio virtualis hæc est. Accepisti 20. eleemosynas pro totidem Missis. Hodie celebrationem incipis, deliberasque singulis diebus pro offerente applicare usque ad ultimum. Etiamsi ceteris singulis diebus alio distractus intentionem non renoves, puto sufficere primam, virtualiter enim perseverat. Similiter dum Religiosi subditi applicant sacrificium iuxta intentionem sacristæ, vel superioris, animumque deliberatum habent sic applicandi, quamvis interdum distracti renovandæ huius applicationis obliviscerentur, non propterea ambigere de applicatione debent.

XXXVIII. Accepisti a pluribus, puta a 20. personis, totidem stipendia. Bonacina, Diana, & alii docent, sat esse ut confuse applices totidem Missas proxime celebrandas. Sed alii verius, & tutius requirunt ut sigillatim dies determines, & pro singulis Missæ applicentur. Falsam reputo sententiam Bonacinæ, Henao, Aversæ, & aliorum qui docent, te, qui accepisti decem stipendia a decem hominibus pro 10. Missis, satisfacere, si in singulis Missis decimam partem Missarum quotidie applices iuxta intentionem singulorum hominum usque ad decimam inclusive. Hæc enim sunt arbitraria commenta. Singulis integrum sacrificium applicandum est iuxta singulorum intentionem.

XXXIX. Si quis applicavit iuxta intentionem Sempronii, a quo accepit stipendium; deinde immemor huius deliberationis applicat pro Titio, a quo similiter accepit eleemosynam: plures dicunt, prævalere posteriorem applicationem. Alii defendunt, valere priorem. Alii distinguunt. Si specialis ratio occurrat secundæ applicationis; tum dicunt prævalere hanc postremam. Si nulla peculiaris caussa urgeat; aiunt valere primam. Si alicui casus contingeret, certus esset se pro alterutro satisfecisse. Applicet ergo altera die pro eo cui prima Missa non fuit applicata.

XL. Quæst. XXII. *An licita & valida sit applicatio Missæ pro illo quem Deus novit primo daturum stipendium?* Resp. Adfirmant Diana, Pellizarius, Burghaberus, & alii plures. Alii docent, esse quidem validam, sed illicitam. Sed dicendum est, tum illicitam, tum invalidam esse talem applicationem; illamque prohibuisse Clementem VIII. eiusque decretum postea promulgasse S. Pium V. die 15. Novembris ann. 1605. narrat ex Bassæo P. La-Croix *Lib. V. part.* II. *num.* 222. Sed mendum est. Nam S. Pius V. præcessit Clementem VIII. Quare is potius promulgavit decretum S. Pii V. quod tamen decretum ego non vidi.

XLI. Quæst. XXIII. *Quid de reductione Missarum dicendum est?* Resp. Innumeras olim quæstiones Theologi super hac reductione instituerunt. Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. omnem disputandi occasionem sustulit. Tanta quippe perspicuitate rem hanc declaravit, ut nulla amplius altercandi ratio subsistat. Animadvertit primum *Lib. V. cap.* x. *de Synodo*, Concilium Tridentinum *sess.* xxv. *cap.* iv. *de reformat.* facultatem dedisse Episcopis, & Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, ut illi in diœcesana Synodo, hi in Capitulis generalibus Missarum onera contrahere, seu minuere possent. Hanc potestatem revocavit Urbanus VIII. & ad Sedem Apostolicam avocavit in sua constitutione xlv. Bullar. Tom. V. his verbis. *Districte prohibet atque interdicit ne Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

XLII. Post hanc Urbani VIII. constitutionem disputari cœptum est, num Episcopis, & Generalibus adempta sit potestas minuendi Missas, quarum celebrandarum obligationem nemo adhuc in se suscepit, & ob eleemosynæ tenuitatem nemo est qui illam suscipere velit. Non esse ademptam, defendunt Pasqualigus *de sacrif. quæst.* Mclxviii. Passerinus *de statibus hominum Tom. II. quæst.* clxxxvii. *num.* 1055. & alii. Sed opposita sententia, quam defendit Diana *Tom. II. concord. res.* 14. prævaluit semper, utpote confirmata decreto sacræ Congregationis Concilii, a qua quæsitum fuit: *An prohibitio facta Episcopis reducendi onera Missarum habeat locum etiam in casu quo legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire: & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis.* Planum est, hic sermonem esse de legato nondum acceptato. Hoc idem declaravit sacra Congregatio in caussa Lucen. onerum Missarum, in qua disputatum fuit de sequenti articulo: *An Episcopus possit onera Missarum nondum acceptata reducere, absque beneplacito Sedis Apostolicæ, sive huius sacræ Congregationis, quoties reductionem necessariam esse iudicaverit, ex eo quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere. Die* 20. *Iunii* 1682. *Respondit negative.* Secus vero esset, subdit Pontifex, si is qui legatum reliquit, expressam facultatem dedisset Episcopo Missarum designatarum numerum minuendi. Planum quippe est, tum Episcopum posse, inconsulta Apostolica Sede, Missas reducere; ut habetur *cit. Tom. V.* Bullar. post constitutionem Urbani VIII.

XLIII. Concludit autem Pontifex summus BENEDICTUS XIV. his verbis. „ Attamen

„ men post Urbanum VIII. alii Romani Pontifices, videlicet Alexander VII. Clemens „ X. Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. fere omnibus Religiosis Institutis privilegium concesserunt, ut Superiores Generales, adhibito maturo consilio, ac nonnullis servatis regulis, in eorumdem privilegiorum litteris expressis, „ possent in sua quisque Religione onera Missarum, antea relicta, & acceptata, „ moderari: eademque facultas a sanct. mem. „ Benedicto XIII. facta fuit omnibus Episcopis, qui per se, vel per suos procuratores „ interfuerunt Concilio Romano, habito „ 1725. uti videre est in *eodem Concilio tit.* „ XV. *cap.* VIII.

XLIV. Et hæc dicta sint de Missarum reductione. Sapientissimus enim BENEDICTUS XIV. tam claro in lumine rem hanc collocavit, ut in fumum occidant omnes quæstiunculæ quas hactenus Theologi magna contentione agitarunt.

XLV. Quæst. XXIV. *Quibus diebus animarum curam gerentes applicare Missam debent pro grege illis commisso?* Resp. Variæ hactenus disputationes super hoc argumento fuerunt inter Theologos. Eas omnes abstulit Pontifex summus feliciter regnans. Quare, ut plene satisfaciam propositæ quæstiunculæ, sequentem pontificiam Encyclicam subiicio, in qua omnes resolvuntur difficultates.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIV.

EPISTOLA ENCYCLICA

Super Missa parochiali, & conventuali.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & apostolicam benedictionem.

„ CUM semper oblatas nobis occasiones „ apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates vestras libenter amplectimur, ut „ sinceræ nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero maiori animi alacritate idipsum præstamus, „ quum ad excitandum Fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectæ „ disciplinæ in Clero, regimini vestro commisso, præsentibus rerum, aut temporum „ conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere nos posse confidimus, quam si divini „ cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis diœcesibus custodiam religiosæ vigilantiam Pastorum curæ identidem inculcando commendemus.

„ Huius porro Epistolæ ad vos scribendæ „ occasionem nobis atque argumentum in „ primis præbet onus illud quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam parochialem pro populo „ ipsorum curæ commisso, tum etiam applicatio Missæ conventualis, quæ pro benefactoribus in genere facienda est abbatis, „ qui Missas canunt in Ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, & „ collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici prædictarum „ Ecclesiarum choro assistentes. Cuius quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; „ cumque ea res in huius Almæ Urbis nostræ Congregationibus, & potissimum in „ Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii „ Tridentini Interpretum, cuius Secretarii „ munere olim in minoribus constituti, multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum decreta plerumque „ circa eam uniformia & sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla „ etiam pontificiam Prædecessorum nostrorum approbationem, & confirmationem „ meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque „ vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam „ hanc Epistolam ad vos scribere, per quam, „ sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans huius Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, & Fraternitatibus vestris quædam veluti norma „ ac regula suppetat, iuxta quam synodales, „ aliasque vestras circa præmissa constitutiones, ordinationes, seu edicta, quorum „ publicationem vobis iniungimus, dirigere „ valeatis. Eorum vero executionem, dum „ iuxta ea quæ in præsentibus tenenda at-

„ que

„ que servanda præscribimus, omni qua decet sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit ne „ statutorum vestrorum implemento obicem „ aut moram afferre valeant recursus ad huius nostræ Curiæ tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino reiiciendos esse præcipimus ac iubemus, quamobrem has „ ipsas Litteras nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque „ ad earum præscriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones, quam de vestris decretis, quæ ipsi, præsentibus inhærentes „ edituri estis, iudicia exigi, & conferri „ mandamus.

„ Et quidem, quod nuper enuntiavimus, „ sacrosanctum Missæ sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro populo „ ipsorum curæ commisso, id, veluti ex divino præcepto descendens, a sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *sess.* „ XXIII. *capit.* I. *de reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre* &c. Et quamvis minime „ defuerint qui per inanes, & frivolas interpretationes huiusmodi obligationem, a „ sancta Synodo memoratam, de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; „ quum tamen relata Concilii verba satis „ clara & perspicua sint, quumque prædicta „ Congregatio eiusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium „ pro populo sibi commisso applicare debere, „ nec illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum „ hæc intelligentia a Prædecessoribus nostris „ Romanis Pontificibus approbata fuerit, „ & confirmata: nihil iam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius „ promptam executionem in vestris respective diœcesibus omni studio procurare debeatis.

„ Neque nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, „ munus Secretarii prædictæ Congregationis, „ Concilii Tridentini Interpretis, plures annos obivimus, aliosque non paucos partim „ in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis, patriæ nostræ „ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assiduo transegimus: non, inquam, nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a nobis est occurrendum.

„ Quum enim sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non „ uno in loco Episcopis mandet ut, quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios „ cum certorum fructuum assignatione ad „ eamdem curam exercendam eligant, ac „ deputent, uti videre est in *sess.* VI. *cap.* „ II. *sess.* VII. *cap.* V. & VII. *sess.* XXI. *cap.* „ VI. *sess.* XXV. *cap.* XVI. non raro autem „ eveniat ut, aliqua Ecclesia parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda huiusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id iubente *sess.* XXIV. *cap.* XVIII. *de reform.* „ nonnulli ex huiusmodi Vicariis nituntur „ seipsos a prædicta obligatione subtrahere, „ vel ex eo quod, habituali cura penes alium „ seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus huiusmodi curæ sint addicti; ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a „ prædicta applicatione Missæ pro populo „ nonnumquam alienos se ostendunt. Itaque „ mens nostra & sententia est, sicuti etiam „ pluries a prælaudatis Congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes & „ singuli qui actu animarum curam exercent, „ & non solum Parochi, aut Vicarii regulares, uno verbo, omnes & singuli de quibus „ supra dictum est, atque alii quicumque, „ etiam specifica, & individua mentione „ digni, æque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut præfertur, „ ipsorum curæ commisso.

„ Nonnulli vero ad evitandum huiusmodi „ obligationis implementum allegare solent, „ congruos sibi parochiæ suæ reditus non „ suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, umquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem, & confirmationem extendimus; „ &, quatenus opus sit, auctoritate apostolica iterum tenore præsentium decernimus „ & declaramus, quod licet Parochi, seu „ alii, ut supra, animarum curam habentes,

„ con-

„ congruis præfinitis reditibus destituantur, „ & quamvis antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo in ipsorum diœcesibus seu „ parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo „ non applicaretur; eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

„ Dum tamen diximus, omnes curam animarum habentes, Missæ sacrificium pro „ populo sibi commisso applicare debere; „ non ideo statuere voluimus, eosdem aut „ quotidie, aut quotiescumque celebraverint, „ ad prædictam applicationem pro populo „ teneri. Et quidem sacrosancta Tridentina „ Synodus *sess.* XXIII. *cap.* XIV. præcipit Episcopis curare ut Sacerdotes, saltem diebus „ dominicis, & festis solemnibus, Missarum „ sacra faciant, *si autem curam habuerint* „ *animarum, tam frequenter, ut suo muneri* „ *satisfaciant, Missas celebrent*; in pluribus „ autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac „ designatos esse dies quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero „ nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo „ celebrare & applicare teneantur. Et quamvis compertum habeamus id quod alias a „ Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum „ quotidie pro populo celebrare, & applicare debere; eum vero qui uberioribus huiusmodi reditibus non gaudeat, festivis „ tantum diebus id ipsum præstare teneri: „ cum tamen pariter nobis perspectæ sint „ tum controversiæ super hoc ipso exortæ, „ nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ parochialis proventus, ut „ pingues, & uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt reditus, „ etiam copiosi, quibus tamen multiplicia & „ gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus huiusmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ, nobis innotescant: idcirco opportunum censemus Fraternitatibus vestris declarare, nobis abunde satisfactum fore, „ vobisque proinde satis esse posse, dum ii „ qui animarum curam exercent, sacrificium „ Missæ pro populo celebrent atque applicent in dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto; quum prædicti dominici, aliique festi dies ii sint in quibus „ iuxta præceptum Concilii Tridentini *sess.* V. *cap.* II. & *sess.* XXIV. *cap.* IV. quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, „ docendo ea quæ scire omnibus necessarium „ est ad salutem; iidemque sint dies de quibus eadem sancta Synodus statuit *ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*; & quibus Parochi subditos suos „ in doctrina christiana erudire debent, iuxta id quod a prædicto Concilio in cit. *cap.* IV. Episcopis præcipitur, ut nempe *saltem dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis, fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri curent*.

„ Et quia in nonnullis diœcesibus numerus „ dierum festorum de præcepto, de apostolica nostra auctoritate & consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus „ festis Christifideles & Missam audire, & ab „ operibus servilibus abstinere debeant; in „ aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ sacrificium: Nos, ut „ obortæ iam dubitationes circa onus applicationis Missæ parochialis in huiusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus & „ declaramus, quod etiam iisdem festis diebus quibus populus Missæ interesse debet, „ & servilibus operibus vacare potest, omnes „ animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare & applicare teneantur.

„ Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos „ adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis „ quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero „ qui, Ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, „ seu OEconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut „ exigui reditus ipsis constituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant; „ quod eis quoque non raro evenire solet „ qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura „ apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, „ eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere: idcirco Nos tam „ istorum, quam illorum inopiam summopere „ miserantes, eisdemque, quantum nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes & singuli prædicti teneantur diebus festis Missam „ pro populo celebrare, & applicare; attamen, quod pertinet ad Prædictos Parochos egen-

„ egentes, unicuique vestrum facultatem „ concedimus, cum iis quos revera tales esse „ noveritis, opportune dispensandi, ad hoc „ ut etiam diebus festis huiusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & „ pro ipso sacrificium applicare, quatenus id „ ab eo requiratur, libere & licite possint „ & valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem, in ipsa Ecclesia parochiali Missam celebrent: ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in „ diebus festis, infra eamdem hebdomadam „ occurrentibus, iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

„ Quod autem spectat ad Vicarios, sive „ OEconomos Ecclesiarum vacantium, cum „ a sacro Tridentino Concilio *cit. sess.* XXIV. „ *cap.* XVIII. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi, & constituendi, *cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione*: vestrum erit, Ven. Fratres, „ cum iis agere qui vacantis Ecclesiæ fructus „ exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione, „ paucisque incertis proventibus gaudeat, „ congruum aliquod augmentum præbeatur „ pro onere celebrandi & applicandi Missam „ pro populo diebus festis. Quapropter pro „ iis locis in quibus Ecclesiarum vacantium „ fructus ad commodum cameræ nostræ apostolicæ exigitur, opportuna Thesaurario „ nostro generali mandata dirigimus, quæ is „ denuntiare non prætermittet peculiaribus „ dictorum locorum Collectoribus, eum quibus Episcopi ecclesiasticæ nostræ ditionis, „ ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad „ cameram prædictam pertinent, officii sui „ partes in eum finem de quo supra diximus, „ interponere debebunt.

„ Ac demum, quoad illos qui tamquam „ Vicarii sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ „ apud alios habitu residet, ratione alicuius „ Ecclesiæ parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu „ Monasteriis, Collegiis, aut locis piis olim „ unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit „ certa pars fructuum huiusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione quæ „ incipit, *Ad exequendum*, data Kalendis „ Novembris anni MDLXVII. distincte statuitur: nihilominus, ubi præscripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea quæ ad normam præ„ dictæ constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, pro„ pter temporum circumstantias, & signanter „ pro implendo onere celebrandi & applicandi „ Missam pro populo diebus festis de præcepto; utendum vobis erit potestate quam „ fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess.* VII. „ *capit.* VII. dum illorum arbitrio permisit, „ iuxta temporum, atque iniunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis „ fructuum portionem assignare; quam ob„ caussam Nos etiam Fraternitatibus vestris, „ quatenus opus sit, necessarias omnes & op„ portunas facultates impertimur, quibuscum„ que appellationibus, privilegiis, aut exem„ ptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, „ adversus ea quæ salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

„ Hæc igitur circa Missam parochialem „ statuenda, & Fraternitatibus vestris de„ nuntianda iudicavimus. Indeque gradum „ facientes ad ea quæ pertinent ad Missam „ conventualem, neminem vestrum latere „ putamus sacrorum canonum sanctiones, „ quibus præcipitur ut singulis diebus in Ec„ clesiis patriarchalibus, metropolitanis, ca„ thedralibus, & collegiatis tum horæ ca„ nonicæ debitis modo, & forma recitentur, „ tum etiam Missa conventualis celebretur, „ quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis „ oriri possit dubitatio. Eaque de re per„ spicuæ pariter, & per omnia uniformes „ existunt resolutiones ab hac Congregatio„ ne Ven. Fratrum nostrorum Concilii Tri„ dentini Interpretum repetitis vicibus ema„ natæ, quas omnes apostolica auctoritate „ nostra confirmamus & approbamus, earum „ executionem vobis enixe inculcantes: ut „ scilicet Missa conventualis, quæ singulis „ diebus canitur a Clero prædictarum Eccle„ siarum, pro earumdem benefactoribus in „ genere quotidie applicetur, eodem prorsus modo quo Missam parochialem ab iis „ qui curam animarum gerunt, pro populo si„ bi commisso, singulis saltem diebus festis „ de præcepto, applicari debere superius de„ claravimus. Itaque date operam ut fal„ sam quorumdam opinionem eliminetis, „ quam in aliquibus Ecclesiis eiusmodi, si„ ve dolo malo, sive per errorem invectam „ esse novimus; quod nempe cum Missa con„ ventualis pro certo aliquo Ecclesiæ bene„ factore, vel grati animi ergo, vel ex vi „ oneris impositi celebratur, & applicatur, „ satis impletum censeatur debitum applica„ tionis Missæ conventualis. Etenim hu„ iusmodi debitum non quidem respicit sin„ gu-

„ gulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet Ecclesiæ, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia choralia obtinent, & Missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

„ Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit quam ea quæ a lege ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

„ Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis (quod vos ex historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium, & singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptychis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ sacrificium offerretur; quam ob caussam etiam prædictus catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri celebrantis apponi consuevit, licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione tacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum & disciplinam orandi pro iis, & sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

„ Quemadmodum vero loquendo de Missa parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de præcepto; ita pariter usuvenit quo„ ad applicationem quotidianam Missæ con„ ventualis pro benefactoribus in genere. Ut „ autem superiores illæ, sic etiam hæ po„ steriores provide e medio sublatæ fuerunt „ per opportunas Congregationis Concilii Tri„ dentini resolutiones, quas proinde in his „ etiam auctoritate nostra approbamus & con„ firmamus.

„ Nonnulli siquidem obtentu contrariæ „ consuetudinis, etiam immemorabilis, in „ propria Ecclesia vigentis, se ab huiusmodi „ onere eximi posse sibi persuaserunt. Ve„ rum iam pluries responsum fuit, huiusmo„ di consuetudinem, licet immemorabilem, „ quæ potius abusus & corruptela dicenda „ est, nemini suffragari. Alii a Missa pro „ benefactoribus in genere applicanda se ex„ cusatos voluissent, ex eo quod alia quo„ piam Missarum onere obstricti inveniantur, „ vel ratione proprii Canonicatus, aut alte„ rius Beneficii ecclesiastici, quod insimul „ cum canonicali præbenda obtinent; vel „ quia præter munus Canonici, seu Benefi„ ciati, aut Mansionarii in Ecclesia cathe„ drali, seu collegiata, cum etiam in ea„ dem, vel in alia Ecclesia parochialem cu„ ram exerceant, dum Missam conventualem „ canunt diebus festis de præcepto, debent „ pro populo sibi commisso eam applicare; „ ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiæ „ benefactoribus specialiter offerre. Sed his „ quoque obviam itum est, iubendo singulis „ prædictis, ut Missam conventualem quam „ canunt, pro Ecclesiæ benefactoribus in ge„ nere applicent; pro aliis vero, pro quibus „ ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, „ alterum substituant, qui ipsorum loco Mis„ sam huiusmodi celebret, applicetque.

„ Aliorum pariter exceptio fuit, quod „ Missa conventualis non semper a Canoni„ cis aut Dignitatibus celebretur, sed ali„ quando etiam a Beneficiatis, aut Mansio„ nariis; quos minus æquum videtur pro „ Missæ celebratione omni eleemosyna ca„ rere, quæ unde desumi valeat, ignora„ tur. Cui tamen rei pariter consultum „ est, demandando ut ea desumatur ex massa „ distributionum.

„ Alii denique obtenderunt exiguitatem „ huiusmodi distributionum, quæ ob detra„ ctam eleemosynam quotidianam pro Missa „ conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix „ foret ut ab aliquo curarentur, cum magno „ detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tri„ dentina quidem Synodus *sess.* XXIV *cap.* XV. „ opportunas rationes ostendit, quibus cano„ nicalium præbendarum inopiæ valeat pro„ vi-

„ videri. Si vero designatam a Concilio „ viam, ut fere evenire solet, nequaquam „ iniri posse contingat, reliquum erit ad Con„ gregationem Concilii recursum habere, cu„ ius erit, perspecto ex vestris relationibus „ rerum statu, auctoritate apostolica a Præ„ decessoribus nostris eidem impertita, & a „ nobis etiam præsentium tenore confirma„ ta, quotidianam applicationem Missæ con„ ventualis pro benefactoribus in genere, ut „ alias, ad festos tantummodo dies reducere.

„ Non modo Ecclesiis patriarchalibus, me„ tropolitanis, cathedralibus, & collegiatis „ iniunctum reperitur, sed etiam in rubri„ cis generalibus, quarum exactissimam Fra„ ternitatibus vestris custodiam commenda„ mus, præscribitur ut certis diebus, non „ una, sed binæ, atque etiam aliquando „ tres Missæ conventuales uno die celebren„ tur. Itaque cum nuper a nobis dictum „ fuerit, primam Missam conventualem quo„ tidie pro benefactoribus in genere celebran„ dam, & applicandam esse: nunc expen„ dendum superest, an earumdem Ecclesia„ rum Capitula iurisdictioni vestræ respecti„ ve subiecta adigere debeatis ut alias quo„ que Missas, si plures, ut præfertur, ce„ lebrari contigerit, pro benefactoribus in „ genere similiter applicent.

„ Huiusmodi quæstio ab aliquibus ex vo„ bis ecclesiastico zelo flagrantibus supradi„ ctæ Congregationi Venerabilium Fratrum „ nostrorum, Concilii Tridentini Interpre„ tum, proposita est. Iamque ante illius „ propositionem compertum fuerat, alias ab „ eadem Congregatione responsum fuisse, „ concedendam esse exemptionem ab onere „ applicandi secundam & tertiam Missam „ conventualem pro benefactoribus in ge„ nere, attenta Canonicatuum, & Bene„ ficiorum tenuitate; ex quo inferri pot„ erat, huiusmodi applicationis debitum ma„ nere, ubi de Ecclesiis pauperibus non „ ageretur. Verum cum hanc definiendæ „ quæstionis regulam apud prædictam Con„ gregationem non admodum veteri obser„ vantia firmatam probe noverimus, cum„ que huiusce dubii solutionem eadem Con„ gregatio nuper iudicio nostro remitten„ dam esse censuerit; Nos ita iudicamus, „ idque vobis tenendum indicimus, laudan„ dos nempe, & confirmandos esse, quotquot „ sponte sua secundam aut tertiam conven„ tualem Missam pro benefactoribus in ge„ nere applicant; qui vero idem agunt ex „ vi consuetudinis, in ipsorum Ecclesia vi„ gentis, iis imperandum ut in ea consue„ tudine perseverent: ubi vero id usu re„ ceptum non invenitur, liberam omnino „ secundæ, tertiæque Missæ conventualis „ applicationem celebrantibus relinquendam „ esse, dummodo in commemoratione pro „ defunctis, Ecclesiæ benefactorum non ob„ liviscantur.

„ Huic demum Epistolæ nostræ finem im„ ponentes, Fraternitates vestras enixe hor„ tamur ut maximam curam & vigilantiam „ in id conferatis, ut in Ecclesiarum ve„ strarum choris, præter devotam celebra„ tionem, debitamque applicationem Missæ „ conventualis, horæ canonicæ non præ„ propere, sed exacte, pausa nempe inter„ posita, & maxima qua decet reverentia, „ ac religione canantur. Equidem scimus, „ in aliquibus metropolitanis & cathedralibus „ Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem „ invaluisse, ut se munus suum satis imple„ re contendant, dum choro præsentes assi„ stunt, licet ipsi sibi silentium imperent, „ nequepsallentibus Beneficiatis, aut Man„ sionariis in cantu se adiungant. In hu„ iusce vero opinionis confirmationem ad„ duci ab iisdem solent inveteratæ consue„ tudines, statuta peculiaria, aut etiam „ prætensa Ecclesiarum suarum privilegia. „ At cum Synodus Tridentina *sess.* XXIV. „ *cap.* XII. loquens de Dignitatibus, & „ Canonicis, qui choro interesse debent, „ unum ex eorum officiis esse dicat, *in cho„ ro ad psallendum instituto, hymnis, & „ canticis Dei nomen reverenter, distincte, „ devoteque laudare*: cumque pauca omni„ no sint Capitula in quibus eo modo a Ca„ nonicis in choro assistatur, ideoque rece„ ptæ in universa Ecclesia disciplinæ pau„ cos illos adversari dignoscatur; cum in„ super opinio illa, numquam in Congrega„ tione Concilii Tridentini interpretationi „ præposita, examinata sit, quin statim „ explosa fuerit, & improbata, quamvis „ præsumptis consuetudinis, aliisque fun„ damentis, & rationibus innixa perhibere„ tur, Canonicis etiam Ecclesiarum patriar„ chalium huius nostræ Urbis super hoc „ instantibus; cum denique idem iudicium „ prolatum reperiatur a pluribus Conciliis „ provincialibus, ab hac etiam Apostolica „ Sede approbatis & confirmatis: nihil iam „ reliquum esse videtur, quominus pauciores „ universorum legi se accommodent. Equi„ dem minime nobis compertum est, quo „ peculiari titulo suffulti persuasum habeant „ unius vel alterius Ecclesiæ Canonici, se „ muneri suo satisfacere per simplicem in „ cho-

„ choro assistentiam, absque divinæ psalmodiæ cantu. Verum, nisi illis præsto „ sit apostolicum, non præsumptum, vel „ abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, iure ac merito „ verendum est ne isti, dum ita se gerunt, „ præbendarum ac distributionum fructus „ minime suos faciant, & consequenter ne „ ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, „ hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, „ neque vobis apud divinum iudicem fraudi „ sit, si in huiusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum „ proxime spectat, abusus & corruptelas, „ quas arguendo & increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro „ fovisse & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem die XIX. Augusti MDCCXLIV. „ Pontificatus nostri anno quarto.

CAPUT VII.

Quando, quoties, & quo loco celebrandum sit.

I. QUæst. I. *Qua hora celebrare licet?* Resp. Communis sententia est, licitum esse celebrare ab aurora usque ad meridiem. Variæ assignantur caussæ tum anticipandi, tum postponendi celebrationem. Damnum grave, ut amissio notabilis lucri, occasio itineris necessarii, reputantur caussæ sufficientes anticipandi, aut postponendi per horam Missam. Generales, Provinciales, Superiores locales possunt cum suis Religiosis dispensare ex rationabili caussa, ut anticipent, vel postponat tempus celebrandi; cum sint ipsorum Ordinarii.

II. Quæst. II. *Quodnam peccatum perpetrat qui ante, vel post præscriptum tempus celebrat?* Resp. Peccare hunc graviter Auctores docent, quando sine ulla caussa legem præscripti temporis violat. Quis autem absque caussa hanc legem infringet? Dissident vero Auctores in assignanda temporis quantitate necessaria ad culpam gravem. Alii requirunt mediam horam, alii tres quadrantes, alii fere horam. Verum raro accidit in hac materia peccari. Nam alicubi, ut Venetiis, consuetudo est protrahendi Missas post meridiem. Caussæ quoque occurrunt anticipandi, aut protrahendi Missam. Nam præter assignatas solemnis cantus sæpe Missam protrahit per unam & alteram horam. Funera solemnia Principis, aut alicuius Magnatis, iter quoque, ut dixi, concio, publica supplicatio, caussæ esse queunt cur per horam anticipetur, vel postponatur. Religiosos privilegio frui inchoandi Missam una hora post meridiem docent plures. Si differant post hanc horam per tres quadrantes, peccabunt venialiter solum, inquit P. Viva, ob parvitatem materiæ: & laudat Bonacinam, ac Sylvium.

III. Quæst. III. *Licitum ne est celebrare tribus ultimis diebus hebdomadæ sanctæ?* Resp. Die Iovis licitum est celebrare cuilibet Sacerdoti; quamvis communis Ecclesiæ consuetudo sit ut tali die, sicut & sabbato sancto, Sacerdotes abstineant a celebratione. Nisi adsit peculiaris ratio, existimo servandam esse consuetudinem tum die Iovis, tum sabbato sancto. Superiores tamen ex rationabili caussa dispensare cum aliquo Sacerdote possunt, ut reipsa interdum dispensant. Die Parasceves vetitum omnibus celebrare. Quando festum Annuntiationis vel in Parasceve, vel in sabbato sancto occurrit, iam statutum est transferendum esse.

IV. Quæst. IV. *Quandonam licet pluries eodem die celebrare?* Resp. Olim, ut diximus, pluries Sacerdotes celebrare poterant. In præsens dumtaxat die Nativitatis Domini concessum est tres Missas celebrare. Nemo tamen ad tres celebrandas astringitur, sed ad unam tantum tenetur, etiamsi Parochus sit. Quando quis unam tantum dicere velit, Gavantus contendit, eum debere legere primam, aut tertiam. Alii contendunt eum legere posse quam maluerit. Si celebret media nocte, videtur opportunior prima; si versus meridiem, tertia videtur magis expedire: nulla tamen ratio apparet cur hanc potius quam illam celebrare debeat. Qui omnes tres Missas dicere velit, potest illas celebrare successive post mediam noctem, inquit P. Viva *quæst.* V. *art.* 6. *num.* 3. & allegat Suarez, ac Dianam. Ad decretum emanatum 1641. relatum a P. La-Croix, quo id prohibetur, respondet P. Viva, non esse usu ubique receptum. Hæc opinio videtur esse contra communem consuetudinem. Una Missa celebrari potest media nocte elapsa: aliæ duæ celebrandæ sunt post auroram. Ante quippe auroram communicare populus nequit. Hæc est communis consuetudo.

V. Alicubi in aliquo regno Hispaniæ die commemorationis defunctorum celebrantur a quolibet Sacerdote duæ Missæ. Anno elapso summus Pontifex BENEDICTUS XIV. Regi

Regi Lusitaniæ privilegium concessit, quo Sacerdotes celebrare possent eadem die tres Missas, adiecta tamen conditione ut pro una sola accipi stipendium possit.

VI. Plures assignari casus solent in quibus iterare Missas licet. Si Parochus habeat plures parochias, &, nisi plures celebret Missas, aliqua parochia Missa careat: tunc, inquiunt, *binare* potest. Immo die Natalis Domini Parochum habentem duas parochias, posse celebrare sex Missas, docet La-Croix *num.* 240. ubi citat Suarez, & Lugo, qui concedunt tali Parocho, ut in singulis parochiis repetat Missam diebus ferialibus, ne alteruter populus potestate privetur offerendi sacrificium. Leander, Gobat, & alii contendunt, adventum Principis, vel Magnatis, dedicationem Ecclesiæ, quando ob populi multitudinem satis non est unum sacrificium, nimiam Ecclesiæ, vel Sacerdotis paupertatem, necessitatem benedicendi nuptias, sufficientes esse caussas iterandæ Missæ. Sed opiniones istæ falsæ sunt, præsertim ætate nostra, ob Sacerdotum multitudinem. Et cum Sedes Apostolica prohibuerit Missam eadem die iterari, nemo absque eiusdem dispensatione plures eadem die celebrare Missas valet.

VII. Quæst. V. *Quo loco celebranda sit Missa?* Resp. In Ecclesia vel consecrata, aut saltem benedicta ab Episcopo, & ad altare aut consecratum, aut in quo sit petra consecrata. Episcopus facultatem impertire potest celebrandi extra Ecclesiam in aliquo honesto loco ob rationabiles caussas. Quare si Parochus prævideat, in tali solemnitate populum non posse in Ecclesia ob angustiam congregari, debet prævenire, & petere facultatem ab Episcopo celebrandi extra Ecclesiam: quæ facultas non censetur data, nisi in casu repentino, & inopinato. Quilibet Sacerdos celebrare valet in altari fixo consecrato, ubicumque posito, Episcopi auctoritate erecto. Episcopus in itinere potest in altari portatili celebrare, vel curare ut coram se celebretur, dum ad Ecclesiam commode accedere nequit. Aliqui contendunt, id eum agere posse in propria, secus in aliena diœcesi. Alii contradicunt; cum hæc actio non sit iurisdictionis contentiosæ, sed usus privilegii personalis. Circa hoc decretum edidit Clemens XI. quod hic subiicio legendum.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De celebratione in Oratoriis privatis emanatum 15. Decemb. 1703.

„ NOnnulli Episcopi, & complures Regulares sub prætextu privilegiorum „ ea sibi licere putant quæ prohibita sunt. „ Siquidem Episcopi, etiam in aliena diœcesi, „ extra domum propriæ habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures e suis Capellanis vivificam Christi hostiam immolare: „ Regulares vero in quibusdam Magnatum, „ seu aliarum nobilium personarum privatis „ Oratoriis, quæ certis quandoque ex caussis „ a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent vel plures Missas quam in iis sit „ indultum, vel absque præsentia personarum quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, „ & post meridiem, vel illis etiam diebus quibus per constitutiones diœcesanas, aut etiam decreta S. Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis indultis „ apostolicis excipiuntur, quominus in illis „ celebrari possit; aut etiam altari portatili „ uti non verentur in sanctarum sanctionum „ contemptum, ac sancti sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abusus huiusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo mysterio debitam sanctissimus Dominus noster ex unanimi voto S.R. „ E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus alias „ hac de re editis, expresse declarat, Episcopis & his maioribus Prælatis, etiamsi „ Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque „ sub pretextu clausi in corpore iuris, neque „ alio quocumque titulo, nullo modo licere „ extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod „ fortius intelligitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, „ ibique sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cuiusvis Ordinis, aut Instituti, seu „ Congregationis, etiam Societatis IESU, „ aut etiam cuiuscumque ordinis militaris, „ etiam S. Ioannis Hierosolymitani, aut aliis „ quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent „ Episcopi, in iis celebrare in diebus Pa- „ scha-

„ schatis, Pentecostes, Nativitatis Christi „ Domini, aliisque anni festis solemnioribus, „ ac diebus in indulto exceptis: in reliquis „ vero diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, „ in præfatis Oratoriis celebrare non licere, „ ubi unica Missa, quæ in indulto conceditur, „ fuerit celebrata: super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se „ optime informare: atque illa etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post meridiem, demandando ulterius, ac declarando in omnibus huiusmodi casibus personas quascumque, dictas Missas audientes, „ nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. „ Quo vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit „ licentias, seu privilegia concessa nonnullis „ Regularibus in c. *In his* de priv. & per aliquos summos Pontifices aliis Regularibus „ communicata, utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis in quibus degunt, „ omnino revocata esse per idem Concilium „ (Tridentinum) atque idcirco eosdem Regulares prohibendos ne illis utantur; ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut „ contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tamquam „ Sedis Apostolicæ Delegati ad pœnas præscriptas per idem S. Concilium in dicto decreto „ 11. 22. *c. unico*, usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per „ hoc decretum ita procedendi, perinde ac si „ per S. Sedem specialiter concessa fuisset. „ Et ita Sanctitas sua declarat, & servari „ mandat.

Cardinalis Panciaticus Præfectus.

Descriptum tamen decretum Benedictus XIII. exposuit in favorem Episcoporum in sua Romana Synodo celebrata anno 1725. sequenti declaratione, quæ habetur titulo XV. *cap.* III. „ Declaramus tamen, quod „ cum in prædicto decreto statuatur non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere; „ huiusmodi prohibitio intelligenda non sit „ de domibus etiam laicis in quibus ipsi „ Episcopi forte occasione visitationis, vel „ itineris hospitio excipiuntur, & nec etiam quando Episcopi in casibus a iure „ permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ „ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis moram idcirco faciunt in „ aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ „ ordinariæ habitationis.

VIII. In navi quoque licitum est celebrare, dummodo absit periculum sanguinis effundendi. Immo addunt, licitum esse servare in eadem Eucharistiam, si locus adsit decens & opportunus. Alii dicunt, posse celebrari Missam siccam, quando non potest consecrari. Sed huius Missæ siccæ usus mihi non probatur. Quando offerri sacrificium nequit, recitentur preces, legantur Evangelia, Epistolæ Paulinæ, fiant meditationes mysteriorum christianæ religionis, & alia pia officia exerceantur.

IX. Quæst. VI. *Quid de Oratoriis privatis dicendum?* Oratorium privatum est locus in domo hominis privati ad tempus cultui divino deputatus. Quare Oratoria in palatiis Episcoporum, in Regularium claustris, perpetuo destinata divino cultui, non computantur inter Oratoria privata; sicuti neque Oratorium quod habet ingressum in publica via. Sermo ergo in præsentia non est de Oratoriis Regularium, aut Episcoporum, sed de Oratoriis privatis laicorum, aut Clericorum sæcularium.

X. Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *decret. de celeb. Miss.* imperat ne Episcopi permittant in privatis domibus celebrari. Pasqualigus, & alii non pauci docent, posse Episcopum dare facultatem ut celebretur in privatis sæcularium Oratoriis pro dando viatico infirmo graviter ægrotanti; & quando tutus non sit egressus e domo, ut tempore pestis. P. La-Croix *Lib. VI. part.* II. *num.* 267. narrat, Episcopos in Germania reipsa potestatem exercere concedendi Oratoria privata ad vitam alicuius. Verum quid possint, aut non possint Episcopi, ad me non attinet definire. In Italia a sola Sede Apostolica facultas erigendi Oratoria privata sæcularibus impertitur. Concedunt dumtaxat Episcopi facultatem erigendi Oratoria publica, seu quæ publicum ingressum admittunt. Publicum autem est, ut dixi, quando habet ianuam in publica via, & omnibus ingressus patet.

XI. Innumeras quæstiunculas de his Oratoriis instituerunt, quasi non sufficerent illæ quæ excitantur super iure naturali, & divino. Vix aliquod emanat statutum, aut privilegium, quin volumina quæstionum edantur. Fateor me summopere tædere, dum tot quæstionum farraginem lego super eiusmodi statutis & privilegiis meri iuris positivi humani, sæpe non communis, sed privati. Aliquas præcipuas perstringam.

XII. Et principio dicunt, Oratoria ista debere muris quatuor constare, ab aliis locis profanis seiunctis. Pro quarto tamen aptari tela potest, quæ aperiatur, aut claudatur ad commodum audientium Missam. Privilegium a Papa concessum cessat morte privilegiati, non perit morte Papæ. Si privilegium concedit unius Missæ celebrationem, intelligitur quod unica illo die celebrari possit. Aliqui cavillantur, quod hæc particula *una* non sit exclusiva; ideoque licitum esse celebrari plures. Sed commentum istud nimis est ineptum. Si privilegiatus mutet domicilium in aliam diœcesim, secum defert privilegium; cum sit personale. Requiritur tamen Episcopi approbatio, etiamsi fiat mutatio in eadem civitate; quidquid aliqui dicant: quia Episcopus approbavit primum locum, non alium. Si privilegiatus alio peregrinetur, nequit curare ut privatim sibi celebretur. Neque unum Oratorium in villa, aliud in civitate haberi potest, nisi id Papa expresse concedat. Vi enim unius privilegii unico tantum in loco conceditur Oratorium.

XIII. In eiusmodi Oratoriis vetitum est celebrare in festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, nisi aliter exprimatur. Decretum Sac. Congr. 17. Novemb. 1607. quo id declaratur, refert Gavantus; confirmatumque est decreto Clementis XI. supra rescripto. In his Oratoriis privatis nequit cantari Missa solemnis.

XIV. Satisfaciunt præcepto audiendæ Missæ die festivo in his privatis Oratoriis omnes qui habitant in domo privilegiati, ut pater, mater, nurus, gener, uxor, filii, filiæ, nepotes, pronepotes, & alii per lineam rectam descendentes, & manentes sub regimine familiæ privilegiati, habitantesque cum illo: item famuli, servi, & ancillæ. Hospites, nisi sint in privilegio nominati, non satisfaciunt. Si hi in Bulla sint nominati, Tamburinus docet (cui subscribit La-Croix cum aliis) etiam famulos eorumdem hospitum privilegio uti posse. Vera ne, an falsa sit hæc opinio, ignoro. Ego stricte interpretanda esse hæc privilegia censeo; cum sint contra ius commune parochiale. Rursus operandum esset ut Christiani subire hoc incommodum vellent invisendi supremum Dominum in illius domo, ibique cum communi fidelium societate Deo sacrificandi. Non pauci hæc privilegia extorquent immoderati commodi, ne dicam otii, & torporis caussa. Privilegia suspicio, & ea qua par est reverentia veneror. Sed plurimi iisdem abutuntur. An ne sola gens plebeia, & pauperes frequentare parochias astringuntur? Communiter qui pluribus abundant vitiis, nihil pœnitentiæ, nihil incommodi pati volunt; sed suis commoditatibus Deum ipsum inservire contendunt. Utinam saltem matronæ, & matronulæ, quæ in propriis domibus Missam audiunt, in publicum tam impudenter, & tam frequenter non prodirent. Sed mane domi Missam audiunt; post splendido luxus, pompæ, fastus apparatu exornatæ, diu noctuque comœdias, theatra, virorum, & amasiorum cœtus frequentant, & incommoda gravissima subeunt. Intentio concedentis privilegia est succurrendi infirmis, debilibus, devotioni erga sacrosanctum sacrificium, non fovendi segnitiem, mollitiem, & fastum. Hæc per transennam, & salvo sapientum iudicio dicta sint.

XV. Quæst. VII. *An qui non sunt de familia, satisfaciant præcepto diei festi audiendo Missam in Oratoriis privatis?* Resp. Adfirmant Probabilistæ plures, Azorius, Castropalaus, Pellizarius, Homobonus, Henriquez, Busembau, Burgaber, Marchantius, Gobat quos refert P. La-Croix *Lib. III. part.* I. *num.* 628. eorumque opinionem probabilem vocat: & ideo vi Probabilismi secure ad praxim reduci potest. Laudat etiam sapientiam *P. Sporer*, qui suadet ut qui non sunt de familia, alibi Missam audiant; nolentes tamen non urget.

XVI. Recensita opinio falsa est, & penitus improbabilis. Nam Pontifex in Bulla conceptis verbis illam improbat. Hæc sunt verba Pontificis: *Volumus autem ut alii qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia.* Cuinam in mentem venisset tam uberrimam esse vim Probabilismi, ut hanc luculentissimam Pontificis clausulam eluderet? Reponunt laudati Probabilistæ, præfatam clausulam apponi in Bulla, seu Brevi, *ut servetur antiquus stilus Curiæ: & dantur privilegia*, inquiunt, *secundum antiquas formulas rescribendi.* Hæc sunt commenta, quibus leges hominum arbitrio accommodantur. Hac libertate circumveniendi leges, easque ad arbitrarios sensus detorquendi admissa, quæ lex, quod decretum consistere valet? Qua enim libertate hanc, eadem ceteras leges interpretari non pauci recentiores solent.

lent. Tu heinc collige. Si legem apertissimam cavillari audent, quid non audebunt, cum lex aliquam præferat ambiguitatem? Quæ horum habenda ratio est, si nihil est tam manifestum, nihil tam perspicuum, quod illorum distinctiunculis non subiaceat? Hanc opinionem ipsi doctiores Probabilistæ reiiciunt. Vel ipse P. La-Croix nostram sententiam probabiliorem vocat. Sed, cum oppositam probabilem asserat, hoc sat est Probabilistis ut secure ad praxim reducere illam valeant. Pasqualigus, licet benignissimus Probabilista, pro hac nostra sententia, quam & ipse defendit, laudat undecim Auctores, quibus accedunt Diana, Bassæus, & alii. Concludo, certum esse non satisfacere præcepto illos qui non sunt de familia: quia sic declarat Pontifex summus. Nec est quod diutius immorer in convellendis vanis commentis. Qui plura de privatis Oratoriis cupit, consulat Pasqualigum, qui fuso calamo hoc de argumento scribit. Noli tamen absque serio examine Auctoris huius, sicut nec aliorum, nec mei ipsius, omnium infimi, placita suscipere.

XVII. Quæst. VIII. *Quid dicendum de abusu differendi celebrationem Missæ in privatis Oratoriis ultra horam præscriptam?* Resp. Viri nobiles communiter Presbyterum habent qui illis tum in profanis, tum in sacris officiis inserviat. Non modo illum ad altare sacris indumentis paratum ad celebrandum expectare dominam, vel dominum faciunt, sed non raro ultra horam præscriptam celebrationem protrahere cogunt. BENEDICTUS XIV. *Tom.II. notif.* XIV. §. 3. iure invehitur adversus tantam corruptelam, ubi verba adducit Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis in epistola ad Bernardum Chorepiscopum. *Increbuit consuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores, & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed a quo incessanter exigat licitam simul, atque illicitam obedientiam, non solum in divinis officiis, verum etiam in humanis.* Scandalum istud adeo monstrosum est, ut in Gallia, inquit Franciscus Puget *Tom. II.pag.* 819. regiis edictis improbatum proscriptumque fuerit. Oratoria istis, & sacrificia, non ad sanctificationem animæ, sed ad profanationem divini cultus inserviunt. Confessariorum est suspendere istis sacramentorum administrationem, humano respectu contempto; cum & ipsi sacerdotio, & sacrificio abutantur.

XVIII. Quæst. IX. *Quid dicendum de Ecclesiæ benedictione, & consecratione?* Resp. Benedici Ecclesia potest a simplici Sacerdote ex commissione Episcopi; consecrari a solo Episcopo potest. Neque enim Episcopus valet committere Sacerdoti, etiam in dignitate constituto, ut Ecclesiam consecret, aut pollutam reconciliet, etiamsi aqua ab Episcopo tantum benedicta fuisset. Pontifex vero summus committere simplici Sacerdoti potest ut Ecclesiam consecret; cum ritus iste iuris sit ecclesiastici. Missa dedicationis legi nequit, nisi consecrata Ecclesia sit. Disputant Auctores, num valida sit consecratio ab Episcopo hæretico, vel ab excommunicato peracta. Alii adfirmant, negant alii. Adfirmantes inquiunt: Episcopus hæreticus, & excommunicatus vitandus valide baptizat, valide consecrat: quidni & consecrare Ecclesiam poterit? Ratio videtur solida. Sed cum casus iste vix contingere hac ætate valeat, severius illum non discutio.

XIX. Quæst. X. *Quid sit Ecclesiæ pollutio?* Resp. Ecclesia polluta dicitur 1. Propter homicidium in ea patratum, etiam sine sanguinis effusione; aut si vulnus sit ita letale, ut ibi, aut alibi mori debeat vulneratus. 2. Per sanguinis, aut seminis publicam effusionem mortaliter malam, atque adeo etiam sacrilegum actum coniugalem. 3. Per sepulturam excommunicati vitandi, vel infidelis. 4. Per destructionem Ecclesiæ, aut demolitionem maioris partis. Pollutionem Ecclesiæ consequitur pollutio Cœmeterii; non contra. Si homo infestus societati, & perturbator Reipublicæ in Ecclesiam se se recipiat, ut iustitiæ potestatem declinet, si capiatur, aut ibi occidatur, non polluitur Ecclesia: quia hic non gaudet immunitate. Alii tamen contradicunt, ut Diana, & Fagundez. Sed hoc ad Episcopum deferatur. Si Sacristia suis muris dividatur, & in eadem fiat percussio letalis, plures docent non pollui Ecclesiam.

XX. Si effusio mortalis seminis, aut sanguinis non sit publica notorietate facti, vel iuris, Ecclesia non polluitur. Heinc quamvis privatim sciatur, hunc, aut illum flagitium pollutionis in Ecclesia perpetrasse, non propterea Ecclesia polluta censetur. Quid, si crimen ob quod Ecclesia esset polluta, fuisset tempore commissionis notorium, sed maneat longo tempore occultum, & postea sciatur? Aliqui docent Ecclesiam pollui, etiamsi post 50. annos delictum innotescat. Alii contendunt, Ecclesiam non pollui, si crimen occultum maneat per tres aut quatuor menses. Etiam hoc ad Episcopum referendum est. In dubio, an Ecclesia sit polluta,

luta, censenda est polluta: quia possessio stat pro sanctitate Ecclesiæ, ut fatentur vel ipsi Probabilistæ. Ecclesia non reconciliatur per sacrificii celebrationem; sed reconciliari debet iuxta ritum præscriptum. Quare licitum non est in eadem celebrare, nisi sit secundum ritum reconciliata.

XXI. Quæst. XI. *Ecclesia destructa, quid de lignis, lapidibus, & fundo agendum est?* Resp. Hæc decernuntur cap. *Ligna* de consecrat. distinct. 1. *Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent in aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igne sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus: in laicorum opera non debent admitti.* Dum igitur Ecclesia destruitur, ligna, & lapides deservire nequeunt privatis laicorum usibus; sed ex iisdem construi debent aut dormitorium, aut capitulum Religiosorum, vel in eorumdem coquina ligna comburi.

XXII. Circa fundum Ecclesiæ dirutæ l. *Æde Sacra* 72. ff. *de contrah. emp.* hoc statuitur. *Æde sacra terræ motu diruta, locus ædificii non est profanus, ideo venire non potest.* Episcopum tamen facultatem vendendi talem fundum dare posse ex rationabili caussa, existimant Auctores, erecta ibidem cruce.

XXIII. Quæst. XII. *Quale altare requiratur ad sacrificium?* Resp. Necessarium est altare a proprio Episcopo consecratum, fixum, vel portatile, seu viaticum. Portatile unico constare lapide debet tantæ magnitudinis, ut super eum residere possint calix, patena, hostia, & particulæ consecrandæ. Requiritur ut in sepulcro seu sigillo aræ ponantur Reliquiæ; ut constat ex cap. *Si placuit* de consecr. dist. 2. Contendunt plures, contrariam hodie obtinere consuetudinem; cum non sit tanta Reliquiarum copia, quæ pro tot altaribus sufficiat, inquit P. Viva *quæst.* v. *art.* 6. *num.* 9. Verum in hoc standum est Episcopi iudicio, & Rituali de consecratione altaris.

XXIV. Quæst. XIII. *Quodnam altare sit execratum?* Resp. Ut altare dicatur execratum, ineptumque ad sacrificium, fractio illius debet esse enormis, quæ formam eiusdem destruat. Idque contingere dicunt, cum tertia illius pars dempta fuerit; vel si figura sit ita deformata, ut dignosci non valeat. Addunt communiter, quod, si lapis frangatur in partes duas, quarum quælibet apta sit sustinere calicem, patenam, & hostiam, possit utraque pro ara deservire; cum totus lapis sit consecratus. Missionariis concedi privilegium solet ut celebrent in altari portatili, etiam fracto, aut læso, & Reliquiis destituto. Si altare non sit fractum, sed fixum, non amittit consecrationem; dummodo forma non sit destructa, nec separatæ partes. Si altare fixum transferatur absque læsione structuræ superioris, & inferioris partis, ad alium Ecclesiæ locum; consecrationem non amittit. Si tamen pars inferior simul & superior consecrata sit, & una separetur ab altera; tunc amittitur consecratio. Similiter quando frangitur sigillum, seu sepulcrum altaris, aut removetur cum Reliquiis; tum amittitur consecratio.

CAPUT VIII.

De præcepto quo Sacerdos celebrare astringitur cum ministro.

I. QUæst. I. *An Sacerdotes teneantur Missæ sacrificium offerre?* Resp. Omnes fideles præcepto naturali, divino, & ecclesiastico offerre per publicos ministros Missæ sacrificium astringuntur. Supra ostensum est adversus novatores, solos Sacerdotes consecrandi potestate instructos esse. Iure autem naturali astringi fideles omnes ad offerendum Deo sacrificium per Sacerdotes, quo eius supremum dominium recognoscant, & pro acceptis beneficiis gratias rependant, inde patet quod in omni naturæ statu semper oblatum Deo fuerit sacrificium. Eodem ergo iure eligere Sacerdotes debent, ut id præstent. Porro non aliud in christiana lege est sacrificium, nisi incruentum Missæ. Igitur si iure naturali fideles obligati sunt Deo offerre sacrificium, etiam divino iure ad id astringuntur. Quod natura ipsa imperat, hoc & ius divinum fieri mandat. De præcepto ecclesiastico fusius alibi dictum est. Tandem qua lege fideles urgentur interesse sacrificio, eadem Sacerdotes tenentur offerre; cum hæc duo reciproca sint. Divinum mandatum, obligans Sacerdotes ad sacrificandum, habetur Luc. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et rursus Apostolus Paulus ad Hebr. v. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

II. Perspicue more suo S. Thomas debitum quo astringuntur Sacerdotes sacrificandi, *III. Part. quæst.* LXXXII. *art.* 10. declarat. *Dicendum, quod quidam dixerunt, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo, & sacramenta præbere. Sed hoc*

hoc irrationabiliter dicitur: quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud II. ad Cor. VI. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari; sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod II. Machab.* IV. *contra quosdam Sacerdotes dicitur, quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & sacrificiis neglectis.*

III. Caietanus suis in citatum articulum commentariis docuit, *venialiter* dumtaxat peccare Sacerdotes qui raro, aut numquam sacris operantur. Hanc opinionem, ut nimium laxam, & falsam, expungi S. Pius V. ex Caietani commentariis mandavit.

IV. Parochi, & omnes curam animarum gerentes tenentur per seipsos, & si fuerint impediti, per alios toties celebrare, quoties fideles astringuntur Missæ interesse. Plures alii tituli occurrunt, vi quorum Pastores teneantur offerre; Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* I. inquit: *Præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, & bonorum omnium operum exemplo pascere.* Pastores, ut mihi videtur, aut per se, aut si impediti revera sint, per alios sacrificare debent, sin quotidie, saltem frequenter, præter dies festos, ut exemplo suo parochianos invitent, & alliciant ad sacrum audiendum, suoque modo cum semetipsis offerendum. Si synagoga ipsa ex divino mandato quotidie iuge sacrificium offerebat; quanto magis Ecclesiæ christianæ præcipuæ, quales sunt parochiales, quotidianum sacrificium offerre Deo debent?

V. Sacerdotes quibus nulla est animarum commissa cura ad determinatum numerum Missarum divina lege non obstringuntur. Quid ergo illis agendum? Extrema vitanda sunt. Sacerdotes qui quotidie eo quo par est cordis fervore, animique pietate sacris operantur, summa laude digni sunt; quemadmodum improbari illi debent qui raro sacrificant. S. Bonaventura *Lib. de præp. ad Missam cap.* V. exclamat: *O quam graves angustiæ me undique affligunt! Accedere indigne, horrendum est iudicium: non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabilis est culpa.*

VI. Quamvis divina lege non astringantur Sacerdotes ad certum sacrificiorum numerum; lege tamen ecclesiastica frequenter celebrare astringuntur. Siquidem Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. in eos Sacerdotes invehitur qui vix quater in anno celebrant. *Sunt & alii qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno . . . . Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus.* Suspensionis gravitas gravem præsupponit culpam. Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* 14. hæc præscribit. *Curet Episcopus ut ii saltem diebus dominicis, & festis solemnibus, si tamen curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi I. hæc *part.* 2. statuit. *Tridentini etiam Concilii auctoritatem secuti præcipimus Sacerdotibus, cuiuscumque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, ut dominicis, & reliquis festis diebus Missam celebrare non omittant.* Plura referre alia Concilia possem, quæ frequenter Sacerdotes & ut minus diebus dominicis, & festis, celebrare præscribunt. Et hoc idem docet S. Thomas, ut supra ostendi.

VII. Oppones, aliquos sanctitate & doctrina celebres aut raro, aut numquam celebrasse. Verum habet. Sed quid inde? Abstinuerunt Hieronymus, & Vincentius a celebratione ob profundam humilitatem, & reverentiam erga augustissimum sacrificium. Num unius & alterius exempla prævalere universali Ecclesiæ disciplinæ debent? Numquid qui istorum exempla opponunt; istorum virtutes, & vitæ sanctitatem æmulantur? Numquid miraculis coruscant?

VIII. P. Dominicus Viva *quæst.* V. *art.* 5. *num.* 4. docet cum Diana, & aliis Probabilistis, Sacerdotes satisfacere celebrandi præcepto, si ter aut quater in anno celebrent; ut in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes. Hæc opinio falsa, & laxa est: quia intentioni Ecclesiæ, & Conciliorum statutis, & Sanctorum doctrinæ adversa. Hæc sunt verba P. Viva. „ Quamvis autem D. „ Thomas *quæst.* LXXXII. *artic.* 10. cum So„ to putet, debere Sacerdotes celebrare in „ præcipuis festis, in quibus fideles solent „ communicare . . . communius tamen do„ cent apud Dianam, satisfieri huic obli„ gationi, si ter vel quater in anno cele„ brent; prout dicitur in cap. *Dolentes*, „ præ-

„ præcipue in die Natalis Domini, Resurre„ ctionis, Pentecostes. "

" IX. Quamvis S. Thomas putet, debere Sacerdotes celebrare diebus dominicis, & festis præcipuis; quamvis Concilium Lateranense IV. suspensionis pœna multet Sacerdotes qui vix quater in anno celebrent; quamvis Tridentinum Concilium, quamvis S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi, quamvis innumera alia Concilia præscribant ut Sacerdotes dominicis, & festis diebus celebrent; communius tamen apud Dianam docent DD. Casuistæ, satisfieri huic obligationi, si ter vel quater in anno celebrent Sacerdotes? Unde Diana, unde ceteri Casuistæ Doctores colligunt, Sacerdotes sola trina in annum celebratione implere præceptum istud? Ex solo fundo auctoritatis plurium Casuistarum. Sed nobis sufficit asserere, unum solum Concilium prævalere Dianæ, Caramuelis, Tamburini, aliorumque similium opinionibus.

X. Quæst. II. *An Sacerdos sine ministro celebrare valeat?* Resp. Olim persecutionis tempore absque ministro sacris operari licitum erat. At disciplina illa continuo obsolevit, ut constat ex S. Laurentio, S. Sixtum ad martyrium properantem ita allocuto: *Tu numquam sine ministro sacrificium offerre consueveras.* Neque in necessitatis casu feminis permissum est ad altare accedere, vel Presbytero celebranti ministrare.

XI. Leander *dis.* VII. *quæst.* III. defendit in gravi necessitatis casu, puta ad dandum viaticum, licitum esse sine ministro celebrare. Et pro hac opinione allegat Suarez, Sotum, Ioannem a Cruce, Villalobos, Dianam, & alios: quia præceptum divinum ministrandi viaticum prævalere debet præcepto huic ecclesiastico. Quam opinionem reiicere absolute non audeo. Idem fieri posse asserunt, ne populus in die festo Missa careat. Feminas quoque ex loco remoto respondere posse Sacerdoti offerenti aiunt; licitamque esse subdunt Monialium consuetudinem e choro Sacerdoti respondentium.

CAPUT IX.

De ritu, seu cæremoniis quibus celebrari Missa debet.

I. CAlviniſtæ omnes Missæ cæremonias de medio sustulerunt, ut fictitias superstitiones, & ex procacitate natas, inquit Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* X. §. 8. humanæ confidentiæ, quæ se continere non potest, quin in Dei mysteriis ludat, & lasciviat. Lutherus, qui realem Christi præsentiam agnoscit, aliquas admittit, plures vero improbat; & more suo debacchatur. Kemnitius plura dicteria eructat in suo *exam.* adversus Romanæ Ecclesiæ ritus. Verum omnium istorum deliria prætereo; cum penitus illa labefactaverint Theologi nostri, & præsertim doctissimus, unaque piissimus Cardinalis Bellarminus.

II. Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* V. de sacrif. Missæ, hæc de cæremoniis generatim acceptis statuit. *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genum multa ex apostolica disciplina, & traditione, quo & maiestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* His breviter prælibatis, præcipua de hoc argumento capita dispiciam.

III. Quæst. I. *Quotuplex est cæremoniarum Missæ genus?* Resp. Ad duo revocantur capita. Aliæ præcedunt, aliæ comitantur Missam. Quæ præcedunt, spectant locum, tempus, & personam. Aliæ consistunt in actionibus, quæ respiciunt Deum, populum, & ipsum sacrificium. Ad personam attinent vestes sacræ. Nomine loci intelliguntur templa, altaria, vasa sacra, lumina. Tempus indicat dies festos, & horam celebrandi. Quæ Missam comitantur, sunt ipsæ partes sacræ liturgiæ.

IV. Quæst. II. *Quot sunt ornamenta sacerdotalia?* Resp. Sex numerantur. Amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, casula seu planeta. Sacrarum istarum vestium usus antiquissimus. Christum Dominum, Apostolos, ceterosque Sacerdotes persecutionis tempore vulgaribus vestimentis usos fuisse, nemo inficiatur. Verum, ut a persecutione respiravit Ecclesia, continuo disciplina sacrarum vestium ordinata fuit: & quidem congruenter. Nam si Reges, Principes, & Magistratus non communi, & vulgari ornatu incedunt; sed augustiore, & splendidiore vestitu prodeunt ad publica peragenda officia; quanto magis decet ut Dei Sacerdotes sacro apparatu in publica Ecclesiæ actione utantur, tum ad mysterii reverentiam, tum ad populi devotionem, & ob-

ſequium excitandum? Nonne & in ipſo veteri teſtamento Sacerdotes peculiares in ſacrificiis veſtes adhibebant? Sed, miſſis rationibus, auctoritas Eccleſiæ, Dei lumine illuſtratæ, ſat nobis eſt, ut ſacra Sacerdotum ornamenta veneremur.

V. Quæſt. III. *Quænam ſunt ſacrarum veſtium myſticæ ſignificationes?* Reſp. Rubricarum interpretes fuſo calamo argumenta iſta verſant. Illarum originem exponunt, & incrementum. De veſtibus ſacris ex inſtituto ſcripſerunt Albinus Flaccus, Alcuinus, Amalaricus Fortunatus, Rabanus Maurus, Innocentius III. Guillelmus, Durandus. Paucis ſingula perſtringam.

VI. *Amictus*, veluti ſpiritualis galea, ſpem præfert, firmamque in Deum fiduciam ad propulſandos diaboli incurſus. Idcirco dicitur: *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos omnes diabolicos incurſus*. Amictus appellatur quoque, inquit Cardinalis Bona, *ſuperhumerale*, *ambolagium*, *enabolarium* per quamdam analogiam ad *ephod* legalium Sacerdotum.

VII. *Alba*, a candore ſic nuncupata, quæ etiam *camiſia*, *ſubucula linea*, *dalmatica* vocatur, munditiem, vitæ innocentiam, & virtutum ornamenta ſignificat. Huius meminere Concilium Carthaginenſe IV. anno 398. Hieronymus adverſus Pelagianos, Sanctus Gregorius Magnus, aliique plures.

VIII. *Cingulum*, quod *baltheum*, & *zonam* etiam vocant, lumbos reneſque Sacerdotis ſtringendo, ſignificat coercendos eſſe concupiſcentiæ motus ad caſtitatem cuſtodiendam. Hinc Eccleſia præſcribit hanc orationem in eiuſdem uſu adhibendam. *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis omnem humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ, & caſtitatis.*

IX. *Manipulum* ſubſtitutum dicunt loco mantilis, quo tergebantur manus miniſtrorum, & quandoque lacrymarum affluentia; ut in Martyrologio Bedæ IV. Kal. Auguſti legitur. Manipulum appellabant quoque *panonem*, *mappulam*, & *ſupermanicale*. Myſtice ſignificat pœnitentiam, humilitatem, patientiam, dolorem, & fletum manipulo detergendum.

X. *Stola* uſurpata fuit a veteribus pro quolibet indumento. Communius ſtolæ nomine ſignificatur ſplendidum ornamentum. Patricii Veneti ſtolam vocant panni ſegmentum oblongum ſiniſtro humero ſuperpoſitum. Rerum eccleſiaſticarum Scriptores nomine ſtolæ ſignificant tum *pallium archiepiſcopale*, tum *faſciam* anguſtam, quam & Diaconi, & Presbyteri in humeris deferunt, quamque veteres *orarium* appellabant. In Eccleſia ſtola ſignum eſt iuriſdictionis; idcirco ſummus Pontifex ſemper in publicum procedit ſtola ornatus. Significat etiam evangelicæ prædicationis miniſterium. Ex oratione quam recitamus illam induentes, ſymbolum eſt iuſtitiæ, & immortalitatis, quæ in Adami prævaricatione amiſſa eſt.

XI. *Planeta* olim totum corpus tegebat, ideoque *caſula* vocabatur, veluti parva caſa, quæ totum hominem circumdabat. De hac caſula fuſo ſermone ſcribit præter alios Stephanus Durandus *Lib. II. de ritib. eccl. cap.* IX. Myſtice repræſentat caritatem, quæ omnibus virtutibus ſupereminet, eaſque cuſtodit, illuſtrat, & æterna vita dignas efficit.

XII. Veſtes eiuſmodi benedicantur oportet ab habente facultatem, ut iiſdem Sacerdotes valeant in Miſſæ celebratione uti. Quæ benedictionis conſuetudo vim legis habet, ſub mortali obligantis. Benedictionem amittunt per fractionem, & immutationem, quæ priorem formam deſtruat. Detritæ converti nequeunt in profanos uſus, ſed igne ſunt comburendæ.

XIII. Quæſt. IV. *Licitum ne aliquando eſt abſque ſacris veſtibus celebrare?* Reſp. Communis Theologorum ſententia eſt, numquam licere in profano veſtitu celebrare, tum ob reverentiam debitam ſacramento, tum ob ſcandalum quod inde oriretur. Solum concedunt in caſu neceſſitatis Miſſæ audiendæ aut miniſtrandi viatici, celebrari poſſe ſine cingulo, aut manipulo, vel adhiberi poſſe manipulum pro ſtola. Ceterum, niſi gravis urgeat neceſſitas, ſatius eſt abſtinere quam indecenter celebrare.

XIV. Quæſt. V. *Urget ne præceptum recitandi præſcriptas preces in veſtibus ſacris induendis?* Reſp. Communis ſententia Theologorum defendit, preces iſtas ex præcepto recitandas eſſe, nec negligi ſine peccato poſſe: quia expreſſe præſcribuntur in Miſſali. Materiæ parvitas excuſare a gravi culpa valet. Quare Sacerdotes illi qui ſe parantes ad Miſſam celebrandam, ſermones miſcent, hunc, & illum alloquentes, & ſimul ſacras preces recitantes, a culpa immunes non ſunt, tum quod mente diſtracta eaſdem recitant, tum quod ritum ſacrum profanant, & opere contemnunt, iudicantque animo indevoto ſe accingere ad ſacrificandum.

XV. Quæſt. VI. *Licitum ne eſt ad evitandam mortem ſine veſtibus ſacris celebrare?* Reſp. Adfirmant aliqui Probabiliſtæ. Sed dicendum, numquam id licere ob mortem evitandam: quia mors intentari nequit, quin religionis contemptus accedat: quo in caſu etiam laxiores Caſuiſtæ negant licitum eſſe abſque ſacris veſtibus celebrare. De colore ſacrarum veſtium nihil dico, cum Rubrica obvia ſit.

XVI. De templis, & altaribus dictum eſt ſupra. De vaſis ſacris pauca adiicienda. Neceſſaria eſſe vaſa ſacra ad licitam Miſſæ celebrationem, Catholici omnes fatentur, illorumque uſum ſemper obtinuiſſe in Eccleſia conſtat. Calix, & patena ab Epiſcopo, vel ab iis qui privilegio fruuntur, conſecrari debent. Poteſt enim ſummus Pontifex talem facultatem impertiri ſimplici Sacerdoti.

XVII. Diſputant Auctores, ex qua materia conſtare hæc ſacra vaſa debeant. Cap. *Vaſa* diſt. I. hæc habentur. *Quando Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contrario lignei Sacerdotes utuntur aureis calicibus .... Ne decus matris Eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur, & amplificetur, ſtatuimus ut deinceps nullus Sacerdotum ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ligneis vaſculis ullo modo conficere præſumat.* Rurſus cap. *Ut calix*, de conſec. diſt. I. dicitur: *Ut calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat. De ære, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præſumat Miſſam cantare.* Calicis pedem fieri poſſe ex cupro, aut ære, concedunt omnes: dummodo cuppa ſit argentea, intus inaurata ſimul cum patena.

XVIII. Præter ſacra vaſa requiruntur linteamina, nempe corporale, palla, & purificatorium, quæ pariter ſacra ſunt, & a ſuperiore habente facultatem benedicta. Corporale lineum eſſe debet, & quidem album, nitidumque. Palla olim unita erat corporali, quod ſupra calicem replicabatur. Nunc ad maius commodum ſeiuncta eſt. Linea eſſe debet, & benedicta, cum ſit veluti pars corporalis. Eidem tamen immiſceri aliquid pretioſi panni poteſt, ut firmior, & commodior fiat, cum calici ſuperponatur, ne quidquam in eam decidat. Requiritur quoque purificatorium lineum, vel ex cannabe meliori confectum, & benedictum, quo interior calicis cuppa extergatur.

XIX. Tobaleæ, ſeu mappæ ſuper altare debent eſſe tres; ut diſt. II. can. *Si per negligentiam* de conſecrat. habetur. Et Rubrica hæc præſcribit. *Altare operiatur tribus mappis, ſeu tobaleis mundis, ab Epiſcopo, vel alio facultatem habente benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.* Circa longitudinem uſque ad terram uſus obtinet oppoſitus. Sine ulla mappa celebrare peccatum grave eſt; urgente neceſſitate gravi, nulla culpa eſt. Pars anterior altaris tegi pallio debet, niſi marmorea, vel aliquo alio modo ornata ſit. Crux in medio altaris ſit oportet, quæ imaginem Crucifixi gerat, non picta, ſed ſculpta a quolibet alio corpore ſeiuncta. Plures tamen contendunt, ſufficere ſolam Crucem deſtitutam Crucifixi imagine. *Tamburinus* ait, ſat eſſe Crucem, vel Crucifixum depictum in pariete, aut in tabula ad latus. *Gobat* requirit ut ſaltem depictus ſit in tabernaculo. Sed hæc arbitraria commenta ſunt, & Rubricis ſtandum eſt. Huius tamen Rubricæ obſervatio non eſt tantæ neceſſitatis, ut ſine Cruce & Crucifixo nequeat celebrari ex rationabili cauſſa. Quando expoſitum eſt Venerabile, non eſſe opus Cruce, plures aſſerunt; ſed ab aliis refertur hæc ſacræ Congregationis declaratio die 14. Maii 1707. *Quando ſuper altare expoſitum eſt Venerabile, debet etiam in eo collocari Crux cum imagine Crucifixi.*

XX. Sacra vaſa tangi nequeunt a laicis. Illa tangere poſſe Clericos prima tonſura initiatos, docent plures. Si ſacra vaſa contineant corpus Chriſti, a ſolo Sacerdote, & Diacono tangi poſſunt. Laici Ordinum mendicantium, dum Sacriſtæ munus obeunt, tangere omnia ſacra vaſa, corporalia, purificatoria poſſunt, ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine.

XXI. Requiritur præterea velum cum burſa, quæ tangi ab omnibus poſſunt: neque debent ex neceſſitate eſſe benedicta. Hoſtia debet eſſe apud Latinos figuræ orbicularis, tam magna, quam parva. Græci utuntur quadrangulari figura in hoſtia maiori, in minori triangulari. Plures docent, licitum eſſe uti minori hoſtia, ſi deſit maior, ob ſolam devotionem, omni neceſſitate ſublata. Hanc opinionem ego non probo. Quoniam abſque rationabili cauſſa non poteſt ritus Eccleſiæ mutari. Sola autem devotio, non videtur eſſe cauſſa ſufficiens. Si poſt oblationem Sacerdos advertit hoſtiam eſſe fractam, licite eam conſecrare valet, niſi timeatur ſcandalum: quo in caſu alia petatur, & prior fracta poſt ablutionem ſumatur.

XXII. Nemo fidens memoriæ ſuæ abſque Miſſali celebrare debet. Non eſt neceſſe ut Miſ-

Missale sit benedictum. Si Missale desit, sat est ut Sacerdos habeat Missam in charta descriptam. Plures etiam docent, posse Sacerdotem ex memoria Missam celebrare; sed, nisi adsit aliqua iusta caussa, non est permittendum. Qui legere nequeunt ob defectum visus, uti Missali debent, ac si viderent, ob scandalum vitandum. Requiritur tamen ut Sacerdos possit videre hostiam, & calicem, ut absit periculum irreverenter tractandi sacramentum. Qui cæci evadunt, nequeunt celebrare, nisi privilegium obtineant. Quisque uti debet Missali iuxta proprium ritum. Si desit hoc Missale, uti quisque potest Romano; immo quandoque ob vitandam populi turbationem, vel admirationem debent Sacerdotes, ut Dominicani, sese ad ritum Romanum conformare, saltem in iis quæ extrinsecus apparent. Sacerdotes ritus Romani nequeunt uti Missali alterius ritus, neque in Ecclesiis Regularium. Qui ritum Romanum servant, uti possunt Missali illius diœcesis, in qua peregrinantur.

XXIII. Legenda est Missa conformis officio illius diei, nisi permissa a Rubrica sit Missa, ut vocant, *votiva*, vel de *requie*. Quisque celebrare Missam potest secundum publicum officium illius Ecclesiæ in qua celebrat; tametsi non conveniat cum officio quod ipse recitat, quia tenetur se conformare publico ritui Ecclesiæ.

XXIV. Si Moniales habeant officium proprium de Beato Ordinis, debet Sacerdos illis legere Missam de tali Beato, in Missali tamen Romano, ut declaravit Sac. Congreg. 9. Iun. 1668. *Qui celebrat Missam in aliqua Ecclesia Regularium, etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de festo, sed cum Missali Romano.*

XXV. Lumina quoque duo requiruntur: necessitate tamen urgente, unum sufficit. Immo Pasqualigus defendit, in necessitate celebrari posse absque ullo lumine. Sed probabilior est opposita sententia. Si tamen producta Missa sit usque ad offertorium inclusive, & utrumque lumen extinguatur, nec possit rursus accendi, Missa continuanda est; ut probabilior opinio docet. Si inter celebrandum candela una extinguatur, reaccendi debet; continuanda tamen Missa est. Si utraque candela extinguatur ante consecrationem, expectandum est, donec reaccendatur. Si post consecrationem hoc contingat, pergendum est, quia continuatio Missæ magis curanda est, utpote intrinseca, quam externa decentia fuminis. Lumen ex cera procurari debet. Deficiente cera, sebum præferri oleo debet. Profanis etiam candelabris candelæ imponi valent; immo sine candelabris adhiberi lumina possunt, necessitate urgente. Post dictum, *Ite Missa est*, non debent continuo extingui lumina, sed tantum recitato Evangelio S. Ioannis. Nullum peccatum est non accendere candelam post *Sanctus*, aut sub elevatione. Accendi quoque candelæ debent, dum distribuitur communio. Campanula quæ pulsatur in Missa, non benedicitur.

XXVI. Quæst. VII. *Quid dicendum de vestibus ipsius Sacerdotis, de capillitio, annulo, & baculo?* Resp. Sacerdotes sæculares veste propria talari ad Ecclesiam accedere debent, ut cuiuscumque diœcesis Synodi, & Episcoporum decreta præcipiunt. S. Carolus *Act. Eccl. Mediol. part.* IV. iubet ut Sacerdotes *vestibus non sordidis, aut inquinatis, nec dilaceratis, sed mundis, & ad talos usque descendentibus, ordinique suo iuxta provincialia nostra decreta congruentibus induantur*. Advertit sapienter Pontifex summus BENEDICTUS XIV. *Tom. II. notif.* XIV. §. 4. Sacerdotes non audere se ante aliquem Magnatem sistere absque talari veste: & postea illos non pudet domo discedere, ut sacrosanctum sacrificium Altissimo immolent, veste breviore indutos? In præfata notificatione præter alias pœnas inflictas Sacerdotibus, absque propria talari veste celebrantibus, minatur quoque suspensionem, non modo Sacerdoti celebranti, sed etiam Sacristis qui servant vestes talares in sacristia, easque commodant Sacerdotibus advenientibus. Quare Sacristæ eiusmodi Episcoporum decreta, quibus præcipitur ut Sacerdotes veste talari ad Ecclesiam accedant, eludunt, ipsique, tamquam transgressores, merito plectendi essent. Nec a peccato transgressionis immunes evadunt, propterea quod sint Regulares. Nam & ipsis sane cooperari non licet, ut Episcoporum decreta violentur; immo contra curare quoad possunt, ut observentur, debent.

XXVII. Debent quoque Sacerdotes nudato capite celebrare, & calceatis, non nudis pedibus. Sporer, Diana, & alii dicunt, sufficere aliqualem caussam, ut Sacerdotes celebrent capite tecto. Isti quoque Auctores cum aliis docent, Episcopum dare posse licentiam tegendi capitis in celebratione. Sed aperte falluntur; cum in Missali Romano iussu Urbani VIII. reformato hæc habeantur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ; non obstante quacumque contraria consuetudine*. Idem potiori iure dicendum est de capillitio, seu coma ficta vulgo *parucca*, cuius usus vetitus est ab Innocentio XI. litteris encyclicis, datis ad Apostolicæ Sedis Nuntios die 21. Martii an. 1689. *Non esse mentem Sanctitatis suæ, quod Nuntiis Apostolicis, aut Episcopis liceat licentiam Sacerdotibus concedere eiusmodi comas in actu celebrationis gestandi*. Integram litteram pontificiam refert P. La-Croix *Lib. VI. part.* II. *n.* 401. Postea subdit: „ Non obstantibus illis, videmus „ quotidie Sacerdotes celebrantes in capillitio ficto, qui putant se per hoc satis facere conscientiæ, si ita celebrent, habito „ iudicio unius vel alterius prudentis medici, quod aliter non possint absque periculo gravis incommodi. “ Nec P. La-Croix verbum aliquod reponit contra tantam laxitatem, & corruptelam. Ad unius ergo, vel alterius medici iudicium in fumum occidunt summorum Pontificum decreta? Si gravi incommodo laborant Sacerdotes, ad sanctam Sedem scribant pro dispensatione. Ideo quippe sancta Sedes sibi hanc facultatem reservavit, ut abusum efficacius tolleret. Sacerdotes quotidie cum capillitio celebrant? Capitis ne peste aliqua, quæ se communicet fere omnibus divitibus, aut nobilibus Sacerdotibus, laborant comati isti celebrantes, qui communiter iudicio medici egent capillitio in ipsa celebrationis actione? Qui sic comati ad altare accedunt, animum ad mundi, & medicinæ de cute fovenda, & demulcenda regulas paratum, non ad Ecclesiæ christianæ leges dispositum, se habere produnt, & patefaciunt.

XXVIII. Episcopi igitur neque capillitii, neque birreti, quo caput in celebranda Missa tegatur, facultatem impertire valent. Addit BENEDICTUS XIV. *loc. cit.* sub Alexandro VIII. in peculiari Congregatione hanc difficultatem fuisse discussam, decisumque fuisse, nullum adesse fundamentum oppositum sentiendi: idque legi potest apud Advocatum Ursaia *Lib. I. tit.* X. §. 4. *num.* 51. In Concilio Romano sub BENEDICTO XIII. celebrato *tit.* XVI. *cap.* 3. prohibetur quoque Sacerdotibus celebrantibus circulus capillorum, vulgo *girello*, vel *cerchietto*, quo a frigore sibi caveant. Duobus quoque Sacr. Congreg. Rit. decretis vetatur Sacerdotibus, etiam Canonicis, & Protonotariis apostolicis, Doctoribus &c. in quacumque Ecclesia etiam metropolitana, celebrare cum annulo in digito. Decreta refert Gavantus *part.* 2. *tit.* 1. *de præpar. Sacerd.* Sacerdotes ob debilitatem uti baculo, cui innitantur possunt, quando celebrare nequeunt absque tali subsidio. Publice tamen isti sine urgente necessitate celebrare non debent, sed privatim dumtaxat.

XXIX. Quæst. VIII. *Quot in partes Missa tribuitur, & quæ cæremoniæ ipsam comitantur?* Resp. Hactenus de iis quæ Missam præcedunt, in præsentia de iis quæ ipsam Missam comitantur, pauca delibanda sunt. Quatuor in partes tribui Missa solet. 1. ab initio usque ad offertorium, & dicitur Missa catechumenorum. 2. ab offertorio usque ad consecrationem. 3. a consecratione usque ad communionem. 4. a communione usque ad finem.

XXX. Novatores confessionem quæ ad Missam præmittitur, carpunt, quod non Deo tantum fiat, sed etiam B. Virgini, & aliis Sanctis. Sed de more fingunt hostem quem feriant. Neque enim nos gratiæ auxilia ab illis postulamus, aut illis peccata nostra confitemur, quasi ab illis peccatorum remissionem expectemus; sed dumtaxat illorum apud Deum intercessionem enixe flagitamus, ut quæ nobis necessaria sunt, impetrent.

XXXI. *Introitus* sic nuncupatur, quia est initium Missæ, & canitur a choro cum Sacerdos accedit ad altare. Constat ex antiphona, & psalmo cum *Gloria Patri*. Antiphona cantus reciprocus est, & alternatim compositus. Usus dicendi *Gloria Patri &c.* antiquior Hieronymo, & Damaso est.

XXXII. *Kyrie eleison* vocabula Græca sunt, quæ significant *Domine miserere*. Primus huius precationis usus apud Græcos obtinuit, estque antiquissimus.

XXXIII. *Gloria in excelsis &c.* hymnus angelicus dicitur: quia prima eius verba ab Angelis in nativitate Domini dicta fuerunt. Contendunt aliqui, S. Hilarium istius hymni institutorem fuisse; sed S. Hieronymus narrat *Lib. de virg.* sanctas virgines consuevisse a multo tempore hunc hymnum canere. Alii volunt illius Auctorem fuisse Telesphorum Pontificem summum. Sed communis sententia tenet, incertam esse eiusdem originem.

XXXIV. *Dominus vobiscum* ad populum conversus pronuntiat Sacerdos in medio altari; &, si Episcopus sit, dicit *Pax vobis*: quibus verbis populum salutat, illi bene precatur, atque eumdem invitat ad orandum. Ex Hebræorum ritu sumpta est cæremonia ista, quibus familiare est in salutatione dicere, *Dominus tecum*, aut *vobiscum*. Antiquissimam esse hanc cæremoniam in Missa

ſa omnes fatentur; & legitur in vetuſtiſſimis liturgiis Iacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, & aliorum.

XXXV. *Collecta*, ſeu oratio, quam poſt ſalutatum per *Dominus vobiſcum* populum Sacerdos recitat, ſic nuncupatur, quia ſupra populum collectum & congregatum recitatur; vel, ut alii volunt, quia *colligit vota populi*; vel quia ad differentiam aliarum precum recitatur in Miſſa, quæ olim *collecta* dicebatur. Antiquiſſimus eſt illius in ſacrificio uſus; cum fideles ad ſacrificium vocentur, ut orent. Collecta hæc dirigitur ad Patrem per Filium. Tota tamen Trinitas propter eſſentiæ unitatem invocatur. Concluditur autem collecta ſemper per Filium, quia ipſe eſt advocatus noſter, & mediator, per quem omnia petimus. Populus, finita oratione reſpondet *Amen*: quæ vox Hebræa eſt, & ſignificat *vere*, *ita ſit*, *verum eſt*, *conſentio*. Interdum vox hæc eſt adfirmantis, aliquando deſiderantis, vel conſentientis.

XXXVI. *Epiſtola* ſequitur collectam ſimul cum graduali. Sumitur vel ex Propheta, vel ex Apoſtolo. Primum ad Lectorem attinebat Epiſtolam legere; poſt Subdiaconis hæc lectio commiſſa fuit. Alii forte melius dicunt, lectionem propheticam clericis minoribus, Paulinam Subdiaconis demandatam fuiſſe. Mos iſte adhuc in O. P. viget: quando ſiquidem duæ epiſtolæ in Miſſa leguntur, prophetalem Clerici minores, Paulinam Subdiaconus legit. *Graduale* ſic nuncupatur, quia tum canebatur, cum per gradus aſcendebat Diaconus in ambonem, Evangelium lecturus. *Alleluia* Hebraica vox eſt, quæ ſignificat *Laudate Deum*, atque exultationis & lætitiæ ſignum eſt: idcirco non canitur ieiuniorum tempore; ſed tum ſubſtituitur tractus, ex Scripturæ verſiculis compoſitus, qui *tractim*, & cum aſperitate vocum, & prolixitate verborum, inquit Durandus, canitur in teſtimonium mœſtitiæ.

XXXVII. *Evangelium* in ſiniſtra, & aquilonem verſus legitur ex antiquiſſima conſuetudine, ad denotandum lucem evangelicam illuxiſſe gentibus. Evangelii lectio in omnibus liturgiis præſcribitur. Multis opus non eſt, ut oſtendatur, nihil Chriſtiano acceptius eſſe poſſe quam heroica Chriſti Domini geſta, eiuſque ſanctiſſimos ſermones, exhortationes, & legem illius ore prolatam audire.

XXXVIII. *Symbolum* profeſſio fidei eſt. Quadruplex, ut alias dictum eſt, diſtinguitur, Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Athanaſianum, quod ab Athanaſio conditum dicitur. Primis quinque Eccleſiæ ſæculis in Miſſa non recitabatur. Timotheus, ut ſerpentem errorem Macedonii exterminaret, anno 510. legi Symbolum Nicænum in fidelium congregationibus iuſſit.

XXXIX. *Offertorium* verſibus Scripturæ conſtat: & inde nomen accepit, quod, populo offerente materiam ad ſacrificium neceſſaria, caneretur. Mos iſte uſque ad ſæculum IX. obtinuit. Poſt Eccleſiis, liberalitate Principum, & fidelium reditibus dotatis, Sacerdotes ipſi ad maiorem munditiem præparare cœperunt offerenda in ſacrificium.

XL. *Præfatio* eſt veluti præludium, quo excitatur populus, ut animum mentemque ſurſum in Deum erigat, ſeſeque diſponat ad conſecrationem corporis, & ſanguinis Chriſti. Præfationi adiungitur hymnus, quem Græci *carmen triumphale* appellant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* &c.

XLI. *Canon*, qui idem ac *regula* ſonat, complectitur ritum ſacrificii immolandi. Incipit ab illis verbis, *Te igitur*, & pertingit uſque ad orationem dominicam. Appellatur etiam *oratio*, qua omnium donorum excellentiſſimum, Chriſtus nempe, a Deo efflagitatur. A Valafrido dicitur antonomaſtice *Actio*, quod ſit omnium actionum præſtantiſſima; & ab Optato *Lib. II. adverſus Parmenianum* vocatur *legitimum*. Ampla eruditione de hoc ſacro canone ſcribunt Durandus *Lib. II. cap.* XXXIX. Menardus in *Sacrament.* S. Gregorii Magni, & Cardinalis Bona *Lib. II. cap.* II. Collectus autem eſt canon iſte ex verbis Chriſti Domini, apoſtolicis traditionibus, & ſummorum Pontificum inſtitutionibus. Submiſſa voce recitatur: quia decet ſacra myſteria in occulto ſervare dignitatem ſuam. Plures alias rationes producunt Auctores laudati.

XLII. *Oratio dominica* omnium excellentiſſima eſt, quam Tertullianus appellat *Breviarium totius Evangelii*: continet enim quæcumque petere a Deo debemus, ut implere officia noſtra poſſimus tam erga Deum, quam erga nos ipſos, & erga proximum. Habetur in omnibus Chriſtianorum liturgiis, in quibus ex Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutione legitur, ut ſcribit S. Hieronymus *Lib. III. adverſus Pelagianos*. Plura de hac oratione alibi dicam.

XLIII. *Fractio* hoſtiæ plures præfert ſignificationes, quas explicat S. Thomas *III. Part. quæſt.* LXXXIII. *art.* 5. & Auctores ſupra citati. Item Sylvius in citatum articulum S. Thomæ. Plura contra hanc fractionem opponit Lutherus, quæ perdocte more ſuo reſolvit Bellarminus. Tempore *confractionis hoſtiæ* recitatur *Agnus Dei* ex inſtitutione Sergii I. Romani Pontificis. Apud Græcos tamen id prius obtinuit. Poſt *Agnus Dei* ſequuntur tres orationes ante communionem: qua peracta, recitantur orationes in gratiarum actionem, quibus Miſſa claudi-

tur, & populus dimittitur per hæc verba, *Ite*, *Miſſa eſt*.

CAPUT X.

Nonnullæ aliæ quæſtiunculæ circa Rubricas, & ritus Miſſæ celebrandæ.

I. QUæſt. I. *Eſt ne peccatum mortale negligere Rubricas in Miſſa celebranda?* Reſp. Sententia adfirmans communis eſt, niſi materiæ parvitas excuſet. Quia gravi præcepto a S. Pio V. & aliis Pontificibus ſummis illarum obſervantia iubetur. Duplex Rubricarum genus diſtinguitur. Aliæ appellantur *præceptivæ*, aliæ *directivæ*. Dicuntur præceptivæ illæ quæ aut iure, aut legitima conſuetudine iubentur; ut celebratio in loco ſacro, in ara, in vaſibus, & cum veſtibus ſacris, in materia, & forma præſcriptis, ieiunio præcedente, & alia plura. Directivæ dicuntur illæ quæ iuxta communem Theologorum ſenſum non præcipiuntur ſub culpa letali; ut orare ante & poſt Miſſam, collectarum numerus, genuflexiones, cruces, manuum extenſiones, & alia id genus plura, quorum omiſſio non eſt mortalis, ſublato contemptu, & ſcandalo. Negligentia craſſa, qua quis nihil curat eaſdem addiſcere, & ſervare, ſi ſit continuata, non videtur carere implicito ſaltem contemptu.

II. Quæſt. II. *Qui omittit aliquam Miſſæ partem, peccat ne mortaliter?* Reſp. Partes Miſſæ aliæ ſunt veluti intrinſecæ & ordinariæ ipſius Miſſæ, quatenus ſemper dicuntur; ut confeſſio, oratio, Epiſtola, Evangelium, offertorium, præfatio, Canon, oratio dominica, Agnus Dei. Non ordinariæ ſunt *Gloria*, orationum numerus, *Credo*, pluralitas Epiſtolarum, præfationum diverſitas, ſequentiarum, tractuum, & quorumdam Canonis verborum varietas. Qui omittit partem ordinariam, puta Epiſtolam, Evangelium, partem notabilem Canonis, & ſimilia, peccat mortaliter. Qui omitteret materiam levem, etiam in Canone, peccaret venialiter, puta ſi ommitteret aliquod ex Sanctorum nominibus. Qui tamen voluntarie in Canone omitteret aliquam orationem, aut verba, quæ corrumperent ſenſum, peccaret mortaliter. Paſqualigus *quæſt.* CCII. docet, eum mortaliter peccaturum qui omitteret *Pater noſter* vel *Agnus Dei*: quia quælibet harum partium efficit functionem gravem. Mortalem quoque culpam exiſtimant plures omiſſionem fractionis hoſtiæ, aut illius cum calice commixtionem, infuſionem aquæ in calicem: quia hæc omnia myſticas & graves præferunt ſignificationes. Mortalem quoque cenſet Paſqualigus *quæſt.* CCVIII. omiſſionem purificationis calicis & patenæ poſt communionem. Quæ omnia intellige de eo qui deliberate hæc omitteret.

III. Culpam venialem communiter reputant omittere unam ex partibus non ordinariis, puta *Gloria*, *Credo*. Qui tamen unum horum voluntarie omitteret in magna ſolemnitate, peccaret mortaliter. Omiſſionem ſequentiarum, *Lauda Sion*, *Victimæ paſchali*, *Veni creator Spiritus*, venialem culpam reputant. Similiter venialis culpa eſt, omittere quatuor temporibus *Flectamus genua* cum ſecundariis collectis, & ſecundariis Epiſtolis, vel præfationem ſpecialem, vel *Communicantes*, quæ leguntur certis tantum diebus, vel aliquas benedictiones, cruces, deoſculationes altaris, inclinationes, eaſdem nimis celeriter agere, dummodo tot non omittantur quæ ſimul ſumptæ conſtituant materiam gravem. Omiſſionem principalis collectæ uno tantum in loco non excedere culpam venialem, docent plures; eam vero omittere tribus in locis, culpam gravem eſſe defendunt. Uti ſola aqua, omiſſo vino, in purificatione, & ablutione, niſi celebrans ſit abſtemius, venialem culpam eſſe aiunt; deficiente tamen vino, nulla culpa eſt. In Miſſa ſolemni ea omnia legi debent quæ a choro cantantur; & omiſſio partis notabilis eorum quæ ad talem Miſſam requiruntur, non excuſatur a gravi culpa.

IV. Qui peragere omnia valet, excepta elevatione hoſtiæ, & calicis, celebrare privatim poteſt: quia tanti momenti non reputatur defectus iſte, ut abſtinere a celebratione Sacerdos debeat. Probabile iudicat La-Croix non peccare graviter eum qui præſciens ſe non poſſe recitare illa quæ præcedunt Evangelium, vult celebrare: quia, inquit, qui non audit ea quæ præcedunt Evangelium, integram Miſſam audit: ergo etiam vere legit Miſſam qui reliqua legit; cum impotentia excuſet a præcedentibus. Confeſſio, introitus, Gloria, collectæ, Epiſtola cum graduali videntur conſtituere notabilem Miſſæ partem. Quare qui prævideret ſe hæc omnia omiſſurum, ut mihi videtur,

tur, abstinere a Missa deberet. Nec paritas La-Croix arridet: quia, admisso etiam quod satisfaciat præcepto ille qui audit Missam ab Evangelio usque ad finem; tamen in celebrante omissio partis adeo notabilis videtur gravis deformitas.

V. Quæst. III. *Licet ne aliquid addere vel immutare in Missa?* Resp. Qui adderet in Missa novas preces publicas, peccaret mortaliter: quia ritum variaret. Qui unam collectam adderet ultra præscriptas, facile excusaretur ab omni culpa, si occurreret aliqua caussa, vel devotio. Satius tamen est abstinere, & exacte ritum, & rubricas observare. Veniale esset recitare aut *Gloria*, aut *Credo*, dum omittendum est. Si quis loco Episcopi, nominandi in canone Missæ, nominaret Generalem propriæ Religionis, ex declaratione Cardinalium, inquiunt plures, peccaret mortaliter: non quia res de se gravis sit; sed quia videtur id fieri in Episcopi contemptum. Inversio orationum, ut si recitetur secundo quæ primo loco recitari debet, venialis culpa est. Qui tamen Evangelium ante epistolam legeret, a mortali non excusaretur: quia esset magna deformitas.

VI. Quæst. IV. *Quid de verborum expressione dicendum?* Resp. Multipliciter delinquere circa verborum expressionem Sacerdos potest in Missa. Principio, qui notabilem Missæ partem intra labia, & dentes ita mussitando recitaret, ut, sublato omni impedimento, nec ille seipsum, nec audientes illum intelligerent, peccaret mortaliter: quia vocaliter Missam non recitaret. Plura laxa, ad hoc quod attinet, docent Tamburinus, Caramuel, & alii. Qui omnia submissa voce recitat quæ alte pronuntiari debent, hunc peccare venialiter docent plures. Convenit penes omnes, Missam esse officium publicum, in quo communicat populus, qui excitandus ad devotionem est. Circa vocis altitudinem nulla præscribi regula potest. Extrema cavenda sunt. Cavendum ne nimia vocis elatio offendat, turbetque alios celebrantes. Vitanda quoque nimia vocis depressio. Non est necesse ut omnis populus vocem audiat; sed sat est ut adstantes attenti percipere vocem queant. Pasqualigus *quæst.* ccxxx. ait fat esse ut Sacerdos ita alte verba exprimat, ut excedat limites orationis secretæ; licet audire populus nequeat: quia rubrica id præscribens, est tantum directiva, non præceptiva. Ego affero, inhærendum rubricæ esse, missis privatorum arbitrariis commentis.

VII. Communiter Auctores docent, graviter peccare illos qui notabilem partem eorum quæ secreto, & submissa voce legi debent, alter recitarent. Disputant vero, quanta vocis elatio requiratur ut culpa gravis perpetretur. Plures dicunt, veniale tantum esse, si ita alte proferantur consecrationis verba, ut audiantur ad sex, vel octo passus; si vero audiantur ad quadraginta passus, communiter aiunt esse mortale. Quin addunt, si intra decem passus populi magna pars contineretur, & verba tam alte pronuntiata essent, ut audiri intra idem spatium possent; tum quoque mortalis esset culpa: quia ratio ob quam prohibetur alta horum verborum prolatio, est, ne populus verba memoria retineat, & ad iocos adhibeat. Nullum tamen peccatum esse aiunt, si ita alte proferantur, ut ministri illa audiant. Ego sententiam peccati mortalis super hac vocis elatione, quæ ad octo vel decem passus audiri possit, pronuntiare non audeo. Illud dico, eum peccare qui alta voce præfata verba pronuntiat. Quando autem contingat peccatum mortale nec ne, penitus ignoro. Sacerdoti devote celebranti sat est scire se peccare, dum alta voce hæc verba profert. Qui enim in tam sancta actione quodlibet peccatum etiam veniale non horret, illudque cavere non curat, indigne celebrat.

VIII. Quid de scrupulosis dicendum? Qui nolunt, aut nequeunt submissa voce hæc sancta verba proferre, suspendendi sunt ab altari, nulla adhibita indulgentia. Quia aut stulti sunt, aut mali, quando servare Ecclesiæ ritum recusant. Indulgentia fovet istorum stultitiam, aut superbiam.

IX. Quæst. V. *Quantum temporis insumere Sacerdos debet in Missa celebranda?* Resp. Pontifex summus BENEDICTUS XIV. *notif. cit.* §. 6. fusa oratione severe detonat in Sacerdotes nimia celeritate Missam celebrantes, seu mussitantes. Pauca huc transcribam latine versa. „ Sunt (inquit) Sacerdotes qui „ magnam diei matutinæ partem prodigunt „ in profanis negotiis, in plateis, in offici„ nis, sermones inutiles, otiososque miscen„ tes. Adveniente celebrationis hora, illico „ ad sacristiam percurrunt, & induti sacris „ vestibus vix ad altare pedem intulere, ut „ paucis post momentis redeant ad sacristiam, „ & rursus ad plateam, ad officinam. Uti„ nam hoc verum non esset. Sunt Ecclesiæ „ quas laici frequentant, optime gnari ibi„ dem Missas brevissimas agi, aliasque Ec„ clesias declinant, veriti ne Missæ longio„ res sint. Ab hominibus fide dignis accepi„ mus, repertos Sacerdotes esse qui, cum „ capellani Nobilium esse cuperent, ut in eorum

„ eorum privatis Oratoriis celebrarent, inter „ alia merita & prærogativas illud in primis „ exposuere, quod paucis minutis Missam „ expedirent. De his cum Tertulliano me„ rito dici valet: *Sacrificat, an insultat?*"

X. Rubrica Missalis hæc præscribit. *Sacerdos autem maxime curare debet ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte, & apposite proferat: non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat.* Pius doctusque Cardinalis Bona *tract. ascet. de Missa* §. 3. Sacerdotem celebraturum instruens, hæc addit. *Omnia verba quæ sive elata, sive submissa voce proferuntur, clare, distincte, ferventer, & absque ulla festinatione pronuntiabis, nihil inde mente revolvens, quantumvis bonum, & sanctum videatur, quod a propria & litterali verborum significatione alienum sit, & menti Ecclesiæ non conforme, quæ omnes Missæ preces, lectiones, & sententias magno cum delectu ad Sacerdotis, & adstantium instructionem, & devotionem selegit.*

XI. Duplicem in Missa Auctores distinguunt longitudinem. Intimam illam vocant quæ & verborum distinctam, claram, ac maturam pronuntiationem, & actionum, inclinationum, aliarumque cæremoniarum gravem devotamque executionem spectat. Extimam appellant quam Sacerdos ipse ex sua peculiari devotione adiicit. S. Philippus Nerius, divini luminis affluentia mirum in modum perfusus, cuius præclarum institutum vel ipsi hæretici admirantur, cum Sacerdotes, insolito fervore succensos, Missas nimium protrahentes videret, dicere solitus erat, ut ex eiusdem *Act. Lib. I. cap.* XIX. *num.* 9. colligitur: *In cubiculo hanc devotionis redundantiam vellem.* Quibus verbis indicabat, devote utique & diligenti studio celebrandam Missam esse; at vitandam simul nimiam prolixitatem, quæ audientes tædio afficiat.

XII. Congruum temporis intervallum quo celebrari Missa debet, brevius esse non debet tertia horæ parte, nec dimidiam horam excedere; sed ad dimidiam circiter horam declinare, & veluti attingere, ut communiter Theologi etiam benigni docent. Vix enim, inquit vel ipse P. Gobat *tractat.* III. *cap.* XXIII. *sec.* 3. *num.* 814. breviori spatio possunt omnia in communibus Missis peragi cum debito decore, ac devotione, cum tamen sit necessario tanta mora tribuenda sacrificio, quanta necessaria est ad rite, ac devote omnia peragenda. Nec facile mihi persuadebis, te communiter cum pietatis sensu, & sine multis imperfectionibus intra horæ quadrantem finire Missam posse, inquit P. Gobat: cuius iudicio subscribo. Cardinalis Baronius ad ann. 418. num. 35. narrat, ipsum S. Augustinum declamasse adversus eos *qui quererentur de prolixitate Missarum.* Christiani maiori ex parte vellent exteriorem christianæ religionis formam profiteri, peccata confiteri quater, aut septies in anno, Eucharistiam sumere, mysteria credere, Missas festinanter audire, & cetera exteriora officia peragere, dempto incommodo, & absque ullo interiore spiritus fervore, sed laxatis appetitionibus suis habenis. Dei Ministri non pauci, ut huic Christianorum generi indulgeant, sacramenta facillime administrant, & Missas ipsas festinanter celebrant. Ut hanc honestent corruptelam, illos minime pudet abuti textu sancto Exodi, *Comedetis festinanter*; ubi celeris comestura præscribitur, quia celeriter Hebræi ab urgentibus Ægyptiis transire mare cogebantur. Quæ festina agni comestio nimis impudenter, & temere detorquetur ad celerem Missæ celebrationem. Plura dicenda forent adversus permultos Sacerdotes, qui vix duodecim, ne dicam decem, minuta insumunt in Missa legenda. Hi enim ut mimi & comœdi potius quam Dei ministri habendi sunt. Lectionem sacrorum verborum demptione syllabarum, Crucis sanctæ signa tanta deformitate conficiunt, & ceteras cæremonias ita profanant, & deturpant, ut animæ indevotionem, ne dicam pravitatem, satis evidenter patefaciant. Deo isti relinquendi sunt, vix enim verbis instrui possunt. Sacrificii actio est omnium præstantissima: ergo studio summo & diligentia maxima exercenda.

XIII. Quæst. VI. *Quæ distractio mentis reputanda est mortalis in Missæ celebratione?* Resp. P. Thomas Tamburinus *Lib. II. de Sacrific. cap.* III. *num.* 8. docet, distractionem, quamvis longam, extra canonem, & sumptionem, esse tantum venialem; asserit tamen diuturnam sub canone esse mortalem, saltem ob periculum committendi errores. Sermo est de distractione voluntaria. Nam ab involuntariis quis est immunis? Nimis laxa, & falsa mihi videtur opinio P. Claudii *La-Croix* qui *Lib. VI. part.* II. *num.* 443. hæc scribit. „ Probabile tamen est, quamcumque „ distractionem internam, etiam sub co se„ cratione, vel communione fore veniale „ tantum." Iuxta hanc Probabilismi sententiam Sacerdos potest integram Missam celebrare, consecrare, communicare, deliberato animo alio distractus, quin transiliat cul-

pæ

pæ venialis confinia. Hæc doctrina, ut mihi videtur, salvoque obsequio erga P. La-Croix, aliosque Auctores qui illam defendunt, sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium ad externam repræsentationem reducit. Ipse communis Christianorum sensus scandalum patitur, audiens Sacerdotem per integram Missam animo libero alia quæcumque negotia revolventem, immunem esse a gravi culpa. Quo, quæso, pertinent illa verba? *Sursum corda, Habemus ad Dominum*. Opinio hæc P. La-Croix nititur alteri opinioni quam defendit *Lib. IV. a num.* 1341. videlicet, attentionem non attinere ad essentiam orationis. Quam ut evincat, hoc inter alia promit argumentum. „ Pontifices sciunt, sententiam „ quæ eiusmodi obligationem (attentionis in„ ternæ) negat, defendi; & tamen, cum „ facile possent, non contradicunt. Ergo „ agnoscunt, legem illam non esse certam: „ ergo nec obligat; *sed libertas nostra est in* „ *possessione contra eam*. " En fetus *Probabilismi*. Undenam didicit Auctor iste, Pontifices scire omnes laxas opiniones quas in dies edunt Casuistæ non pauci? Si hæc opinio P. La-Croix, docentis non esse nisi venialem culpam quamcumque distractionem internam deliberatam in Missæ celebratione, deferretur Pontifici summo; ego puto illum eam damnaturum. Nam nimis absona videtur, & tanto sacrificio iniuriosa: huic quippe sacrificio incruento, cordis nostri sacrificium, & animi nostri vota coniungenda sunt. Si nulla est necessaria attentio interna ex divino præcepto, nulla quoque devotio interna necessaria erit. Ergo poterunt Sacerdotes integram Missam celebrare animo voluntarie distracto, & indevoto, quin mortaliter peccent. An hæc Probabilismi fuco honestari valeant, iudicent Sapientes. *Sed libertas nostra est in possessione contra eam*, obligationem scilicet attente, atque adeo devote celebrandi, clamat P. La-Croix. Verum ego respondeo, possessionem hanc chimæricam esse, & purum putumque Probabilismi fetum. Sacerdotes legunt eiusmodi opiniones; & postea miramur, si Missas celebrari festinanter, præcipitanter, balbe, atque confuse videamus?

XIV. Plura mihi dicenda forent adversus celebrantium Sacerdotum corruptelam, & quorumdam Casuistarum laxas opiniones. Plura quoque dicenda essent de aliis Rubricis, de Missis votivis. Sed maioris momenti argumenta tractanda supersunt. Hæc ergo de sacrosancto Eucharistiæ sacramento dicta sufficiant. Sacerdotes memoriæ infixas habeant obvias illas litteras A. B. C. D. E idest Missam esse celebrandam alte, breviter, clare, devote, exacte. Minus exacte quam par erat, de augustissimo hoc Sacrificio scriptum a me est. A te, lector optime, peto, efflagitoque ut in tuis sacrificiis orare in expiationem inertiæ, ignorantiæ, & oscitantiæ meæ apud Deum velis, ut si forte in multis erraverim, lumen infundere dignetur, quo retractare aberrationes meas valeam. Si quid boni a me lucubratum est, id omne in sanctissimæ Trinitatis gloriam, post in honorem S. Thomæ Aquinatis, qui præ ceteris tam alte, tam perspicue, & tam incredibili profunditate de hoc augustissimo sacramento scripsit, cedat. Amen.

FINIS TOMI OCTAVI.